

Die Briefe Papst Clemens' IV. (1265–1268)

Vorläufige Edition
herausgegeben von
Matthias Thumser

ARCHIV-FASSUNG DER DIGITALEN VORAB-EDITION

2015

Monumenta Germaniae Historica

Digitale Vorab-Edition (2015)

Ersetzt durch: *Epistole et dictamina Clementis pape quarti – Das Spezialregister Papst Clemens' IV. (1265–1268)*, hg. von Matthias THUMSER (Briefe d. späteren MA 4), 2022.

Vorbemerkung



Die Briefe Papst Clemens' IV. (1265–1268), bestehend aus 556 weitgehend chronologisch angeordneten Stücken, enthalten die politische und persönliche Korrespondenz des Papstes mit vielfach vertraulichem Inhalt und sind wohl als die wichtigste Quelle zu seinem Pontifikat anzusehen. Der Adressatenkreis ist breit und zum großen Teil prominent. Enthalten sind Schreiben an die Könige von Sizilien, Frankreich, England, Aragón, Kastilien, an den Kaiser von Byzanz und den Fürsten der Tataren, an Kardinäle, die sich außerhalb der römischen Kurie aufhielten, sowie an diverse kirchliche Prälaten, weltliche Herren, an Bekannte und Verwandte aus der provenzalischen Heimat des Papstes und viele andere mehr. In den Schreiben dominiert die sizilische Frage, die Ablösung der staufischen Dynastie in Süditalien durch Karl von Anjou, an der Clemens IV. maßgeblichen Anteil hatte. Daneben erscheinen zahlreiche weitere Gegenstände, so die Situation der Kirche in den verschiedenen europäischen Reichen und im Heiligen Land, die Verwaltung des Patrimonium Petri und der Stadt Rom, die Kreuzzugspläne des Papstes wie auch seine Eingriffe in die innerenglischen Unruhen jener Zeit. Der knapp vier Jahre währende Pontifikat wird durch die Sammlung praktisch lückenlos abgebildet. Sie stellte in ihrer ursprünglichen Fassung das Register der Sekretbriefe Clemens' IV. dar, das im unmittelbaren Umkreis des Papstes weitgehend gleichzeitig angelegt wurde und heute als verloren zu gelten hat. Erhalten ist eine Reihe von jüngeren Abschriften vornehmlich aus dem 14. Jahrhundert. Somit sind die ‚Epistole et dictamina Clementis pape quarti‘ in ihrer überlieferten Form als Briefsammlung anzusehen. In dieser Hinsicht können sie neben Thomas von Capua, Richard von Pofi, dem Pseudo-Marinus von Eboli und Berard von Neapel in die Reihe der großen päpstlichen Briefsammlungen gestellt werden.

Aus dem späteren Mittelalter sind 18 Zeugen bekannt, welche die Sammlung ganz oder teilweise enthalten:

- Budapest, Országos Széchényi Könyvtár, Cod. lat. 73 (systematische Redaktion)
- *El Escorial, Real Biblioteca del Monasterio, M.III.1
- *Firenze, Biblioteca Laurenziana, Fondo Ashburnham 1717
- *Grenoble, Bibliothèque Municipale, Ms. 1058
- Milano, Biblioteca Nazionale Braidense (Brera), AE.XII.21
- *Paris, Bibliothèque Nationale, lat. 4040
- Paris, Bibliothèque Nationale, lat. 4041
- *Paris, Bibliothèque Nationale, lat. 12457
- Paris, Bibliothèque Nationale, lat. 13671
- Paris, Bibliothèque Nationale, lat. 14614
- *Paris, Bibliothèque de l'Arsenal, Ms. 917
- *Troyes, Bibliothèque Municipale, Ms. 719
- Archivio Segreto Vaticano, Reg. Vat. 30
- Archivio Segreto Vaticano, Reg. Vat. 30 A
- *Archivio Segreto Vaticano, Reg. Vat. 33
- Archivio Segreto Vaticano, Reg. Vat. 34
- Archivio Segreto Vaticano, Reg. Vat. 35
- *Archivio Segreto Vaticano, Reg. Vat. 36 (systematische Redaktion)

Demnächst soll bei den Monumenta Germaniae Historica in der Reihe ‚Briefe des späteren Mittelalters‘ eine kritische Neuedition der Briefe Papst Clemens’ IV. erscheinen, die den veralteten Druck von Edmond Martène und Ursin Durand (Thesaurus novus anecdotorum 2, 1717) ersetzt wird. Mittels der textkritischen Methode wurde anhand der mit Asterisk gekennzeichneten neun Textzeugen das verlorene Registeroriginal so weit als möglich rekonstruiert. Im Vorgriff auf die gedruckte Publikation werden an dieser Stelle alle 556 Stücke der Sammlung in einer vorläufigen Fassung und ohne die editorischen Apparate vorgestellt. Ein Anhang listet die Briefe mit ihren Basisdaten auf.

Literatur:

Matthias Thumser, Zur Überlieferungsgeschichte der Briefe Papst Clemens’ IV. (1265–1268), Deutsches Archiv 51 (1995) S. 115–168.

Matthias Thumser, Zurück zu Lachmann? Alte und neue Wege bei der Edition der ‚Epistole et dictamina Clementis pape quarti‘, in: Editionswissenschaftliche Kolloquien 2003/2004. Historiographie – Briefe und Korrespondenzen – Editorische Methoden, hg. v. dems. u. Janusz Tandeki unter Mitarbeit v. Antje Thumser (Publikationen des Deutsch-Polnischen Gesprächskreises für Quellenedition 3, 2005) S. 215–231.

26.7.2015

matthias.thumser@fu-berlin.de

ARCHIV-FASSUNG DER DIGITALEN VORAB-EDITION

Epistole et dictamina
sancte memorie domini
Clementis pape quarti

ARCHIV-FASSUNG DER DIGITALEN VORAB-EDITION

1.

Clemens IV. an König (Jakob I.) von Aragón: bittet ihn, sich bei Manfred (von Sizilien) dafür zu verwenden, daß dieser den Elekten M(anfredus Roberti) von Verona, der (als Rektor des Herzogtums Spoleto und der Mark Ancona) bei einem militärischen Gefecht in Gefangenschaft geraten sei, freiläßt.

1265 Februar 24, Perugia

Clemens episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio illustri regi Aragonum.

Quod negotium, pro quo magnitudini tue presens a nobis pagina mittitur, nostre mentis intima quadam propensiori domestice sollicitudinis stimulatione titillet, ex eo potissime tue circumspectionis industria certum indicium et evidens sumere poterit argumentum, quod nos navicule Petri, quam nobis Altissimus committere voluit, suscepto regimine, dum adhuc esset cor nostrum ex frementi negotiorum inundantium super nos undique fragore concussum et ex consideratione nostre insufficientie nostreque humilitatis attonitum, antequam imbecillitas virtutis nostre consideret sinuosa ipsius navicule vela ventis explicita tradere, cogitare cepimus vias diligenter et modos, quibus nostre de ipso negotio salubre possemus intentionis propositum obtinere. Post intentam igitur nostre super hoc disquisitionis diligentiam et diligentem apostolice perscrutationis indaginem noster in tue puritatis promptitudine spiritus requievit, et sperantes non nisi per tue providentie studium satisfieri posse in hoc plenarie votis nostris hanc nostre sinceritatis epistolam tamquam velocem adacte tibi benivolentie paterne prenuntiam et certissimam confidentie nostre arram pias precum nostrarum primitias et salutifera petitionum nostrarum initia continentem tue mansuetudini destinandam fore previdimus firma concepta fiducia, quod dictum negotium eo et libentius tua sublimitas ad effectum optate prosecutionis et finem votive perfectionis adducet, quo huiusmodi nostra precamina de interioris affectionis ubertate proveniunt et quo brevioris emolumenta compendii deberi huiusmodi primariis nostri apostolatus apicibus recognoscet.

Sane olim, dum in Anconitane Marchie partibus contra Romanam ecclesiam procella persecutionis commovente illam Manfredus nato quondam Frederici olim Romanorum imperatoris excresceret, felicitatis recordationis Urbanus papa predecessor noster dilectum filium M(anfredum) Veronensem electum virum utique generosum, industrium, strenuum et fidelem, cuius in devotione ecclesie inconcussam constantiam et stabilem firmitatem sui generis experta in adversis fidelitas et evidentia suorum laudabilium operum testimonia sub diversitate temporum comprobant, defensionem eiusdem Marchie assignata sibi quadam comitiva militum deputavit, sub cuius studioso ducatu, licet eiusdem ecclesie negotium in ipsa Marchia dirigere ac prosperis successibus firmare cepisset Altissimus, demum tamen invalescentibus eiusdem Manfredi viribus contigit, quod idem electus, dum suorum castrorum acie ordinata contra hostium agmina sub vexillis ecclesie consueto sui animi vigore procederet in cause tam iuste defensione ac tam iusti prosecutione negotii, in adversariorum manus incidit ipsumque ad privatam dicti Manfredi custodiam bellicus eventus adduxit. Et quamquam dictus predecessor, dum adhuc viveret, ad eundem Manfredum nuntium specialem et efficaces litteras pro ipsius electi liberatione transmissit idemque Manfredus certam ei de hoc spem fallaci promissione prebuerit, adhuc tamen electum ipsum eiusdem Manfredi tenet carcer inclusum, nec speramus per alicuius nisi tantum per tue interventionis presidium eum posse absolvi a vinculis et restitui pristinae libertati.

Ideoque serenitatem tuam, quam in adimplendis nostris beneplacitis semper promptam invenimus et paratam, rogandam duximus attentius et hortandam in remissionem tibi peccaminum nihilominus suadentes ac pro speciali a te munere postulantes, quatenus pietatis intuitu, ob nostre quoque persone reverentiam apud eundem Manfredum, quem nullum in hoc tibi, si penes

eum diligenter institeris, difficultatis repagulum nullumque dilationis obstaculum ingerere credimus, sic interponas pro liberatione ipsius electi efficaciter partes tuas mittendo protinus ad eum propter hoc litteras et nuntium seu nuntios speciales ac petendo instanter ab eo, ut electum ipsum donet Deo ac tibi in signum amoris, quem ad inclitam personam tuam habere se asserit, a carceribus liberum et a vinculis absolutum, ut te obtinente ab ipso, quod petimus, et donum tam acceptabile tamque votivum primitivis nostre promotionis auspiciis offerente nos evidentius agnoscamus, qualem et quantum in pectoris regalis armario apostolice preces locum obtineant et favorem, ac teneamur celsitudini tue pro tante clementie opere, pro quo etiam fiet tibi rex regum propitius retributor, grata favente Domino vicissitudine respondere. Rescribas autem nobis per latorem presentium, quem ad te propter hoc specialiter mittimus, quicquid super hoc duxeris faciendum. Ceterum, quia omnipotens Dominus nos licet immeritos ad supreme speculationis altiora provexit posuitque in culmine verticis seculorum, firmiter in animo gerimus te, quem sincere dileximus hactenus, eo sinceriori affectu et favore prosequi promptiori, quo amplio-rem et plenio-rem nobis in terris divine miserationis abundantia contulit potestatem. Tu ergo de nobis sicut de patre benivolo et benigno confidens ad nos in omnibus, que tuam exaltationem tuorum-que spiritualium et temporalium profectuum incrementa respiciunt, recursum habeas, quotiens fuerit oportunum.

Datum Perusii, VI Kalendas Martii, pontificatus nostri anno I.

2.

Clemens IV. an Karl (von Anjou,) Graf der Provence: mahnt ihn, von seinen Übergriffen auf die Kirche von Asti abzulassen.

(1265 zwischen Februar 15 und Juni 17, Perugia)

Nobili viro Carolo comiti Provincie.

Quanto te Dominus donis precipuis et bonis potioribus insignivit, tanto tibi sollertius vigilandum, ut et conscientiam tuam in omnibus illesam custodias et *in gloriam tui nominis maculam non admittas*¹. Cum igitur super dampnis et spoliationibus, quibus Astensem ecclesiam diceris afflixisse, clamor sit contra te validus apud nos et in multis partibus Lombardie, nobilitatem tuam monendam duximus et hortandam et in remissionem tibi peccaminum iniungendum, quatenus Dei negotium in regno Sicilie promoturus in hiis et aliis sic tue consulas puritati, ne vel culpa tui fructus laboris impediatur vel infamia plurimos scandalizet, quibus magnum terrorem incuties, si tu, qui tamquam ecclesie verus pugil ad ipsius defensionem assumeris, iura dicte ecclesie tibi vendicas sine causa.

3.

Clemens IV. an Podestà, Capitano del Popolo und Anzianen von Pisa: freut sich über ihren Vorsatz, den Widerstand gegen die Kirche aufzugeben; geht auf ihre Bitte um Widerruf der Prozesse seiner Vorgänger nicht ein.

1265 März 2 oder 3, Perugia

¹ Ecclus. 33,24.

Potestati, capitaneo et ancianis populi Pisani spiritum consilii sanioris.

Litteras vestras recepimus et, que lator earum pro vobis proposuit, intelleximus plenius. Et de pio vestro proposito gratulamur, quod acceptum habemus in germine, et profecto fiet acceptius, si ad fructum pervenerit consummatum. Sane, sicut de casu dolemus peccantium, sic volentibus surgere manum prompti porrigere sublevantem discretionem vestram rogandam duximus et hortandam, quatenus, dum tempus habetis et patrem Dominus vobis obtulit suis quidem predecessoribus inferiorem meritis, sed in omni mansuetudine successorem, utamini gratia, quam, nisi per vos steterit, invenire poteritis fructuosam. Verum super predecessorum nostrorum processibus revocandis petitiones vestras intempestive nimis oblatas exaudire nequivimus, cum id nec iustitiam sapiat nec nostram deceat honestatem, sed, si ad ecclesie gremium via regia redieritis, quicquid contra vos actum iniuste viderimus, amovebimus et rigorem iustitie dulcore temperabimus pietatis.

Datum Perusii, VI/V Nonas Martii, pontificatus nostri anno I.

4.

Clemens IV. an Adelige von Rom: lobt sie, weil sie die Verteidigung der Stadt und (Karls von Anjou,) Graf der Provence, gewährleistet; für den Fall, daß dieser nicht fristgemäß nach Rom komme, könne er selbst angesichts seiner beschränkten Mittel keine Unterstützung zusagen; er warte auf neue Informationen aus Frankreich.

(1265 April / Mai, Perugia)

Nobilibus Urbis.

Devotionem et fidem ad Romanam ecclesiam, quam vestrorum progenitorum sinceritas in vos quodam hereditario iure transfudit, vestra probat strenuitas successivis operum testimoniis multo iam tempore roborata. Sane inter omnia, que ad honorem ipsius aggredi vobis placuit, illud quam maximum reputamus, quod in tante persecutionis instantia exterius hostibus debacchantibus et in Urbe forte latentibus defensionem Urbis et dilecti filii nobilis viri comitis Provincie in eadem potenter ac viriliter assumpsistis, quam nocturnis vigiliis diurnisque laboribus prosequi vos oportuit, quibus multum compatimur, quamvis finem propinquum ipsorum annuente divina gratia per presentiam eiusdem comitis expectemus. Ad id vero, quod queritis, si, quod absit, eum contingeret prefixo sibi termino non venire sicque Urbem hostes intrarent, quod vobis daremus auxilium resistentiam assumentibus contra ipsos, vestre prudentie respondemus nos firmiter credere comitem infra terminum esse venturum, quod si non esset et hostibus pateret ad Urbem aditus, polliceri nolumus, quod facere non possemus. Cum enim ab eo speremus auxilium, ad quod habendum subsidium ecclesiarum Francie et plurium aliarum eidem comiti preparavimus, nec circa nos habeamus militiam nec pecuniam nec sciamus, quo vel quanto egeretis auxilio nec etiam ad quod tempus, certum vobis non possumus dare responsum, sed ex litteris, quas a dilecto filio magistro Petro notario nostro recepimus, indubitanter collegimus, quod infra dominicam proximam tam per legatum Francie quam per ipsum sic de omnibus, que tangunt comitem et negotium, instruemur, quod vobis et vicario fere similia postulanti dante Deo poterimus certius respondere. Hoc tamen secure dicimus, quod hiis et aliis nostris ac vestris negotiis, si impotentia non nocuerit, nostra desidia non nocebit.

5.

Clemens IV. an (Jacques Gantelme,) Vikar (des römischen Senators Karl von Anjou): beschwert sich wegen der Übergriffe auf die Lateranbasilika und der Festsetzung eines Priesters; verweigert ihm das erbetene Geld, weil er sich nicht veranlaßt sehe und auch nicht die Möglichkeit habe, Rom aus eigenen Mitteln zu verteidigen; antwortet auf seine Frage hinsichtlich der Entsendung seines Sohnes.

(1265 nach April 27, Perugia)

Vicario Urbis spiritum consilii sanioris.

Scriptissimus tibi nuper ex sincere compassionis affectu mirari nos plurimum, quod salutem tuam videris negligere, dum manum ad ea porrigis, que cedunt in preiudicium ecclesiastice libertatis et a Christi corpore, quod est ecclesia, te precipidunt, quo fit, ut non sine cordis amaritudine mutato stilo tibi scribere compellamur, donec meliori fretus consilio viam eligas salutarem. Pauci dies elapsi fuerant, ex quo sanctam ecclesiam Lateranensem effregeras, et audivimus subsequenter, quod quendam tenes presbyterum compeditum, et, dum vincula tibi multiplicas, et animam tuam involvis durius et maiorem *maculam in gloria tua ponis*², quod quantum sit a tui splendore generis alienum, facile videre poteris, si tuam originem fideli contemplaris intuitu et ex tuorum progenitorum actibus amplectende in omnibus honestatis tibi cernis necessitatem indictam. Ad satisfaciendum igitur in omnibus de predictis et abstinendum in posterum a similibus te paterna sollicitudine invitare volentes litteris tuis breviter respondemus, quod presbyterum, quem detinere diceris, restitui nobis volumus vel rectoribus nostris in Urbe nostro custodiendum nomine, cum nobis de ipsius excessu constiterit pro meritis recepturum.

Sane, cum nostris expensis Urbem defendere nobili viro comiti Provincie minime teneamur, sed ad ipsum pertineat eius defensio, cuius recipit regimen et fructus percipit ac proventus, cur nobis pro habenda pecunia totiens scribas et scripseris, non videmus, cum scire possis et notum sit omnibus nos in papali camera nec invenisse pecuniam nec ad ea porrigere manus nostras, que nostram dedeant honestatem. Debes iterum illud advertere, quod, cum diebus proximis procuratori dicti comitis quinque milia librarum Turonensium mutuari fecerimus, expresse diximus dilectis filiis Ysnardo Hugolino, Dyonisio clerico et Tancredo, quod extunc omnem spem obtinende a nobis pecunie tibi precidebamus et ipsis, de qua tamen pecunia tria milia librarum fuerunt aliquibus reservata, et a nobis iterum novum mutuum petebatur. Unde scire te volumus, quod ad hoc non sufficimus et, sicut viris nobiles ambassiatoribus tuis diximus, Romanam ecclesiam pro subventionem huiusmodi nolumus obligare, sed volentibus tibi credere decimam collectam in Francia pro certa quantitate pecunie libenter obligabimus, et tu videas, an id credas comiti fore gratum. Nec enim ipsius bene gerere vellemus negotium, si moleste laturum subsidium huiusmodi crederemus.

Ad id demum, quod de mittendo filio tuo scripsisti, devotionem tuam plurimum commendantes tibi duximus respondendum, quod ad presens parcere tibi volumus, cum nobis iam aliter sufficienter duxerimus providendum.

² Ecclus. 33,24.

6.

Clemens IV. an Capitano del Popolo, Anzianen, Konsuln und das Kollegium der Kaufleute von Lucca: bestätigt sie in ihren guten Vorsätzen und bedauert, daß sie zum Feind übergelaufen seien; sagt ihnen baldige Hilfe zu.

(1265 zwischen Februar 15 und Juni 17, Perugia)

Capitaneo, ancianis, consulibus et collegio mercatorum Lucensium spiritum gratie salutaris.

Pium propositum, quod a Domino et in Domino concepistis, favore benivolo prosequentes, etsi nondum pervenerit ad effectum, ad stabilitatem eiusdem devotionem vestram obnixius invitamus, quod tanto gratius erit Deo, cum eodem auctore fuerit consummatum, quanto nobis ipsis nedum aliis videtur gravius post tanti temporis exhibita Deo servitia ad hostile dominium transmigrasse. Sane, licet status vester, qualis est modo, nec ad momentum a nobis valeat approbari, quia tamen scimus angustias, que vos obsident, quibus etiam diu fuistis oppressi, ad presens nolumus exponere vos discrimini, sed spem vobis offerimus propinqui subsidii, quod cum in ianuis fuerit, quid vobis agendum erit, statim curabimus intimare. Super aliis a vestris nuntiis nobis propositis eis respondimus, que litteris nolumus commendare, sed super hiis, que vobis dixerint, credatis eisdem.

7.

Clemens IV. an Königin (Isabella) von Navarra: dankt ihr für ihre Glückwünsche zur Papstwahl.

O. D.

Regine Navarre illustri.

Tue serenitatis apices multe devotionis preferentes indicia gratanter accepimus tibi merito congaudentes, que paterna sequens vestigia regis te filiam, sicut esse constat origine, moribus etiam profiteris et purgatissimi sanguinis sapiens puritatem ad ecclesiam matrem fidei, veritatis magistram tuum pie convertis affectum. Quas ergo congratulans nostro statui litteras applausorias destinasti, gratiarum digna prosequimur actione, licet ibi te monstres invenisse letitiam, ubi nos nobis haurimus lacrimas, dum et honorem nos supra merita recepisse dignoscimus et onus humeris nostris impositum supra vires. Ceterum tuam sinceritatem in Domino commendantes ad ea, que salutem tuam et domus tue respiciunt et exaltationem eiusdem, apertos habemus oculos et cor promptum largitorem bonorum omnium deprecantes, ut te virumque tuum sue favore gratie prosequatur, copia liberorum honoret et de preeminencia solii temporalis demum ad gaudia transferat sempiterna.

8.

Clemens IV. an König (Ludwig IX.) von Frankreich: gewährt ihm ein Indult, das ihn von allen allgemeinen Kirchenstrafen befreit, es sei denn, sein Name oder seine königliche Würde würden ausdrücklich erwähnt.

1265 April 20, Perugia

Regi Francie illustri.

Ne generales sententie, quas interdum inevitabili necessitate cogente proferimus, te involvant vel in dubio tue tenere conscientie scrupulum perplexitatis immittant, tuam specialiter volentes honorare personam tibi tenore presentium indulgemus, ne latis a nobis vel ferendis sententiis generalibus astringaris, nisi de tua persona expressis nomine et regia dignitate fiat mentio in eisdem. Quam gratiam eatenus duximus extendendam, ut nec illi, qui tuo speciali mandato circa ea paruerint, pro quibus dicte sententie late sunt vel ferentur, iisdem sententiis sint astricti.

Datum Perusii, XII Kalendas Maii, pontificatus nostri anno I.

9.

Clemens IV. an Heinrich, Bruder König (Theobalds II.) von Navarra: erlaubt ihm die Eheschließung mit einer Adligen, die mit ihm im vierten Grad verwandt ist, nicht aber mit einer Tochter des Grafen Simon von Leicester.

1265 April 27, Perugia

Dilecto filio nobili viro Henrico carissimi in Christo filii nostri illustris regis Navarre germano.

Etsi coniunctio copule coniugalis in quarto consanguinitatis et affinitatis gradu sacris sit canonicis interdicta³, apostolice tamen sedis providentia rigorem mansuetudine temperans super hiis dispensat interdum et, quod negat iuris severitas, de gratia benignitatis indulget, presertim cum necessitas exigit et causa rationabilis id exposcit. Nos igitur attendentes, quod carissimus in Christo filius noster illustris rex Navarre frater tuus diu sine liberis fuerit et te ac ipsum dumtaxat superstites habeat tanta domus, quam siquidem numerose prolis accessu cuperemus ex omni latere stabiliri, tuis supplicationibus inclinati, ut liberius et honestius ad maiorem tui splendorem generis tibi valeas coniugem sociare cum qualibet muliere nobili filiabus nobilis viri Symonis comitis Leycestrie et omnium adherentium ei dumtaxat exceptis, etiamsi tibi quarto consanguinitatis vel affinitatis gradu coniuncta fuerit et aliud canonicum non obsistat, hac vice matrimonium contrahendi, dum tamen de carissimi in Christo filii nostri illustris regis Francie ac prefati regis Navarre fratris tui consilio et assensu id facias, liberam tibi auctoritate presentium concedimus facultatem. Nulli ergo *et cetera* nostre concessionis *et cetera*. Si quis *et cetera*.

Datum Perusii, V Kalendas Maii, anno I.

10.

Clemens IV. an König (Theobald II.) von Navarra: läßt ihm die Dispens für seinen Bruder (Heinrich) übermitteln und fordert ihn auf, diesem eine geeignete Gemahlin auszuwählen.

O. D.

³ X 4.14.8.

Regi Navarre illustri.

Si tu nostro, fili carissime, prout scribis, congaudes honori, compati te volumus nichilominus oneri, quod nostros adeo premit et pregravat humeros imbecilles, ut in tante prelationis ascensu considerantibus nobis fideliter, quid et quantum oneris imminet, citra Deum occurrere nequeat, quod delectet. Ille tamen nos *recreat, qui creavit*⁴, et in illo consolationem recipimus, *qui sperantes in se non deserit*⁵ *lasso virtutem tribuens et hiis, qui non sunt, robur multiplicans*⁶, ab ecclesie nascentis initiis *mundi huius infirma eligens et per ea fortia subigens et confundens*⁷. Sane tue serenitatis receptis litteris, que tue devotionis fervorem, quem ad nos et Romanam ecclesiam habere te asseris, ostendebant, dilectum filium magistrum Petrum Bonam Diem capellanum nostrum pro te verba facientem audivimus et in hiis, que hoc tempore poterant expediri, breve sibi responsum dedimus petitam dispensationem pro dilecto filio viro nobili fratre tuo absolutam tibi per proprium tuum nuntium remittentes, ad quam nos movit affectio specialis, quam ad domum tuam habemus optantes eam ex omni latere numerose proles accessione firmari. Tu vero, si pro fratre vigilas, prout decet, illam eidem eligas in uxorem, que Deo placeat, regnum Francorum diligit atque tuum et sit de genere nobis et nostris fratribus non suspecto, ut exauditis in hiis precum tuarum primitiis merearis pro tempore in similibus vel maioribus exaudiri.

11.

Clemens IV. an König (Hugo II.) von Zypern: erlaubt ihm, trotz der Verwandtschaft im vierten Grad eine Tochter des Iohannes Beriti zu heiraten.

1265 Mai 21, Perugia

Illustri regi Cypri.

Etsi coniunctio copule coniugalis *et cetera usque* id exposcit. Sane, cum te, fili carissime, qui in regno Cypri solus et in solidum heres existis et nondum annos pubertatis, prout asseritur, attigisti, cum hiis iungere deceat amicitias, qui tam potentia quam vicinia tibi regnoque tuo consilium et auxilium impertiri valeant oportuna, nos habentes pre oculis solum Deum, cui placere querimus, non hominibus, in hac parte tue necessitatis intuitu, sed et tui ac Ierosolimitani regnorum utilitate pensata, quibus multum accrescere credimus, si ad mutuuum impendendum subsidium efficacius obligentur, ut tibi cum una ex filiabus quondam viri nobilis Iohannis domini Beriti quarto tibi consanguinitatis gradu coniunctis contrahere valeas licite matrimonium, impedimento huiusmodi non obstante auctoritate presentium duximus indulgendum. Nulli ergo *et cetera*. Si quis *et cetera*.

Datum Perusii, XII Kalendas Iunii, anno I.

12.

Clemens IV. an König (Ludwig IX.) von Frankreich: teilt ihm mit, daß er seine Gesandtschaft empfangen habe; erinnert ihn an drei Punkte, die er vor seiner Abreise aus Paris mit ihm verhandelt habe,

⁴ Augustinus, Sermo 396, ed. MIGNE PL 39 Sp. 1717.

⁵ Iudith 13,17.

⁶ Isai. 40,29.

⁷ 1 Cor. 1,27.

nämlich die Belästigung von Prälaten durch königliche Amtsträger und den königlichen Hof, die Wiederherstellung des Friedens zwischen der Gemahlin (Margarete) und dem Bruder des Königs, (Karl von Anjou,) Graf der Provence, sowie die Ausräumung von Grenzstreitigkeiten zwischen dem König und seinem Bruder; beschreibt ihm sein Befinden in der neuen päpstlichen Würde.

1265 Mai 8, Perugia

Regi Francie illustri.

Illa solide dilectionis sinceritas, quam ad domum tuam habuimus, priusquam notus facie nobis esses, ex quo postmodum tue familiaritatis gratiam obtinuimus, per gradus singulos incrementa suscipiens esse nos tui non sinit immemores, immo solito nunc ferventior eo magis ac magis intenditur, quo mutatus amicus in patrem affectione veteri non deposita ad plura pariter et maiora quam antea novi nominis adiectione tenetur. Olim siquidem extitit nobis gratum, erat enim et iustum nominare te dominum, pulchrum etiam, nam et verum te dicere amicum, sed ad summi pontificatus apicem sola Dei miseratione proveci dulciori te nomine filium appellamus, ut annexa dulcedo nomini dulcorem intime dilectionis ostendat.

Sane venientes ad nostram presentiam dilectos filios magistrum Iohannem de Trevis archidiaconum in ecclesia Baiocensi et fratrem Rogerium priorem Vallis Viridis Cartusiensis ordinis tue nuntios celsitudinis leti recepimus eo letiores effecti, quo de tuo tueque domus regie statu prospera nuntiantes de tam letis rumoribus potuerunt nos reddere certiores, quorum petitiones, quas tuo duxerunt nomine offerendas, diligenter inspeximus et deliberatione prehabita licet modica, tamen admodum necessaria, que te petere et nos decuit indulgere, liberaliter et benigne concessimus nec repulimus aliqua, que possemus sine scrupulo conscientie et aliorum scandalo concessisse, certam de tue magnitudinis circumspectione fiduciam obtinentes, quod probrosum tibi non reputes nostre ac tue honestatis intuitu pari in aliquibus te repulsam, qui legisse te recolis et audisse *vas electionis*⁸ preclarum apostolorum principis coapostolum non auditum petitione tertio repetita. Ad tuam demum memoriam verba duximus sub compendio reducenda, que tecum familiariter pridie, quam Parisius exiremus, habuimus circa tria, libertatem videlicet ecclesiasticam conservandam et prelatorum scandala precidenda, qui de crebris ballivorum tuorum vexationibus et etiam tue curie querebantur, pacem etiam inter carissimam in Christo filiam nostram tuam serenissimam coniugem et dilectum filium virum nobilem comitem Provincie fratrem tuum amabiliter et utiliter reformandam nec non et ea salubriter complananda, que circa terram tuam et confinia terre Provincie inter te et fratrem tuum eundem dissensionis speciem et materiam ministrabant, que siquidem tua serenitas cordi habeat diligenter attendens non solum, quid appareat, sed quid lateat in eisdem et que et quot et quanta, quorum etiam et quantorum dispendia parere valeant in futurum, nisi fuerint a radice precisa.

Demum, ne tuam lateat celsitudinem status noster, nosse te volumus exteriorem hominem perfrui sanitate, sed laborat interior et affligitur afflictiones intuens populi christiani et ruentem in preceps stultorum numerum infinitum, dum nec oppressis presidium dare possumus, quod vellemus, nec precipites ad exitium cohibere. In hiis tamen confugimus ad illius auxilium, quod continua orationum efflagitamus instantia, cui subest posse, cum velit, cui nichil est impossibile, cui facile *de tribulationum angustiis* potenter *eripere*⁹, quos sanguinis sui commercio misericorditer voluit liberare. Illud scias, quod in suscepto regimine nec honor nos erigit in superbiam, quem onus importabile comitatur, nec dissolvunt delicie, quas curarum conflictus eliminat, nec divitie

⁸ Act. 9,15.

⁹ Iob 36,15.

sibi subiciunt, quas numquam nobis permisimus dominari, immo, quod leti referimus, quem servum habere nequeunt, etiam comitem dedignantur.

Super hiis tandem, que circa blasphemos et alia, que divinum honorem respiciunt, intimasti, licet subito facere nequiverimus, quod petebas, cito tamen proponimus, quod acceptum Deo viderimus, ordinare.

Datum Perusii, VIII Idus Maii, anno I.

13.

Clemens IV. an A(nnibaldo Annibaldi,) Kardinalpriester von Santi Apostoli, R(iccardo Annibaldi,) Kardinaldiakon von Sant'Angelo, Gi(angaetano Orsini,) Kardinaldiakon von San Nicola in Carcere Tulliano, und Gi(acomo Savelli,) Kardinaldiakon von Santa Maria in Cosmedin: unterrichtet sie von der Ankunft (Karls von Anjou,) Graf (der Provence,) und seiner Flotte in Porto Venere; mahnt angesichts der Truppenbewegungen in der Sabina zur Vorsicht.

(1265 Mai 19, Perugia)

Dilectis filiis A(nibaldo) sanctorum Apostolorum presbytero, R(icardo) sancti Angeli, I(ohanni) sancti Nicholai in Carcere Tulliano et I(acobo) sancte Marie in Cosmedin diaconis cardinalibus.

Hac die Martis inter nonam et vespas mercatores Lucani a suis sociis in galeis comitis venientibus litteras receperunt scriptas characteribus peregrinis, quas ex usu legere didicerunt et legerunt protinus coram nobis, inter cetera continentes, quod in crastino Ascensionis Dominice comes cum octoginta lignis connumeratis parvis et magnis venit ad Portum Veneris summo mane, licet tempus habuisset adversum. Unde iuste presumimus eum cito venturum ad Urbem, si temporis qualitas patiatur et hostium non obsistat occursum. De quo scire non possumus veritatem, quam tamen, quantum possumus, exploramus, quibusdam dicentibus sex tantum galeas Sicilie visas in mari, aliis susurrantibus, quod a Gaeta citra procedunt alie quinquaginta. Vos igitur, quantum salva commoditate poteritis, accelerate prudenter, nam masnata Sabinie, que subito dicitur recessisse, an se possit obicere vie vestre vel moliri vobis insidias, ignoramus. Confidimus tamen in Domino, cuius negotia prosequimini, quod ante vos semper angelum suum mittet.

14.

Clemens IV. an König (Ludwig IX.) von Frankreich: bittet ihn, auf den Seneschall von Carcassonne einzuwirken, daß dieser nicht weiter Erzbischof (Maurinus) von Narbonne in seinen Rechten beeinträchtigt.

1265 Mai 8, Perugia

Regi Francie illustri.

Caritas insolubilis, que ad ecclesie Narbonensis honorem et commodum nostram vertit sollicitudinem incessanter, quotiens eius statum prosperum intelligimus, vultum et animum nostros exhilarat, et, cum eius indebitas vexationes audimus, ad remedia debita cura pervigili properamus. Sane nuper ad aures nostras venerabili fratre nostro Narbonensi archiepiscopo insinuante pervenit, quod tuus in Carcassone partibus senescallus castrum Quillani et quandam domum sitam in

civitate Carcassonensi ab eo nititur vindicare mandans ei nichilominus, ut tabelliones suos in terra Minerbesii sue diocesis permittat conficere testamenta et nuptialia documenta, cum per notarios eiusdem archiepiscopi et per nullum alium confici consueverint de antiqua et approbata consuetudine et hactenus pacifice observata, quod etiam eundem archiepiscopum alias multipliciter aggravat et molestat. Verum, cum multi fuerint senescalli archiepiscopos ecclesie supradicte totis viribus persecuti, hec hactenus, que eadem Narbonensis ecclesia longis retro temporibus absque omni contradictione possedit, numquam in facti vel iuris controversiam deduxerunt, et nunc iste, quem credebamus maiori ad ecclesiam devotione vigere, pilum in ovo de perverso querens consilio consilia cogitat, que non poterit stabilire. Quocirca serenitatem tuam, que ecclesiarum concussoribus sue clipeum protectionis opponere consuevit, hortandam duximus et rogandam, quatenus hoc fieri non permittens dictum facias senescallum sua sorte contentum ab eiusdem archiepiscopi molestatione desistere in premissis, ne et tante ecclesie prematur iustitia et eodem archiepiscopo iura sua spirituali gladio defendente crescat materia questionis. Debes siquidem ecclesiam illam, fili carissime, favore prosequi speciali, cuius rectores tuis iuribus defendendis et propulsandis iniuriis potenter ac viriliter retroactis temporibus astiterunt, quam in nostro recessu tue gratie commendavimus et nunc iterum commendamus.

Datum Perusii, VIII Idus Maii, anno I.

15.

Clemens IV. an den Seneschall von Carcassonne: gebietet ihm, Erzbischof (Maurinus) von Narbonne nicht weiter in seinen Rechten zu beeinträchtigen.

1265 Mai 10 oder 11, Perugia

Dilecto filio nobili viro carissimi in Christo filii nostri illustris regis Francie in partibus Carcassone senescallo.

Etsi generalis ecclesiarum cura nostris humeris ex suscepto officio apostolice servitutis incubat, ex favore tamen speciali et caritate insolubili, quam habemus ad ecclesiam Narbonensem, cum ipsius indebitas vexationes audimus, noster animus sauciatus ad remedia properat oportuna. Sane ad nostram nuper audientiam venerabili fratre nostro Narbonensi archiepiscopo insinuante pervenit, quod tu *et cetera ut supra usque* iuris controversiam deduxerunt *verbis competenter mutatis*. Cum igitur ab eiusdem ecclesie iniuriis tanto fortius te deceat abstinere, quanto magis eas nedum divinam, verum etiam prefati regis novimus offendere maiestatem, discretionem tuam rogamus, monemus et hortamur attente per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus super premissis ab eiusdem archiepiscopi et ecclesie sue vexatione et molestia conquiescas, quin immo ipsorum iura sic habere velis ob reverentiam apostolice sedis et nostram propensius commendata, quod per tui favoris presidium optata suscipere valeant auctore Domino incrementa.

Datum Perusii, VI/V Idus Maii, anno I.

16.

Clemens IV. an Fortebraccio di Romania: fordert ihn auf, sich der Sache (Karls von Anjou,) Graf (der Provence,) anzuschließen.

1265 Mai 20, Perugia

Nobili viro Fortibrachio de Romagna spiritum consilii sanioris.

Si parentum exempla sequeris, qui sedi apostolice retroactis temporibus prudenter et fideliter adhererunt, viam ingrederis tue saluti et honori sanguinis tui congruam, per quam tutus incedere poteris et *pes tuus in devium non impinget*¹⁰. Sane salutem omnium sitientes, ubi comitem advenisse noverimus, super hiis sibi scribere secreto curabimus, cum eidem assistere totis viribus proponamus et illos ipsius amicitie iungere, in quibus credamus eundem decipi non debere, de quorum numero te censentes tuum in hac parte queremus commodum et honorem, si te talem exhibere volueris, ut in te stabile possimus iacere fundamentum.

Datum Perusii, XIII Kalendas Iunii, anno I.

17.

Clemens IV. an S(imone Paltinieri,) Kardinalpriester von San Martino, Rektor des Herzogtums Spoleto und der Mark Ancona, apostolischer Legat: unterrichtet ihn über die Ankunft (Karls von Anjou,) Graf (der Provence,) mit seiner Flotte in Porto Venere sowie über die Lage in der Sabina und in der Mark Ancona.

1265 Mai 20 oder 21, Perugia

Dilecto filio S(imoni) tituli sancti Martini presbytero cardinali, ducatus Spoleti et Marchie Anconitane rectori, apostolice sedis legato.

De adventu comitis prenuntios multos habuimus et hanc novissime certitudinem, quod, quia infra festum Pentecostes, sicut Romanis iuraverat, Urbem intrare non poterat, angustia temporis obsistente dedit se mari et in crastino Ascensionis Domini cum octoginta lignis connumeratis parvis cum magnis in Portu Veneris visus fuit. In cuius occursum dilectos filios *tales cardinales* duximus destinandos, qui eum vel in Urbe reperient vel inibi expectabunt. Ipse vero magnam militiam secum ducit et militie partem aliam per Ytaliam vult transire. Cum igitur in eius auxilium, ex quo pendet nostri negotii consummatio, vires nostras excedere nos oporteat, preces tuas super addendis stipendiis ad presens non possumus exaudire. Nec timeas hostes tuos, nam, sicut militia Petri de Vico et alia, que cum Anibaldensibus Sabiniam iam invaserat, ad odorem adventus comitis recesserunt, sic potes confidere, quod in Marchia nulla morabitur, cum Manfredus intra se suos colligat, quantum potest. Sane animare poteris Marchianos, ut instante collectione fructuum se defendant. Venit enim tempus, ut credimus, quo et fidelibus benefacere et domare poterimus infideles. Anconitanos remisimus vacuos, nec aliud a nobis, quantumcumque sint improbi, extorserunt, nisi quod tuis pareant monitis et mandatis, que iusta semper fore presumimus et modesta, et, si quid eis imponeres aliud, ad nos tunc demum poterunt habere recursum. Firmanos nondum audire potuimus, licet venerint, sed firmos nos invenient Domino concedente.

Datum Perusii, XIII/XII Kalendas Iunii, anno I.

¹⁰ Prov. 3,23.

18.

Clemens IV. an S(imone Paltinieri,) Kardinalpriester von San Martino, Rektor des Herzogtums Spoleto und der Mark Ancona, apostolischer Legat: unterrichtet ihn über die Ankunft (Karls von Anjou,) Graf der Provence, in Rom; wünscht, daß er Bischof (Gentilis) von Fossombrone den Prozeß macht.

1265 Mai 27, Perugia

Eidem.

Die Iovis ante Pentecosten dilectus filius comes Provincie venit ad sanctum Paulum et in festi-
vigilia ad ecclesiam et palatium sancti Petri receptus honorifice a Romanis cum gaudio ineffabili
et in conspectu omnium gratus, ad quem de civitatibus confluunt circumquaque alii cum mu-
neribus, alii vero cum laudibus et omnes suum obsequium ei liberaliter offerentes. Inter hec au-
tem populi votis celebribus occupatus nondum sui processus ordinem nobiscum potuit diffinire,
quod, cum fiet, discretioni tue curabimus intimare. Vie sane ad Urbem undique adeo sunt secure,
ut aggressores itinerum sepulti potius quam perterriti videantur. Verum audita crudeli malitia,
quam Forsimphronienses in viros nobiles Guidonem et fratres eius transacta die Veneris con-
summarunt, episcopum Forsimphroniensem vocavimus, quem verba stolidi proferentem
custodie dedimus carcerali. Et, quia non potest currere apud nos libere inquisitio contra eum, si
posses eum et secure recipere et tenere securum, eum tibi libentissime traderemus, ut contra eum
inquirereres, ubi posset suorum scelerum, que prorsus infitatur ut innocens, veritas inveniri. Ap-
pellationes, de quibus memoriale dedisti, procedere libere prohibemus et ad te remittimus a tuis
iudicibus appellantes, dum tamen eos sine diffugiis facias expediri. Quod si per te non fieret,
admittere cogemur easdem. Procede viriliter contra Forsimphronienses et alios proditores et
terram animam, quia Deus benefaciet nobis et ipsis. Tempus enim propinquare credimus, quo de
credentium finibus perfida debeat gens auferri. De mittendis paucis ambassiatoribus Marchie
bonum credimus, quamquam non noceat aliquantulum retardari. Cum enim fratrum nostrorum,
quos ad Urbem transmisimus, litteras receperimus, consilium tibi certius rescribemus.

Datum Perusii, VI Kalendas Iunii, anno I.

19.

*Clemens IV. an Erzbischof (Raimundus) von Sevilla: gebietet ihm, mit König (Alfons X.) von Kastilien
und León, erwählter römischer König, wegen der unrechtmäßig von den Kirchen in seinem Herr-
schaftsbereich erhobenen Abgaben und wegen der römischen Königswürde zu verhandeln.*

O. D.

Archiepiscopo Yspalensi.

Cum sit nobis cordi et olim fuerit carissimum in Christo filium nostrum illustrem regem
Castelle et Legionis, in regem Romanorum electum multis donis insignibus a patre luminum
predotatum a perditionis via retrahere et ad iter dirigere salutare, hoc precipue tempore ad id
credimus laborandum, quo eo purgator debet incedere, quo graviora flagella sustinet et inter
dubios bellorum eventus esse debet paratior, ne in eius lateat conscientia, quod divine possit
offendere perspicacem intuitum maiestatis. Hinc est, quod illam rapinam vilissimam tam damp-
nabilem quam dampnosam, cui, nescimus, quo spiritu, tam ardentem incubuit, de tertia videlicet
fabricali, quam annis pluribus subtraxit ecclesiis terre sue, volentes modis omnibus spoliatis

earundem rectoribus resignari per clausas litteras tibi scribimus, que nequaquam patentibus diximus inserenda, fraternitati tue per apostolica scripta mandantes, quatenus, sicut sedis apostolice gratiam caram habes, prudenter negotieris cum ipso et, antequam litteras deducas in publicum super decima tibi missas, proponas ei simpliciter et secreto, quod cum peccato notorio et mortali, cum quo dampna ecclesiarum continue perseverant, petitam gratiam de subsidio ei facere salva nostra honestate non possumus, immo nec sine scrupulo conscientie, cum sit indecens et indignum, quod spoliatori subsidium conferant spoliati, et sic induces eundem ad ea, que nobis tacentibus facere teneretur. Quis enim sapiens bellico se committit discrimini, cui conscientia bellum intestinum indicit? Quod si ad hoc eum inducere non poteris, melius est suppressi litteram super decima impetratam quam post publicationem eiusdem executionem omitti.

Rursum volumus et mandamus, ut, cum tibi visum fuerit oportunum, familiariter conferas cum eodem, ut honesto modo a negotio Romani imperii discedere sibi placeat, ex quo multa subiit onera nec aliquem reportavit honorem. Nec est levis offensio Salvatoris impeditum tenere negotium, ex quo fructus aliquis non speratur, tale tantumque presertim, quo bene disposito refloreret procul dubio status orbis, quo in sua desolatione manente naufragatur ex parte maxima populus christianus. Nec agimus de eius adversario preferendo, qui captivus ab alio detinetur, sed de tertio potius ad exaltationem fidei assumendo cum nostra, prout iuris est, providentia, quem timemus a principibus Alamannie contra Deum in sedis apostolice prejudicium ipsiusque regis et adversarii contemptum non tam eligi quam intrudi. Quicquid autem super hiis feceris vel inveneris, nobis rescribere sine more dispendio non postponas caute processurus in omnibus iuxta peritiam, quam a Domino credimus tibi datam.

20.

Clemens IV. an R(iccardo Annibaldi,) Kardinaldiakon von Sant'Angelo: tadelt ihn, weil er seine Kompetenzen überschritten habe; setzt auf seine Bitten hin den Prozeß des M(atteo Rosso Orsini,) Kardinaldiakon von Santa Maria in Porticu, Rektor des Patrimonium Petri, gegen die Kommune von Civita Castellana aus.

1265 Juni 17, Perugia

Dilecto filio R(icardo) sancti Angeli diacono cardinali.

Nec nostrum nec tuum honorem sapiunt nostro iudicio littere, quas misisti, quibus fideles nominas manifestos ecclesie proditores et falsum esse credis, ut asseris, quod esse notorium communis relatio asseverat, nec illud, ut credimus, inserere debuisses, quod in terra, in qua totum regimen tibi competit, nulla per alium rectorem vel vicarium iurisdictio debeat exerceri, cum in eos, qui nostram maiestatem offendunt, nobis liceat et per nos et per alium apostolice sedis iniurias vindicare, quamvis communes redditus, quos habemus alicubi, concesserimus cardinali, quem non in equalitatem potestatis admittimus, sed emolumento potius temporali non sine honoris participio stabilimus. Sane, ne tuis precibus, que ad gratiam declinabant, deesse totaliter videremur, dilecti filii nostri M(athei) sancte Marie in Porticu diaconi cardinalis, Patrimonii beati Petri rectoris sui que vicarii processum suspendimus usque ad nostre beneplacitum voluntatis et interim ad Civitatem Castellanam mitemus inquisituri super obiectis plenius veritatem, quam, si, prout notoria dicitur, invenerimus, iuste, quod iustum fuerit, prosequemur non rigori per omnia, sed equitati potius inhesuri. Illud quidem dolentes subiungimus, quod, qui tuo vel tuorum subsunt regimini, gravius ceteris nos offendunt, et, ne longe petantur exempla, Cornetum,

Spoletum et Castellana Civitas hoc testantur, ut de Petro de Vico et personis aliis singularibus taceamus, que quam graviter nos offenderint, non ignoras.

Datum Perusii, XV Kalendas Iulii, anno I.

21.

Clemens IV. an (Karl von Anjou,) Graf der Provence: tadelt ihn, weil seine Leute in den Lateranpalast eingedrungen seien.

1265 Juni 18, Perugia

Dilecto filio nobili viro comiti Provincie.

Etsi personam tuam sincere ac tenere caritatis brachiis amplectamur, silere tamen non possumus, cum commisse nobis ecclesie pericula cernimus imminencia, et malumus *obstare principiis*¹¹ quam post causam remedium querere vulneratam. Attemptasti sane pro tue libito voluntatis et forsitan alicuius necessitatis intuitu, quod nullus principum devotorum hactenus attemptavit, dum gens tua Lateranense palatium tuo mandato, ut dicitur, indecenter intravit, quamquam a quibusdam dicatur, quod alicuius auctoritatem habuit vel assensum, cui nec de iure nec de nostro beneplacito potestas in hoc aliqua competeat. Et, licet iam tue littere continerent, quod confidens de nostra gratia facturus eras, quod tamen iam feceras, hoc scire te volumus et pro certo tenere, quod numquam nobis placere poterit senatorem Urbis quantecumque celsitudinis, quantumque favore sit dignus, in alterutro palatiorum nostrorum in Urbe moram trahere, cum et futuro prospicere velimus discrimini et ecclesie, cui presidemus immeriti, preminentiam singularem nolumus nostro tempore deici, per te maxime, quem ad eius exaltationem vocavimus et honorem. Tu ergo, dilecte fili, hoc moleste non ferens constitutus in Urbe, que tot abundat domibus spatiosis, ad locum alium conferre te satage. Nec te dicas de nostris domibus inhoneste deiectum, sed potius honestati tue consultum, si te nostre voluntati contemperas, que nec levi precipitatur iudicio nec ad tuam declinat iniuriam utens ex causa tam necessaria iure suo, cum nec tibi placere debeat pro tua utilitate tam modica nos ingens et irreparabile subire discrimen. Demum super eo, quod quatuor fratribus committeremus negotium quinto ab Urbe volente recedere, priusquam id peteres, feceramus. Et, quamvis nostri in te reficerentur oculi, quia tamen excusationem tuam intelleximus esse iustam, quod tibi est utilius, nobis acceptius esse debet.

Datum Perusii, XIII Kalendas Iulii, anno I.

22.

Clemens IV. an Sicardus Alemanni: verzichtet auf seine Dienste.

1265 Juni 20, Perugia

Dilecto filio nobili viro Sicardo Alemanni.

Tue devotionis litteras certa veteris affectionis indicia, quam ad nostram personam ab olim habuisse dignosceris, preferentes gratanter accepimus et obsequii promptitudinem, quam nobis pariter obtulisti. Sane, cum tempora sint turbata et vie ad nostram presentiam multis obstaculis

¹¹ Ov. rem. 91.

impedite, labori tuo parcimus, cui, si nostra necessitas id requireret et oportunitas temporis hoc haberet, minime parceremus.

Datum Perusii, XII Kalendas Iulii, anno I.

23.

Clemens IV. an S(imone Paltinieri,) Kardinalpriester von San Martino, Rektor im Herzogtum Spoleto und in der Mark Ancona, apostolischer Legat: freut sich über den Ausgleich mit Recanati und darüber, daß der Verrat des Bischofs von Fermo aufgedeckt worden sei; fordert ihn auf, sich um die Vergrößerung des militärischen Aufgebots zu bemühen; sagt ihm die Anweisung von Geld zu.

1265 Juni 20, Perugia

Dilecto filio S(imoni) tituli sancti Martini presbytero cardinali, ducatus Spoleti et Marchie Anconitane rectori, apostolice sedis legato.

Inter leta et tristia, que promiscue nobis scribis, superabundans letitia nos exhilarat, dum e celo datur tibi victoria *a principe regum terre, qui terribilis*¹² apud omnes non in exercitus multitudine, sed *in sui virtute brachii deponit adversarios*¹³ *spiritum miscens vertiginis in medio eorundem*¹⁴. Multum siquidem de Recanato gaudemus, sed non minus de Firmani episcopi proditione detecta, quem Domino concedente ad extremum deducemus opprobrium pro suorum exigentia meritorum. Mitte igitur ad nos capellanum eiusdem episcopi vel tu sub fida custodia et firmis vinculis tene ipsum. Tuam etiam auge masnatam, et nos tibi Perusii de paupertate nostra faciemus quatuor milia librarum huius monete tenuis assignari. Sane scire te volumus, quod ambassiatores Auximi et Montis Sancti aut male intellexerunt, quod diximus, aut tibi mendaciter retulerunt. Numquam enim te diximus aliquam habuisse pecuniam, sed hoc nos dixisse meminimus, quod, cum nichil de Marchia haberemus, incessanter expendere et nichil recipere erat nobis plus oneri quam honori. De treuga vero Recanatensium et aliorum, nisi tu aliter sentias, credimus expedire, quod fiat.

Datum Perusii, XII Kalendas Iulii, anno I.

24.

Clemens IV. an R(iccardo Annibaldi,) Kardinaldiakon von Sant'Angelo: mahnt ihn, zum Kardinalskollegium zurückkehren, um seinen Rat hinsichtlich der Unruhen im Heiligen Land und in Spanien zu erteilen.

1265 Juni 21, Perugia

Dilecto filio R(icardo) sancti Angeli diacono cardinali.

*A quatuor angulis domus Iob altera ecclesia sancta concutitur*¹⁵, et aggravatis rumoribus de Terre Sancte et Yspanie multiplicatis periculis ignoramus, quid agere debeamus. Ut tamen, quod in

¹² Ps. (G) 75,13.

¹³ Ps. (G) 88,11.

¹⁴ Isai. 19,14.

¹⁵ Iob 1,19.

nobis est, faciamus, discretionem tuam rogandam duximus et hortandam, quatenus, si sine persone discrimine potest fieri, redeas ad collegium nobiscum coram Domino ploraturus et daturus consilium, quod tibi magni consilii angelus inspirabit. Quod si tibi salutis proprie cernis imminere discrimen, super quo te tue relinquimus conscientie, malumus te carere ad modicum quam in longum. Tu tamen ita tue necessitati provideas, ut ea per Dei gratiam relevata ad nostram reverti presentiam, quam cito celerius poteris, non omittas.

Datum Perusii, XI Kalendas Iulii, anno I.

25.

Clemens IV. an Erzbischof (Raimund) von Sevilla: trägt ihm auf, mit König (Alfons X.) von Kastilien und León über die Einziehung des Kirchenzehnten, der zur Bekämpfung der Mauren dienen solle, zu verhandeln; erteilt entsprechende Anweisungen für sein Vorgehen in Portugal.

1265 Juni 23, Perugia

Venerabili fratri archiepiscopo Yspalensi.

Desiderantes carissimo in Christo filio nostro regi Castelle ac Legionis illustri contra Sarracenorum insidiosos insultus, qui malitie innate conceptum producentes in actum captata oportunitate terram regis eiusdem nuper invadere presumpserunt, remediis, quibus possumus, subvenire tibi per nostras sub certa forma litteras duximus committendum, ut decimam omnium proventuum ecclesiasticorum tam in subiectis regi eidem quam in Portugalie regnis servato tamen moderamine, quod tibi per alias exprimemus litteras, usque ad certum tempus colligere ac ipsi regi assignare curares. Ut igitur moderamen huiusmodi tibi plenius innotescat, illud tibi presentibus explicamus.

Volumus itaque, quod ante omnia paterne memorato regi exponas, quomodo in anime sue dispendium et fame nichilominus detrimentum, sicut olim in minori officio constituti sue consideratione salutis et honoris obtentu ei scripsisse meminimus, tertiam eorundem ecclesiasticorum proventuum recipit ad ecclesiarum fabricam deputatam, et ipsum sollerter inducas, quod tibi nomine nostro et ecclesiarum regnorum predictorum expresse promittat et litteras super hoc patentes exhibeat, quod exacto predicto tempore ad colligendam prefatam decimam prefinito tam ab ipsius decime quam a prefate tertie perceptione omnino desistet et ecclesias ac loca, de quorum proventibus decima ipsa percipitur et ad que dicta tertia pertinet, super eisdem tertia et decima extunc nullatenus molestabit. Concedimus tamen, quod post promissionem et litterarum concessionem huiusmodi tertiam eandem per totum idem tempus libere percipiat et omnia, que hactenus percepit ex illa, in instantis negotii subsidium licite convertere valeat nec ad ipsorum restitutionem aliam teneatur. Quod si promissionem huiusmodi tibi facere suasque dare litteras super illa vel grave vel indecens sibi dixerit vel crediderit, nichilominus ad decime collectionem procedas et eam eidem assignes, sicut in alia littera, quam tibi mittimus, super ea plenius continetur, denunciaturus eidem, quod, quecumque de tertia fabricali ultra tempus gratie sibi facte percepit, hactenus male retinet et, que percipit, non sunt sua nec etiam sua faciet, que percipiet in futurum. Nec possumus non timere, quin hec et hiis similia multum possint, quod avertat Altissimus, suis profectibus adversari.

In prefato vero regno Portugalie te de collectione huiusmodi decime nullatenus intromittas, si carissimo in Christo filio nostro regi Portugalie illustri ad presens in eodem regno suo guerra contra Sarracenos immineat aut in proximo imminere verisimiliter timeatur vel si forsitan idem rex Portugalie prefatum memorati regis Castelle negotium assumat personaliter aut eidem in hoc

competens subsidium, prout eiusdem negotii qualitas exigit et ipsum regem Portugalie decet, impendat.

Datum Perusii, IX Kalendas Iulii, anno I.

26.

Clemens IV. an A(nnibaldo Annibaldi,) Kardinalpriester von Santi Apostoli, R(iccardo Annibaldi,) Kardinaldiakon von Sant'Angelo, (Giangaetano Orsini,) Kardinaldiakon von San Nicola in Carcere Tulliano, und (Giacomo Savelli,) Kardinaldiakon von Santa Maria in Cosmedin: überläßt es ihrer Entscheidung, ob sie zu ihm kommen oder in Rom bleiben wollen, um dort K(arl) von Anjou zu unterstützen.

1265 Juni 27, Perugia

Dilectis filiis A(nibaldo) basilice XII Apostolorum presbytero, R(icardo) sancti Angeli, I(ohanni) sancti Nicholai in Carcere Tulliano et I(acobo) sancte Marie in Cosmedin diaconis cardinalibus.

Affectantes vos personaliter esse nobiscum, quia delectabilis plurimum nobis est vestra presentia et ecclesie multipliciter fructuosa, pridem vobis scripsimus, ut negotio regni Sicilie in persona dilecti filii nobilis viri C(aroli) Andegavensis ac Provincie comitis consummato ad nos, cum grandia et gravia nunc sedi apostolice immineant, ad comportandum una nobiscum incumbentis nostre debilitati universalis sollicitudinis onera rediretis, sed idem comes attendens vestram in Urbe moram esse sibi et suis ad magnum solacium et vigorem et ad ipsius negotii adiutorium et profectum penes nos institit et insistit, ut considerato suo statu, cum vos ei sitis salubre consilium, favor validus, iuvamen efficax, recta via, mandemus vobis, quod remaneatis in Urbe ipsa et ad nos modo, ne tanto ipse destituatur auxilio et ne tot ei subtrahantur commoda, minime redeatis. Pensantes igitur, quantum est ecclesie utile, quod nobis presentialiter assistatis, maxime pro difficultibus et arduis, in quibus vestra oculata circumspectione ac profunda industria nimium indigemus, pensantes etiam, quantum nunc expedit ipsum comitem vestra confortari et roborari presentia dictumque negotium vestro magisterio dirigi et disponi, et considerantes, quod, si ad vestrum intendimus reditum, de multa versus eundem comitem duritia et inhumanitate notamur multumque dicimur ipsi negotio derogare et, si forte innuimus vel suggerimus vobis moram, videmur eidem sedi oportuna subtrahere consilia magnumque inferre confluentibus ad ipsam undique negotiis nocumentum et personas vestras exponere flammivomis Romani aeris ardoribus consuetis pro corruptionis suspicione vitari, deliberamus et eligimus in hac meditatione sic implicita et perplexa, quod nullam in hiis vobis imponamus necessitatem, sed totum vestro arbitrio relinquamus, ut prospectis diligenter omnibus, sicut decet, ad moram vel reditum flectamini, sicut vultis. Vos itaque provide attendentes, que tam circa dictum comitem et suos quam circa ipsum negotium, quod plene novistis, fuerint attendenda, et super hiis sollicite conferentes morimini vel revertamini pro vestre beneplacito voluntatis.

Datum Perusii, V Kalendas Iulii, anno I.

27.

Clemens IV. an Olivarius de Terminis: lobt seinen Entschluß, den Lebensabend im Heiligen Land zu verbringen.

1265 Juni 28, Perugia

Dilecto filio nobili viro Olivario de Terminis.

*De igne torris erutus*¹⁶ Terram Sanctam sicut vir strenuus ab adolescentia tua bellator adisti, ubi vitam tuam finire disponens vite mercaris aditum melioris. Laudamus tuum, fili, propositum et admissio subdimus calcar equo¹⁷ tuam sinceritatem hortantes, quatenus illius sanguinem ante oculos mentis habens, qui tanto pretio nos redemit, tuum pro ipso fundere, si res exigat, non formides sicque crucis negotium prosequaris, ut in huius vite miseria *Christo cruci confixus*¹⁸ et sue particeps *passionis* efficiaris in gloria *socius*¹⁹ crucifixi.

Datum Perusii, IIII Kalendas Iulii, anno I.

28.

Clemens IV. an Podestà, Rat und Kommune von Città di Castello: gebietet ihnen, Boten zu ihm zu entsenden, um wegen eines Friedens mit den Markgrafen von Montemigiano und anderen Personen, die aus der Stadt vertrieben worden seien, zu verhandeln.

1265 Juli 1, Perugia

Potestati, consilio et communi Castellaniensi spiritum consilii sanioris.

Cum nos diu per verba traxeritis fundamento carentia veritatis, experiri volentes, an adhuc obedire velitis, vobis districte precipiendo mandamus, quatenus infra diem Iovis proximam vel saltem in ipsa ad nostram presentiam destinetis personam vel personas sufficienter instructas ad treugam faciendam et firmandam idoneis cautionibus inter vos et viros nobiles marchiones de Monte Misano et alios exules civitatis vestre. Alioquin extunc contra vos, prout expedire viderimus, temporaliter et spiritualiter procedemus.

Datum Perusii, Kalendis Iulii, anno I.

29.

Clemens IV. an M(atteo Rosso Orsini,) Kardinaldiakon von Santa Maria in Porticu, Rektor des Tuszischen Patrimoniums, apostolischer Legat: übermittelt Aufträge und Informationen hinsichtlich der Städte Todi, Orte und Città di Castello sowie der Befreiung des Grafen von Anguillara.

1265 Juni 30, Perugia

¹⁶ Zach. 3,2.

¹⁷ Vgl. Ovid, ars amatoria 2,732; epistolae ex Ponto 2,6,38.

¹⁸ Gal. 2,19.

¹⁹ 2. Cor. 1,7.

Dilecto filio M(atheo) sancte Marie in Porticu diacono cardinali, Patrimonii beati Petri in Tuscia rectori, apostolice sedis legato.

Cum Tudertinis agere poteris, sicut videris expedire. Quod enim diximus de dissimulando in tempus, bonum credimus et, quantum in nobis est, sententiam non mutamus. Sed, quia tu condicionem civitatis et civium tueque potentie nosti melius, te tue dimittimus libertati. Sane Ortani a Bertoldo vicario tuo male se conqueruntur tractatos, et, si vera sunt, que dixerunt, non solum male cum eis actum esse dignoscitur, sed etiam inhoneste. Petuntur etiam insuper ab eisdem fideiussores, quos parati sunt dare, ut dicunt, dum tamen vel in civitate recipiantur eorum vel detur eis securus adventus ad vicarium et reditus ab eodem, cum suspicionem ingesserit, quod in concives inordinate extitit attemptatum. Unde discretionem tuam rogandam duximus et hortandam, quatenus cum omni dulcedine prosequaris iustitiam nec tuos ad libitum debacchari permittas, cum interdum inordinatio modica magnum processum maculet et longam rerum seriem particule vitium decoloret. Adhuc placet suspendi negotium Castellani. Quem enim ad te mittere destinavimus ex causa, retinimus propter quorundam nuntiorum adventum, sed cito per te transitum est facturus. Comitem Anguillarie letanter et cum honore recepimus preteritis compatiens angustiis et de sua liberatione gavisus, quem et diligere volumus et eiusdem assistere commodis et honori.

Datum Perusii, II Kalendas Iulii, anno I.

30.

Clemens IV. an Guido, Kardinalpriester von San Lorenzo in Lucina, apostolischer Legat: gebietet ihm, sich zum nächsten Generalkapitel der Zisterzienser zu begeben und dort den Widerstand innerhalb des Ordens gegen einige päpstliche Verfügungen auszuräumen.

1265 Juli 3, Perugia

Dilecto filio Guidoni tituli sancti Laurentii in Lucina presbytero cardinali, apostolice sedis legato.

Inter dilectos filios abbates et fratres alios Cisterciensis ordinis gravi dissensione suborta, que maculam non mediocrem in eiusdem ordinis gloria ponere videbatur, nos, qui nuper in minori officio constituti eorundem compatiebamur angustiis et scissuris, mox, ut Dei disponente clementia ad summi fuimus apostolatus apicem evocati, cor nostrum dedimus ad reformandam in ordine supradicto in pacis vinculo spiritus unitatem sicque periculis obviavimus animarum, ut, que priscis simpliciter observata temporibus modernorum subtilitas nube quadam dubietatis obvolverat, nostre diffinitionis luculento tenore firmata nec scrupulum ambiguitatis admittant nec simplicibus oculis materiam offerant questionis. Licet autem circa diffinitores capituli generalis aliqua provide statuerimus, que dilectorum filiorum Clarevallensium et quorundam aliorum abbatum, ut dicitur, animos turbaverunt, nos tamen, ut eorum desiderium impleamus, aliqua circa hoc ordinavimus, que viris providis et discretis, quos secundum cor nostrum elegimus, duximus committenda et in instanti generali capitulo explicanda, que turbatos placare poterunt et satisfacere, nisi fallimur, quibuscumque quantumlibet importunis. Cum igitur et te ordo nutrierit et in eo successivis proficiens incrementis pater fueris omnium aliorum, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus in tuorum remissionem peccaminum ad instans proxime capitulum generale te conferens iuxta datam tibi a Deo peritiam salutaria verba proponas ibidem, que pacem nutriant inter ipsos, et attente provideas, ut processus totus capituli sit pacificus, et,

si qui fuerint cervicosi vel in verba proruperint indecentia, libere *corripias inquietos*²⁰, et, si tibi restiterint insolenter, per censuram ecclesiasticam, penas etiam depositionis ab officiis, si hoc videris expedire, compescendi eosdem auctoritate presentium plenam et liberam tibi concedimus facultatem.

Datum Perusii, V Nonas Iulii, anno I.

31.

Clemens IV. an den Elekten M(anfredus Roberti) von Verona: gebietet ihm, den durch den Archidiacon von Vich im Auftrag König (Jakobs I.) von Aragón mit Manfred von Sizilien ausgehandelten Bedingungen zuzustimmen, wonach er aus dessen Haft freikommen könne.

1265 Juli 7, Perugia

Dilecto filio M(anfredo) Veronensi electo.

Inter cetera, que te reddunt Deo et hominibus commendabilem, illud non mediocriter est laudandum, quod sicut verus et constans filius *disciplinam* Domini non abiciens portasti sine murmure *virgam*²¹ eius et, *sicut aurum in fornace probatum*²² *ad purum excoquitur*²³, sic in tribulationis multiplicis conflatorio examinatus ad plenum omni *semota rubigine* te ipsum Domino *vas purissimum*²⁴ obtulisti. Sane, licet tibi superesset certissimus ex huiusmodi temptatione proventus, nos tamen tuis compassi languoribus et erumpnis semper parati fuimus vias exquirere, quibus tuam possemus personam squalore carceralis custodie relevare, sed, cum nostrum ad hoc non sufficeret studium, sicut illi placuit, in cuius manu sunt *corda regum*²⁵, carissimus in Christo filius noster illustris rex Aragonum tue compatiens probitati et in tua liberatione, quam impetrat, nobis placere desiderans pro eadem feliciter consummanda misit dilectum filium archidiaconum Vicentinum in multis laboribus et expensis, qui sui iam fructum laboris obtinuit, si tamen caveris, quod viro nobili M(anfredo) quondam principi Tarentino nec in terra, quam tenet in regno Sicilie, ducatu Apulie et Capue principatu, nec in terris aliis ubicumque te cum armis opponas nec ducatum vel capitaneatum masnate militum vel exercitus cuiuscumque recipias contra ipsum. Nos igitur, quia te tanti cordis et fidei esse credimus, quod hoc sine nostra licentia forsitan non promitteres, discretionis tue per apostolica scripta in virtute obedientie et sub pena nostre gratie in perpetuum amittende districte precipiendo mandamus, quatenus iuxta consilium prefati archidiaconi Vicentini pro tua liberatione complenda dictam exponere cautionem additis et deductis, que ipse dixerit vel dictaverit, et proprii iuramenti religione firmare nec differas nec postponas. Satis enim in armis parcere tibi possumus, in quorum exercitio sic te reddidit magnanimitas virtuosum, sic ostendit experientia diligentem, ut amodo tamquam miles emeritus non ignavus ad labores alios valeas reservari nec marcere apud nos otio verearis, cum multi nobis casus immineant sub diversis mundi climatibus, in quibus circumscriptis armorum fragoribus devotos nostros possumus exercere.

Datum Perusii, Nonis Iulii, anno I.

²⁰ 1. Thess. 5,14.

²¹ Prov. 22,15, 23,13.

²² Prov. 27,21, Sap. 4,6.

²³ Isai. 1,25.

²⁴ Prov. 25,4.

²⁵ 1. Esdr. 7,27.

Clemens IV. an König K(arl I.) von Sizilien: freut sich über seine soeben erworbene Königswürde und baut auf die Unterstützung, die er von seiten König (Ludwigs IX). von Frankreich erwarten dürfe; beantwortet seine Anfragen hinsichtlich eines zu wählenden Vikars in der Campania, in Rom einzutreibender Darlehen, eines Briefes an den König von Frankreich und der Lage im Heiligen Land.

1265 Juli 11, Perugia

Carissimo in Christo filio C(arolo) regi Sicilie illustri.

Tue magnitudinis nobis littere per nostrum nuper nuntium assignate regii nominis novum titulum et excellentie regalis solium exterioribus oculis offerentes totum nostrum interiorem hominem tanto gaudio perfuderunt, ut levatis in celum manibus dicere Domino cogermur: „*Confirma, Deus, hoc, quod in nobis es operatus*²⁶.“ Sane confidimus in eodem, cuius *perfecta sunt opera*²⁷, quod tue promotionis initia successu firmaturus optato *corroborabit in iudicio et iustitia regnum tuum*²⁸, *hostes sub pedibus tuis conteret*²⁹ et tibi barbaras subiget nationes. Si igitur tam felicibus tuis auspiciis non tibi subito cuncta cedunt ad votum, si que forsan difficultates se ingerunt, numquam tuus deiciatur animus, numquam tua langueat animositas, numquam tua nutet soliditas, numquam concidat vultus tuus. Sic enim Dominus semper cum filiis agere consuevit prius eis ostendens aspera, prius dura, ut eo gratior sit subiuncta prosperitas, quo perplexior eam precesserit difficultas.

Veniunt quidem rumores prosperi de partibus transalpinis, quorum, licet auctoritatis mediocris videri possint emulis relatores, multiplicatio fidem facit, et ex natura negotii redduntur credibilia testimonia eorundem una voce clamantium, quod Francia tota se preparat, tota Provincia se accingit quodque carissimus in Christo filius noster rex Francie illustris fratris ad te gens affectum, sed excedens officium pro te factus est predicator barones et alios ad tuum subsidium excitans et invitans, nec dubium, quin suum adhibeat, ut efficacius exigat alienum. Nos autem in te ecclesiam Dei sponsam multis sperantes honoribus sublimari, sicut primordiis tue promotionis asstitimus, sic et futuris profectibus ex affectu proponimus non deesse.

Quod igitur postulasti de vicario in Campania novo creando, iuxta tuum beneplacitum adimpletur. Mutuum queri facimus, quantum possumus, nostris et tuis interpositis prosenetis, quod quia, quantum vellemus, hic posse non credimus inveniri, vide, fili, quid in Urbe poteris reperire, ubi sunt plures *abundantes in seculo multas divitias obtinentes*³⁰. Regi etiam fratri tuo scribimus, ut rogasti. Nec pro negotio Terre Sancte, quod in summo periculo cernimus, quicquam facimus, quod in nostri tuique negotii vergere valeat detrimentum. De aliis, que scripsisti, quod poterimus, faciemus, et, si vires beneplacito responderent, nichil nobis difficile, quod tibi saltem utile, videretur.

Datum Perusii, V Idus Iulii, anno I.

²⁶ Ps. (G) 67,29.

²⁷ Deut. 32,4.

²⁸ Isai. 9,7.

²⁹ Iudith 14,5, Rom. 16,20.

³⁰ Ps. (G) 72,12.

Clemens IV. an M(atteo Rosso Orsini,) Kardinaldiakon von Santa Maria in Porticu, Rektor des Tuszischen Patrimoniums, apostolischer Legat: trägt ihm auf, P(ietro) di Vico eine vorbereitete Eidformel schwören zu lassen; er werde ihn bewegen, sich von Manfred (von Sizilien) abzuwenden; teilt seine Überlegungen hinsichtlich des zwischen ihm und der Kirche umstrittenen Besitzes mit.

1265 Juli 11, Perugia

Dilecto filio M(atheo) sancte Marie in Porticu diacono cardinali, Patrimonii beati Petri in Tuscia rectori, apostolice sedis legato.

De nostrorum fratrum consilio, qui Perusii nobis assistunt, tuo etiam et aliorum absentium viro nobili P(etro) de Vico large sinum misericordie aperire volentes transacta proxime die Veneris Silvestri de Carbagnio procuratoris sui recepimus iuramentum in forma, quam sub bulla nostra dilectus filius P(etrus) Gimundi capellanus noster tibi offeret interclusam. Quam eisdem nobili et capellano presentibus testibus aliis nichilominus evocatis aperies et in forma subscripta procedes. Primo legetur eidem nobili procuratoris iuramentum et fideliter exponetur. Et ipse in manu tua idem faciet iuramentum et dabit fideiussores de contentis in eodem iuramento comprehendis et fideliter observandis sub pena trium milium marcharum. Et de hiis recipies fideiussores magis idoneos, quos habere poteris, et de numero tuo relinquimus arbitrio. Unam de roquis suis ponet in manu tua nostro nomine, quam tu elegeris, quamdiu nobis placuerit a nobis tenendam. Et hiis factis mittes eum ad nos per te nostro nomine ab excommunicationis vinculo absolutum. Et per eundem capellanum nostrum mittes nobis publicum instrumentum de huiusmodi securitate et processu tuo confectum.

Scire autem te volumus nostrum esse propositum dare ei mandata de abiurando Manfredo quondam principe Tarentino et omnes conventiones cum eo habitas, quas denunciabimus nullas esse, penitus abrumpendo, et quod ecclesie Romane nullo tempore se opponat nec eius inimicis scienter assistat, auxilium, consilium vel favorem impendat et quod nobis et successoribus nostris et Romane ecclesie perpetuo sit fidelis et ad hec omnia successores suos astringat et quod circa terram illam, de qua inter felicis recordationis Urbanum papam predecessorem nostrum et ipsum questio mota fuit, dictum nostrum, cui se stare iuravit, expectans nichil innovet, nullum pactum, nullam conventionem faciat cum quacumque persona quibuscumqueve personis sine nostra licentia speciali et quod iura beati Petri et nostra non impugnet in posterum, immo viriliter et ex fide defendat, etsi qua similia, que ad fidelitatis consolidationem pertineant, fratres duxerint adnectenda.

Sane providebimus eidem super penis et processibus inflictis vel habitis contra ipsum et illa specialiter et generaliter, prout ei utilius esse videbimus, prosequemur. De terra autem, quam dictus predecessor noster petiit, nichil diffiniemus, donec fratres affuerint, qui nunc absunt. Indigemus enim specialiter dilecti filii nostri I(ohannis) sancti Nicholai in Carcere Tulliano diaconi cardinalis consilio ad illam materiam ordinandam, super qua cum eo pluries habitus est tractatus. Sic tamen ordinabimus, quod maiori dominio penes ecclesiam remanente ipse sub honestis cautionibus terram ipsam cum utili dominio et pleno imperio sibi et suis successoribus retinebit. Credimus etiam ex hac suspensione sibi parari responsum tam ad interpellationem regis quam ad Romanorum clamorem, ut secure respondeat: „Pendet lis coram papa, et absolvi non potui, donec super ea iuravi stare mandatis eiusdem. Unde, donec me expedierit, facere cum aliis nichil possum, ne ad duas partes involvar. Sed tamen dixit michi papa, quod reversis ad ipsum fratribus, qui nunc absunt, mandata sua proferet super illa, et tunc liberius vobis potero respondere.“ Multi nobis iam obloquuntur, quod ad misericordiam tendimus dissolutam, sed novit Altissimus, quod

ex fide procedimus dantes aliquid, immo multum tempori et personis. Nec est, quod in hoc facto tantum nos terreat, quantum clamor illorum fidelium, qui in guerra eiusdem vel membris truncati sunt propriis vel propinquos amiserunt in bello vel in carceribus macerati redemptiones importabiles subierunt, quibus quid responderi valeat, ignoramus. Et, si tua discretio videat aliquod in hac parte remedium tam de hoc quam de aliis, que ad negotii instructionem pertinent, nos cura reddere certiores.

Datum Perusii, V Idus Iulii, anno I.

34.

Clemens IV. an Herzog Wladislaw von Schlesien, Propst von Visegrad: fordert ihn auf, vor ihm und den Kardinälen zu erscheinen.

O. D.

Dilecto filio Wadillavo iuveni duci Slenie, preposito Wisegradensi.

Cum nostris fratribus sis ignotus et ob multa, que nosti, nostra sit tibi presentia necessaria, expedire tibi non dubites te sine more dispendio nostris ac fratrum oculis presentari. Nec enim precipitare te volumus, sed potius sic tibi consulere, ut anime tue provideas et *domui possis disponere*³¹ et cum tua, si tibi placuerit, reverti ad propria libertate. Id tamen tibi credimus necessarium, ut duabus viis terram ingredi non disponas, ad rem certam alliges mentem tuam et militiam illam preferas, ad quam te Dominus, quantum exterioribus liquet indicii, multorum iudicio preelegit.

35.

Clemens IV. an die Dekane und Kapitel der Kirchenprovinz Reims: weist ihre Beschwerden zurück, daß sie zur Unterstützung des Heiligen Landes und König Karls (I.) von Sizilien durch den Hundertsten beziehungsweise den Zehnten sowie durch die Ausweitung des päpstlichen Legationswesens in Frankreich über Gebühr belastet worden seien; fordert sie auf, die Abgaben zu zahlen. – In erweiterter Form an die Kirchenprovinz Lyon.

1265 Juli 13, Perugia

Dilectis filiis decanis et capitulis ecclesie et provincie Remensis.

Dilectum filium magistrum Petrum Ambianensis ecclesie precentorem, procuratorem vestrum in nostra ac fratrum nostrorum presentia constitutum multa gravamina proponentem, quibus vos vehementer asseruit per sedem apostolicam oneratos, patienter audivimus et intelleximus diligenter, que tamen, sicut ab eodem prudenter fuere proposita, non repetimus, cum satis ostendat responsio propositionis substantiam, licet in omnibus eiusdem ordinem non observet. Fatemur sane Remensem ecclesiam et provinciam Romane ecclesie non mediocriter caras esse, quin potius ipsam eas inter sibi carissimas reputasse, quas utique spectabilium excellentia prelatorum, ceterarum nobilitas et scientia personarum, probata fides omnium, obsequiosa devotio singulorum, latitudo diocesum, temporalium eminentia principatuum, diversorum emolumenta proventuum sublimes dudum adeo demonstrarunt, ut ambigere nulli liceat *de rore celi et terre*

³¹ Isai. 38,1.

pinguedine eas ab olim et hodie benedictionem a Domino³² vel, ut loquamur verius, *benedictionum pluvias*³³ meruisse. Verum sanctissima sedes ista, cui licet immeriti presidemus, preventis a Domino tot benedictionibus filiabus carissimis non invidens, sed congaudens se semper, prout decuit, eis exhibuit favorabilem, in suis necessitatibus eis astitit, eas congruis exaltavit honoribus et suis privilegiis communivit Petri gladium in adversarios earum exercens et tyrannorum rabiem ecclesiastica censura compescens. Hec est sollicitudo pervigil matris vestre, hec affectionis sinceritas, hec caritatis sunt ubera, hec viscera pietatis, hec stillicidia gratiarum, quibus affluens mater ad filias, dum incessanter eisdem sue ministerium exhibet servitutis, si *spiritualia seminans*³⁴ metit pro tempore spicas aliquas temporalium, quod plerumque magis indicit necessitas quam voluntas, nec gravat nec spoliat nec dici debet a sapientibus onerosa.

Ut autem ad species descendamus, quis redemptus sanguine Salvatoris et in sortem eius assumptus sub characteris testimonio clericalis dicere debeat se gravatum, si iuxta felicis memorie predecessoris nostri Urbani providentiam centesimam suorum proventuum in subsidium conferrat Terre Sancte, quam sua Dominus in carne veniens honoravit presentia corporali, in qua evangelica verba tamquam vite perhennis semina publicavit, quam sui moriens aspersione cruoris voluit consecrare? Quanta tamen hunc levem articulum difficultas obsedit? Quot excursus sunt habiti, quot recursus, quot consilia refricata, vos nostis. Et nunc, quod dolentes referimus, probat exitus melius, quam vellemus. Si tamen Domino aliter complaceret, Dei, non hominum provisum fuisset consilio, ut terre dicte pararetur auxilium, cuius vicinum imminabat exitium illi notum, qui novit omnia, antequam fiant, cui nec preterita transeunt nec futura succedunt. Iam enim audisse vos credimus, que nuper in ea contigit, stragem populi christiani, subversiones castrorum per hostilem potentiam, que solito acris inardescens *absortis* pluribus *non miratur* sperans, quod totus noster populus transmarinus, quod absit, *influat in os eius*³⁵.

Additur tamen et nobis obicitur: „Si tolerabile videbatur imponi clero centesimam, ex hac causa decima superveniens quomodo non gravaret, cum levibus levia superaddita nedum gravia coniunctim onerent, que gravare non poterant sigillatim?“ Sed hec questio facile solvitur, si rei geste tempus et ordo pensentur. Idem siquidem noster pie memorie predecessor ecclesie sibi credite circumfluentes angustias et pressuras per dilectum filium nostrum S(imonem) tituli sancte Cecilie presbyterum cardinalem, legatum in Francia destinatum, virum nobis non utique ignotum nullaque ratione suspectum probate conversationis et vite multeque providentie ac industrie familiariter nobis exposuit, etiam viam, qua sibi consuli providebat per carissimi in Christo filii nostri C(aroli) ministerium tunc minori dignitate fulgentis, nunc illustris regis Sicilie, si tamen sibi daretur decima in subsidium expensarum, quarum immensitas necessaria ex condicione negotii poterat omnibus esse nota, vosque verbis eiusdem cardinalis auditis sicut devoti filii matris compatientes erumpnis in dandam decimam in pleno consilio consensistis vel aliis consentientibus tacuistis. Postquam tamen mortem nostri predecessoris audistis, per errorem opinione concepta, quod eiusdem cardinalis legatio exirasset, ad appellationis inane presidium convolastis. Iam quidem idem cardinalis in presentia nostra, cum tunc essemus in Francia in minori officio constituti, dicto Carolo nunc regi Sicilie Romanam ecclesiam obligaverat sub oculis solis huius et carissimi in Christo filii nostri Ludovici regis Francie illustris, aliquorum etiam prelatorum, et idem Carolus periculis omnibus pro devotione ecclesie liberaliter se exponens se Romane ecclesie obligaverat vice versa. Unde et nos ad officium apostolatus assumpti luce clarius intuentes, quod nulli penitentie locus erat nec, que provide facta fuerant, poterant sine magno status nostri discrimine et elusione fidelium et perpetuo huius sedis opprobrio retractari, per nostras mandavimus

³² Gen. 27,28, 27,39–40.

³³ Ezech. 34,26.

³⁴ 1. Cor. 9,11.

³⁵ Iob 40,18.

litteras integre solvi decimam factis et faciendis appellationibus non obstantibus, cum nec aliud temporis et negotiorum condicio pateretur. Latas autem sententias in rebelles, qui parere mallent humiliter quam perire, sine difficultate qualibet per cardinalem eundem voluimus et nunc volumus relaxari et super irregularitatibus, si que forsitan ex hac causa contracte fuerant, dispensari.

Quod autem de multiplicatione conquerimini transeuntium legatorum, excusant casus inevitabiles et necessitates diverse sepius, quam vellemus, in diversis provinciis emergentes, quibus consulere nos oportet, cum simus omnibus debitores. Nec possunt transvolare legati, qui per vos transeunt vel ad partes vestras ex necessaria causa divertunt, cum tamen vobis non debeat esse oneri presertim transitus cardinalium, quorum vobis iocundus, ut credimus, est occursum, qui ecclesie universali serviunt et nobiscum super se positum orbem portant. De nobis autem dicimus confidenter, quod per vos transitum facientes in nullius facie legimus, quod graves et ad videndum essemus, et, ut loquamur liberius, si cui gravamen intulimus, non minus affligebatur inferens patiente, cum ibidem mora prolixior visa nobis tunc sterilis mentem nostram acerrime cruciaret. Ceterum procurationum onera, quantum potuit, hec ecclesia relevavit, nam centesime collectores archiepiscopum Tirensem de centesima iussit vivere et missorum attendavit numerum nuntiorum. Et, ut brevius concludamus, filiorum pro viribus indemnitati consulens, quamvis sibi ab emulis non parcat, parcat tamen universis et singulis et devotis precipue, quantum potest.

Quocirca, *cum unum corpus in Christo et invicem membra simus*³⁶, membra quidem viva per gratiam, non emortua, non sit vobis onerosum nec pigrum compati patientibus, indigentibus fratribus subvenire nedum piissime matri vestre, que inserviens *pietati, non questui*³⁷, que Dei sunt, *querit assidue, non que sua*³⁸. Nos enim, o filii predilecti, licet eius vicem geramus in terris, qui universorum est Dominus, cui nichil datur aut redditur nisi suum, vestra spolia non inquirimus nec vestris cupimus carnibus saturari³⁹, sed assumptum pro Deo negotium nec volumus interrompere nec valemus. *Urgent enim nos Christi caritas*⁴⁰, zelus fidei, salus populi christiani, et, cum ad omnia vires nostre sufficere nequeant temporales, subventionem a membris accipimus, a quibus non maiorem compassionem exigimus, quam ad eos, prout novit *scrutator cordium*⁴¹, habeamus.

Datum Perusii, III Idus Iulii, anno I.

Scriptum fuit iuxta predictam formam in provincia Lugdunensi adiecto, quod infra sequitur: Solvite igitur in pace decimam, solvite pariter et centesimam omni diffugio, omni exceptione et omni contradictione et appellatione sublatis. Alioquin latas et ferendas sententias in rebelles non ea, qua iussimus, facilitate dissolvi volumus, sed usque ad satisfactionem condignam cum debito rigore iustitie inviolabiliter observari precipimus et mandamus. Quod quidem a vobis petitum fuerat, ut certam aliquam pecunie quantitatem vel pro tota provincia vel pro diocesibus singulis recipi mandarem, exaudire nequivimus, cum ex hoc evidens dicto regi Sicilie preiudicium pareretur, cui iam totam decimam dudum mandavimus assignari. De hoc tamen cum cardinali agendum est vobis, qui ad id forsitan inducere poterit collectores.

³⁶ Rom. 12,5, Eph. 4,25. Vgl. auch 1. Cor. 12,26.

³⁷ 1. Tim. 6,5–6.

³⁸ 1. Cor. 13,5. Vgl. auch Phil. 2,21.

³⁹ Vgl. Iob 31,31.

⁴⁰ 2. Cor. 5,14.

⁴¹ Sap. 1,6.

36.

Clemens IV. an S(imone Paltinieri,) Kardinalpriester von San Martino, Rektor des Herzogtums Spoleto und der Mark Ancona, apostolischer Legat: gratuliert ihm zum Sieg über Civitanova; gebietet ihm, Dokumente über das verräterische Verhalten des Bischofs (Gerardus) von Fermo zusammenzutragen; erteilt entsprechende Anweisungen hinsichtlich Bischof (Gentilis) von Fossombrone.

1265 Juli 14, Perugia

Dilecto filio S(imoni) tituli sancti Martini presbytero cardinali, ducatus Spoleti et Marchie Anthonitane rectori, apostolice sedis legato.

Succedentibus prosperis congaudemus, maxime per que superbia deprimitur hostium et corda fidelium roborantur, quod nuper accidit Civitatis Nove perfidis per gentem tuam magnifice superatis. Sane, quia Firmanus episcopus ad nos venit, ad cuius confusionem intendimus, quantum iustitia patietur, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus clericum eius in Monte Sancto detentum ad nostram mittas presentiam. Quod si fieri forte nequit, per loca Firmane diocesis, que tibi obediunt, quere diligenter et caute cum religiosiis et clericis quascumque litteras eiusdem episcopi missas ad eos occasione, quacumque poteris, invenire, ut ex comparatione ipsarum convincamus eius mendacium inverecunde negantis suam fuisse litteram proditoriam, quam dictus clericus deferebat, sed et articulos nobis mittas de diversis eius malitiis, proditionibus sive dolis, super quibus eum interrogare possimus, et, quas super eisdem probationes habeas, indilate rescribas. Idem de Forosimphroniensi dicimus, licet contra ipsum plures articulos habeamus a fratre M. *et cetera.*

Datum Perusii, II Idus Iulii, anno I.

37.

Clemens IV. an Bischof (Guglielmino degli Ubertini) von Arezzo: gebietet ihm, den Feinden der Kirche von seinem Besitz in Cortona und anderswo aus keine Hilfe zukommen zu lassen, sondern sich ihnen entgegenzustellen.

1265 Juli 14, Perugia

Episcopo Aretino.

Cum hostes ecclesie contra fideles nostros et terram in gravi multitudine parent exercitum, prout fertur, fraternitati tue per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatenus de Cortona et alia terra tua eisdem in armis vel victualibus vel quibuslibet rebus aliis nullum impendi permittas auxilium vel favorem, cum nedum ad ista, sed ad resistendum eisdem et iuvandos fideles eosdem, si se offert oportunitas, quam speramus, viriliter ac potenter intendere te velimus.

Datum Perusii, II Idus Iulii, anno I.

38.

Clemens IV. an M(atteo Rosso Orsini,) Kardinaldiakon von Santa Maria in Porticu, Rektor des Tuszischen Patrimoniums, apostolischer Legat: gebietet ihm auf Bitten König (Karls I.) von Sizilien hin, künftig nur noch gegen Corneto tätig zu werden, nicht aber gegen Orte und Todi.

1265 Juli 16, Perugia

Dilecto filio M(atheo) sancte Marie in Porticu diacono cardinali, Patrimonii beati Petri in Tuscia rectori, apostolice sedis legato.

Cum hostis erectis cornibus de die in diem Urbis partibus appropinquet, non expedit nostram turbari provinciam nec causam precipitii veris vel fictis fidelibus ministrari. Ecce Tudertini miserunt nuper Ortanis auxilium pollicentes plenius, si requirerent. Narnienses et Spoletani, licet non miserint, obtulerunt et ad id asserunt se paratos. Instat penes nos carissimus in Christo filius noster illustris rex Sicilie, ut omnes has exactiones conquiescere faciamus. Quocirca imminet contemplatione discriminum et precibus eiusdem regis inducti discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus solum factum Cornetanorum prosequens iuxta traditam tibi formam et cum omni mansuetudine non tamen penitus dissoluta contra Ortanos vel Tudertinos ulterius non procedas, donec aliud mandaverimus. Nec enim in hoc pendulo diu potest persistere principale negotium, quod si processerit, ut speramus, sine arcu et gladio corrigi poterunt corrigenda. Nec te moveat, quod preces regis a tuis forsitan emulis procurantur, nam et sine hiis idem tibi per omnia sic se rebus habentibus mandavimus.

Datum Perusii, XVII Kalendas Augusti, anno I.

39.

Clemens IV. an S(imone Paltinieri,) Kardinalpriester von San Martino, Rektor des Herzogtums Spoletto und der Mark Ancona, apostolischer Legat: verbietet ihm, gegen Urbino Krieg zu führen.

O. D.

Kopiale Überlieferung: Urbino, Biblioteca Centrale Umanistica, Ms. Urbino 28 S. 153 (1718, Pier-Girolamo Vernaccia, nach V1, digitalisiert).

Dilecto filio S(imoni) tituli sancti Martini presbytero cardinali, ducatus Spoleti et Marchie Anthonitane rectori, apostolice sedis legato.

Intelleximus et non modicum fuimus admirati, si tamen dictis veritas suffragatur, quod Urbinatibus guerram paras, cum tamen hoc tempore guerre nove non placeant, et in via precipue tam expectate militie quam hiis ad curiam venientibus et ab eadem redeuntibus oportuna. Unde tuam discretionem hortamur mandantes, quatenus, si est ita, mutato proposito *convertas gladium in vaginam*⁴², ut detur aliquid tempori et malignis subtrahatur occasio gravius malignandi.

⁴² 1. Paral. 21,27; Ioh. 18,11.

40.

Clemens IV. an Podestà, Capitano del Popolo und Kommune von Urbino: gebietet ihnen, S(imone Paltinieri, Kardinalpriester) von San Martino, (apostolischer Legat,) Genugtuung zu leisten.

O. D.

Kopiale Überlieferung: Urbino, Biblioteca Centrale Umanistica, Ms. Urbino 28 S. 153 f. (1718, Pier-Girolamo Vernaccia, nach V1, digitalisiert).

Dilectis filiis potestati, capitaneo et communi Urbinato.

Quia ea, de quibus scribitis, ignoramus, dilecto filio nostro S(imoni) tituli sancti Martini *et cetera* scribimus, ut, si quid habeat adversum vos, id nobis scribere non postponat a vestra interim molestatione desistens, discretionem vestram hortantes et monentes attente ac vobis per apostolica scripta mandantes, quatenus, si eundem in aliquo offendistis, humiliter et benigne satisfaciatis eidem. Si quid autem erit ambiguum, nos, postquam ad nostram fuerit perlatum notitiam, salutare favente Domino consilium apponemus.

41.

Clemens IV. an M(atteo Rosso Orsini,) Kardinaldiakon von Santa Maria in Porticu, Rektor des Tuszischen Patrimoniums, apostolischer Legat: er habe König (Karl I. von Sizilien) über die unzulänglichen Verhältnisse in Orvieto, Tuscania, Perugia und Viterbo unterrichtet.

1265 Juli 18, Perugia

Dilecto filio M(atheo) sancte Marie in Porticu diacono cardinali, Patrimonii beati Petri in Tuscia rectori, apostolice sedis legato.

Metuimus, quod tu metuis, et, quod extimas, suspicamur. Et ideo regi scribimus, ut animositatis sue progressum freno reprimat rationis. Et dilectis filiis nostris cardinalibus in Urbe morantibus damus nostris litteris in mandatis, ut ad id eum inducant efficaciter, prout eis Dominus ministrabit. Excusamus apud eundem Urbevetanorum angustias, Tuscanensium paupertatem, Perusinorum obligationem ad Urbevetanos emissam, Viterbiensium et similium tepidorum subterfugia, sicut possumus, coloramus. Et ex istis concludimus non mirandum, si de terra nostra minus habet auxilii, quam speraret, quod quanto erit exilius, tanto te minus decet ad Urbem accedere cum eodem.

Datum Perusii, XV Kalendas Augusti, anno I.

42.

Clemens IV. an (Annibaldo Annibaldi, Kardinalpriester von Santi Apostoli, Riccardo Annibaldi, Kardinaldiakon von Sant'Angelo, Giangaetano Orsini, Kardinaldiakon von San Nicola in Carcere Tulliano, Ottobuono Fieschi, Kardinaldiakon von Sant'Adriano, und Giacomo Savelli, Kardinaldiakon von Santa Maria in Cosmedin): mahnt sie, König K(arl I.) von Sizilien anzuhalten, sich nicht unvorbereitet in den Kampf zu stürzen, sondern die Verstärkung aus Frankreich abzuwarten.

1265 Juli 18, Perugia

Quinque cardinalibus, qui sunt in Urbe.

Carissimi in Christo filii nostri C(aroli) Sicilie regis illustris magnanimum laudaremus propositum, si prudente crederemus consilio solidatum, sed in illa spiritualium enumeratione donorum, quam propheta sapienter prosequitur sex prima collocans per binarios⁴³, iungit consilio fortitudinem premitens, dirigens ex sequenti, ut alterius roborata suffragiis nobilioribus honorentur effectibus, que, sicut societatis tam utilis emolumenta communicant invicem se iuvantia, sic plerumque vacua remanent et inania separata. Ecce scriptitat per Provinciam se in hostis occursum iturum, si contingat eundem egredi fines regni. Quod si de vestro procedit assensu, miramur plurimum et dolemus, si vel nostra sententia non requiritur vel contempnitur requisita. Stupemus itaque et confundimur nec levi timore concutimur, dum prospicimus tantum exponi negotium tanto discrimini sine causa. Si enim nullum expectaret a partibus transmontanis subsidium, si vicinia adversarii cogeret, color se aliquis excusationis offerret. Sed iam magnam militiam Albam venisse didicimus et adiectione continua venientium cumulari. Et tanta gens nec ad modicum expectabitur, cum strenuus miles unicus per dies plurimos consueverit a quingentis militibus expectari. Demus regem cum suo exercitu proficisci et illum adversarium vel Cellarum vel Vicovari fines cum suis bellatoribus attigisse. Habet, ut fertur, locorum situs, ut pugnet, si vulerit, et, si duxerit abstinentum, non est ad eum sine magno periculo amissionis accessus. Si ergo standum est regi nostro, *quis in solitudine tantam poterit multitudinem panibus saturare*⁴⁴, quis populum continere Romanum? Quin potius vel paucis ad reditum acclamantibus dictum facile multitudo sequetur, et puniri non poterit contumacia nec contemptum non parere impunita. Demum que verecundia regi nostro, si non exit ad hostem Urbis planitiem non intransentem, cum hoc fixum sit apud omnes, quod ad solam ostentationem accedit et, ut regem provocet ad egressum potius quam congressum. Hoc enim magnum esset in eius oculis, si videret a rege nostro in campis supervacue fatigari Romanos. Tunc enim sua dimissa militia ad suas rediret de more solito voluptates. Quocirca discretionem vestram rogandam duximus et hortandam per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus diligentius attendentes pondus negotii et sequelam cum eodem rege, cui super hiis scribimus, collatione habita eum moneatis et efficaciter inducatis, ne se ipsum precipitet et nos et universalem ecclesiam huic exponat discrimini, sed saniore fretus consilio superveniens expectans auxilium suam patiatu audaciam freno prudentie interim cohiberi.

Datum Perusii, XV Kalendas Augusti, anno I.

43.

Clemens IV. an König (Ludwig IX.) von Frankreich: mahnt ihn, König Karl (I.) von Sizilien für dessen Vorgehen gegen Manfred (von Sizilien) auf den nur zögernd eingehenden Zehnten ein Darlehen zu gewähren.

1265 Juli 18, Perugia

Illustri regi Francie.

Ad serenitatis tue notitiam pertulit iam saltem fama celerior, qualiter carissimus in Christo filius noster Carolus Sicilie rex illustris, germanus tuus volens, iuxta quod indicit sibi radicata sui

⁴³ Vgl. Isai. 11,2.

⁴⁴ Marc. 8,4.

generis bonitas et laudabilis in eo nutritura confirmat, Romanis, quibus se certo tempore venturum ad eorum regimen personaliter assumendum sub iurisiurandi religione promiserat, servare promissum ac desiderans tamquam benedictionis filius ecclesie occurrere dispendiis contra inimicos ipsius, qui pro libito in eius patrimonium crassabantur, nec hostis horrens insidias nec vitans pericula maris innumera, sed sub Dei fiducia et innate virtutis audacia incerto ventorum se committens imperio Romam sine pecunia et equis, cum decenti tamen hominum comitiva pervenit. Verum, sicut Pharaon contemptus surgit in scandalum⁴⁵, sic perditionis nutricius et iniquitatis alumpnus Manfredus quondam princeps Tarentinus videns ipsius adventum et previdens exinde se precipitio proximum et debite ruine vicinum ex eo spiritu nimis temerarie presumptionis assumpto, quod idem rex suum premissis ex causis iter accelerans venerat equis, ut premitteretur, et pecunia immunitus quodque militie regis eiusdem per eundem M(anfredum) variis impedimentis oppositis via non patet, nisi forsitan in magna multitudine veniat tunc, presertim cum auxilio Mediolanensium, facile transitura, vires suas conflavit in unum satagens memoratum regem vel per repulse opprobrium vel per conclusionis dispendium confundere in sinu ecclesie matris sue ac ipsam ecclesiam in eodem.

Ecce, fili, satis clamat ad te facti huius qualitas, satis etiam fratris caritas interpellat. Amanti enim sufficit nuntiare, sufficit, ut noveris tu, qui, quos debes amare, non deseris, sufficit, ut firmiter credimus, immo pro certo supponimus, matri tam pio filio suas necessitates exponere, sufficit fratri apud fratrem gerentem nichilominus erga se patris affectum talibus interpellare precibus et ipsum ad succursus accelerandi remedium taliter provocare. Accendatur itaque zelus filii, fratris et patris, nec in tanta necessitate affectio sic accumulata deficiat matri, filio et germano. Ad quod et nos ex intimo mentis affectu, quas possumus, deprecatorias persuasiones et persuasorias preces adicimus pietatem regiam monentes, hortantes et obsecrantes in Domino Iesu Christo ac in remissionem tibi peccaminum suadentes, quatenus predicta pia, qua decet, meditatione considerans memorato regi compatiaris et nobis ad subventionem ipsius et nostram modis, quos ad hoc utiles et efficaces fore putaveris, dexteram potentie regalis extendens. Et, cum particularis solutio decime in subsidium negotii, quod regi eidem imminet, deputate prosecutioni eiusdem negotii accelerationem omnimodam exigentis omnino non congruat, sed multiplicandarum expensarum discrimina et alia graviora pericula, que avertat Dominus, comminetur, placeat excellentie regie usque ad vires ipsius decime, que tuam non possunt latere notitiam, mutuuum prefato regi concedere integre ac sine dampno aliquo ex ipsa decima rehabendum sicque pie matris, cari fratris et filii succurrendo, quasi extremis necessitatibus et periculis occurrendo non tam memorato regi et nobis quam illi precipue fenerare pecuniam, a quo sperare debes te infallibilis promissionis *centuplum et eterne vite possessionem*⁴⁶ inextimabile quidem interusurium recepturum.

Datum Perusii, XV Kalendas Augusti, anno I.

44.

Clemens IV. an O(ttobono Fieschi,) Kardinaldiakon von Sant'Adriano, apostolischer Legat: warnt ihn davor, in England seine Zustimmung zu einem ungeeigneten Friedensvertrag zu erteilen, und beharrt darauf, daß (Simon de Montfort, Graf von Leicester,) des Landes verwiesen werden müsse; unterrichtet ihn, daß Manfred von Sizilien mit seinem Heer bis Celle vorgerückt sei.

1265 Juli 19, Perugia

⁴⁵ Vgl. Exod. 7–15.

⁴⁶ Matth. 19,29.

Dilecto filio O(ttobono) sancti Adriani diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Benedictus Deus, qui *vertiginis spiritum miscuit*⁴⁷ inter Anglicos, viam tibi preparans, que multis difficilis videbatur. Sic, sic, fili, operatur Altissimus, sic de sui profunditate iudicii negotia suscitans prefocata superbos deicit, erigit humiles in sublime, *qui revelat profunda de tenebris et abscondita producit in lucem*⁴⁸. *Ecce nunc tempus acceptabile*⁴⁹, ut *perditionis filius reveletur*⁵⁰, non ad populos comprimendos ut hactenus, sed ad sue prodicionis supplicia sustinenda. Curre igitur, fili carissime, propera, quantum poteris, nec te nimis teneat soli natalis allectiva dilectio. Tempus enim sine recuperatione pretervolat, et interdum hora plus die et plus anno dies efficere consuevit. Cave vero, cum veneris, ne dolosis tractatibus sub pretextu mansuetudinis indiscrete false pacis tractatus admittas, cum nulla Deo placere possit vel nobis, nisi dictus vir pestilens cum tota sua progenie de regno Anglie evellatur et angeli Sathane digna factis recipiant salva misericordia moderata. Statum tuum et commissi tibi negotii sepe scribere non postponas. Benedicat te Deus et dirigat iter tuum.

Manfredus cum suo exercitu Sarracenorum et infidelium aliorum venit Cellas. Et, si Urbi appropinquaverit, quod non creditur, timemus de congressu cum carissimo in Christo filio rege nostro, qui in hoc animosior, quam vellemus, nulla potest ratione compesci.

Datum Perusii, XIII Kalendas Augusti, anno I.

45.

Clemens IV. an Gi(angaetano Orsini,) Kardinaldiakon von San Nicola in Carcere Tulliano: empfehl ihm, wegen seines angegriffenen Gesundheitszustandes vorerst nicht nach Viterbo zu kommen.

1265 Juli 22, Perugia

Dilecto filio I(ohanni) sancti Nicholai in Carcere Tulliano diacono cardinali.

Qui tuas nobis litteras presentavit, nostrum exhilaravit animum, cum te fratresque tuos iam venisse Viterbium nuntiavit. Quia tamen apertis litteris intelleximus quandam te pati discrasiam, que tui continuationem itineris interruperat, compassi fuimus patienti et maluimus te ibidem usque ad plenam convalescentiam moram trahere quam cum aliquo tue sanitatis discrimine ad nostram presentiam properare. Expecta igitur, fili carissime, beneficium sanitatis ibidem, quam divine benedictionis et nostre munere absentes corpore, presentes spiritu subarramus missuri medicos, quos volueris, si eorum consiliis posse te credas citius liberari.

Datum Perusii, XI Kalendas Augusti, anno I.

46.

Clemens IV. an Erzbischof (Maurinus) von Narbonne: gebietet ihm, bei der Führung seiner Kirchenprovinz umsichtiger vorzugehen, wobei er besonders den Fall des Bischofs (Raimundus de Felgar) von Toulouse anspricht.

1265 Juli 22, Perugia

⁴⁷ Isai. 19,14.

⁴⁸ Iob 12,22, 28,11.

⁴⁹ 2. Cor. 6,2.

⁵⁰ 2. Thess. 2,3.

Archiepiscopo Narbonensi.

A nostra non excidit nec a tua credimus excidisse memoria, quanta te monuerimus diligentia inter tue promotionis initia, cum tunc minori officio fungeremur, omnia agere cum consilio, nichil ex levitate decernere et ante mentis oculos illud sepe revolvere, quod *inter munda animalia nullum recipitur, nisi ruminet et findat ungulam*⁵¹, quorum alterum ad deliberationis maturitatem alterum ad discretionis vigorem noscitur pertinere. Sane tu, prout dicitur, quod et dolentes accepimus, sic sententias tuas precipitas, quod nec cum laicis pacem habes nec cum fratribus et coepiscopis tuis, quam habere te convenit, unitatem, quorum aliquibus, si semper tibi non respondent ad votum, cum urgeat ad oppositum conscientia, impropere diceris, quod in nobis suam ponunt fiduciam nec alium Deum habent. Nos vero non credimus in tuum preiudicium verbis istis. Si tamen vera sunt, male utique in ore tuo sonare poterant, cum nullus in nobis ydolatre nec Deum nos reputet, quamquam Dei possit vicarium dicere confidenter, quod nemini ad iniuriam debes obicere, sed noster in sede Narbonensis ecclesie immediatus successor tibi plus ceteris ad honorem et gloriam vindicare. Verum inter cetera mirati fuimus, quod venerabilem fratrem nostrum Tholosanum episcopum de felicis recordationis predecessoris nostri mandato a tuis et aliorum sententiis absolutum, cum in tuam provinciam rediisset, nec citatum nec monitum ex causis, ex quibus eum antea excommunicaveras, innodare denuo attemptasti contra multorum consilia sapientum, quamvis apostolice sedi, cui singulariter subes, ut nosti, et nobis, qui immeriti presidemus eidem, deferre merito debuisses, propter quod ad nos redeuntem eundem oportuit iterum absolvere ad cautelam multis mirantibus, quod hoc attemptare volueris iuris ordine non servato.

Quocirca fraternitatem tuam rogandam duximus et hortandam per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus diligenter attendens et suscepti gravitatem officii et ecclesie, quam gubernas, honorem nec non et provincie tue statum, que abundat in sapientibus, qui satis discernunt facile, quid sit inter dexteram et sinistram, sic facta tua ponderes, sic verba dispenses, ut tuum honorifices ministerium et in tuis legatur actibus, quicquid decet pontificem, quicquid convenit sapienti. Nec enim cuiusquam insolentiam contra te nutrire disponimus, sed omnes tibi subditos tibi volumus reverentiam plenam et debitam exhibere contra illos, qui contumaciter tibi resisterent, nostra semper fulcire parati, quam habes iure ordinario, potestatem.

Datum Perusii, XI Kalendas Augusti, anno I.

47.

Clemens IV. an Patriarch (Wilhelm) von Jerusalem, die Erzbischöfe und Bischöfe des Königreichs Jerusalem, die Großmeister des Johanniter- und des Templerordens, Gaufridus de Sarginis und alle Barone des Königreichs Jerusalem: tröstet sie nach dem Fall von Caesarea und Asdod und verspricht ihnen Hilfe durch König (Ludwig IX.) von Frankreich und Markgraf Otto von Brandenburg.

1265 Juli 25, Perugia

Venerabilibus fratribus patriarche Ierosolimitano, archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis Hospitalis sancti Iohannis et domus Militie Templi Ierosolimitani magistris nec non et nobilibus viris Gaufrido de Sarginis et aliis universis baronibus regni Ierosolimitani.

⁵¹ Deut. 14,6–7, Lev. 11,3–4.

Quod permittente Domino iniquitatis filius post obtentam Cesaream et eversam obtinuit nichilominus et Azotum captivatis ex Dei populo pluribus et non paucis, ut fertur, occisis, prout per litteras vestras accepimus, nostrum et fratrum nostrorum animos ineffabili merore perfudit, cum stragem populi christiani nec audire sine cordis amaritudine nec auditam recolare sine tristitia valeamus. Sane, quia non sufficit in tante necessitatis articulis lacrimis indulgere, que, quamvis divinam impetrent indulgentiam, a propriis tamen viribus exercendis hominem non excusant, manum illico misimus ad remedia illustrem regem filium nostrum in Christo carissimum et alios barones Francie, prout decuit, excitantes ad vestrum, immo potius Crucifixi subsidium et nunc ad dilectum filium O(ttonem) marchionem Brandenburgensem mittimus, cui dudum Dominus inspiravit, ut ad idem opus viriliter se accingat, ad quod efficaciter animamus eundem, et tam pium eius propositum hactenus occultatum, pro cuius prosecutione aperta suum nuper ad nos miserat nuntium specialem, per nostra salubria monita promovemus confidentes in nostri misericordia Redemptoris, quod in brevi videbitis eius auxilium oportunitum. Tu igitur, frater, et vos, carissimi filii, viriliter agite. Nec deiciantur animi *nec concidant vultus vestri*⁵². *Nec enim abbreviata est manus Domini, ut salvare vos nequeat, nec auris eius, ut non exaudiat, aggravata*⁵³. *Nec vos terreat, si seditiones et prelia audieritis*⁵⁴ cismarina. Quamvis enim universis et singulis nos oporteat respondere, cordi tamen nostro ab olim infixum negotium transmarinum nulli alii potest cedere, sed suum sibi vendicans privilegium apud nos inter alia semper precipuum iudicatur.

Datum Perusii, VIII Kalendas Augusti, anno I.

48.

Clemens IV. an König (Hethum I.) von (Klein-)Armenien: mahnt ihn, nach dem Fall von Caesarea und Asdod besonders den Johannitern Hilfe zu gewähren.

1265 Juli 26, Perugia

Illustri regi Armenie.

Quanto te Dominus in populo christiano amplioris regni solio voluit honorare, tanto erectum altius artius obligavit ad sui cultum nominis dilatandum et inimicos fidei christiane pervigilis cure studio deprimendos. Nosti sane, fili carissime, quod cum multa cordis amaritudine nuper accepimus, quam insolenter irruens in chisticolas ille proditor, qui soldanus Egipti dicitur, Cesaream violenter obtinuit et Azotum effuso sanguine Christi militum et nonnullis ex eis, quod est multis morte lugubrius, captivatis, propter quod inter dampna communia Terre Sancte specialiter Hospitaliariorum sancti Iohannis gravius ceteris, ut audivimus, ordo percussus magnam vel maximam conventus sui partem amisit, licet amissi dici non debeant, qui pro sue fragilitatis modulo Crucifixo debitum rependentes obsequium sue biberunt calicem passionis. Verum, cum tu speciali, ut credimus, affectione dilexeris ordinem memoratum, quod in diversis casibus re ipsa diceris comprobasse, serenitatem tuam hortandam duximus et rogandam, quatenus fratribus eiusdem ordinis in tot et tantis angustiis constitutis, cum ab eis super hoc fueris requisitus, assistas efficacius consilio et auxilio oportunitis. Et, licet pro eisdem specialiter te rogemus, nichilominus et pro omnibus te rogamus, qui in terra predicta invocant nomen Christi, in remissionem tibi

⁵² Iudith 6,5.

⁵³ Isai. 59,1.

⁵⁴ Luc. 21,9.

peccaminum suadentes, ut sic ad ipsos te habeas, ut dolere videaris iniurias Crucifixi et fraterne caritatis illis iungi consortio, a quibus in catholice professione fidei non discordas.

Datum Perusii, VII Kalendas Augusti, anno I.

49.

Clemens IV. an Markgraf W(ilhelm VII.) von Montferrat: schlägt seine Bitte um militärische und finanzielle Hilfe aus; er habe Abt (Obertus) von Fruttuaria zu ihm entsandt.

1265 Juli 30, Perugia

Dilecto filio nobili viro G(uillelmo) marchioni Montis Ferrati.

Etsi pia mater ecclesia suis congaudeat filiis, qui malorum nolentes inquinari contagiis in suis regionibus fovent iustitiam pacemque defendunt et personas ecclesiasticas reverentur, non tamen potest omnium onera temporaliter supportare, quamquam spirituali gladio malos coerceat ad iustorum presidium et quietem. Quod si sumptus in bellis legitimis teneretur ecclesia ministrare, sue sibi nequaquam sufficerent facultates, cum requirant expensas innumerabiles Yspania, Constantinopolis, Terra Sancta, Pruscia, Livonia et multe alie regiones, in quibus fidelium cum infidelibus fere continuus est conflictus. Ideoque mirari non debet tua, fili dilecte, nobilitas, si guerras Lombardie nostris humeris non imponimus, nam imperii onera, ad que vix ipse sufficit imperator, ferre nulla ratione possemus et presertim hoc tempore, quo ea premimur paupertate, ut ipsis cotidianis et domesticis sumptibus minus plene respondere possimus. Cum igitur inquietemur in Patrimonio et in Marchia ab hostibus nostris continue et fere totus sit orbis sub gladio, postulatum a te subsidium in militia vel pecunia tibi dare non possumus, quod pro nostris necessitatibus non habemus, quod et tibi per dilectum filium abbatem Fructuariensem dudum precepimus intimari. Non ergo ascribas iniurie, si non facimus, quod ex aliquo iuris vinculo facere non tenemur, nec contemptui imputes, si ad gratiam non procedimus, ad quam nostra se hiis temporibus possibilitas non extendit.

Datum Perusii, III Kalendas Augusti, anno I.

50.

Clemens IV. an Podestà, Rat und Kommune von Radicofani: verspricht ihnen Hilfe gegen Siena.

1265 Juli 31, Perugia

Dilectis filiis fidelibus nostris potestati, consilio et communi Radicofanensi.

Antique fidei, que in progenitoribus vestris vigit et per generationes singulas ad vos usque hereditario iure pervenit, semper memores, prout plene confidimus, perseverabitis in eadem. Nec timere debetis milia populi circumdantis, cuius *Dominus dentes conteret*⁵⁵ et in brevi potentiam enervabit. Viriliter igitur agite et defenso murorum vestrorum ambitu de rebus exterioribus non curetis. Indempnitati enim vestre de bonis providebitur dante Domino Senensium perfidorum. Nos autem ad vestrum auxilium opem et operam dabimus efficacem et celerem toto posse.

Datum Perusii, II Kalendas Augusti, anno I.

⁵⁵ Ps. (G) 57,7.

Clemens IV. an M(atteo Rosso Orsini,) Kardinaldiakon von Santa Maria in Porticu, Rektor des Tuszischen Patrimoniums, apostolischer Legat: gebietet ihm, Radicofani Hilfe zukommen zu lassen.
1265 Juli 31, Perugia

Dilecto filio M(atheo) sancte Marie in Porticu diacono cardinali, Patrimonii beati Petri in Tuscia rectori, apostolice sedis legato.

Eiulantibus coram nobis nuper nuntiis Radicofanensibus pro subsidio sibi dando, cum victualia sibi deesse clamarent, quingentas libras Perusine monete fecimus eis dari dicentibus, quod hostium non timebant adventum, si quinquaginta balistarii adderentur eisdem ultra numerum, quem decreveras destinandum. Nunc autem ad nos clamitant iterato dicentes, quod ab hostibus sunt obsessi et centum indigent balistariis, et forte super hoc ad te alios nuntios destinarunt. Cum igitur tu, qui patrimonium nostrum regis, condiciones eius melius scire possis, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, quicquid auxilii et consilii impendere eis poteris, necessitati magis consulens quam clamori respondens ministrare nec differas nec postponas, ne tam nobilis thesaurus ecclesie negligi videatur, cum sit longe maioris prudentie dudum acquisita defendere quam nova querere vel acquirere et iniurias presentes repellere quam preteritas vindicare.

Datum Perusii, II Kalendas Augusti, anno I.

Clemens IV. an König (Karl I.) von Sizilien: beklagt sich über seine eigene Situation und besonders über die angespannte Finanzlage; erteilt ihm eine Reihe von Ratschlägen zur Beförderung der sizilischen Angelegenheit.

1265 August 1, Perugia

Regi Sicilie illustri.

Frequens nos et assidua sollicitudo perturbat, qua non leviter angimur, dum communis statum negotii mente volvimus et revolvimus, imminetia videmus pericula nec prompta possumus invenire remedia, dum e vicino non suppetit possibilitas et a remotis ingeritur difficultas. Illud quidem scire te volumus, quod ex animo laboravimus et continue laboramus ad omnia, que et vires valeant hostiles reprimere et tuis adicere cupitum incrementum, et, qui aliter de nobis iudicant, aut tamquam ceci palpitant imperitia aut tamquam filii Diaboli ex conflata malitia mentiuntur. Non sunt enim hoc tempore sub latibulo vires nostre. Fideles non obediunt, licet quoddam debitum verbalis devotionis exsolvant, aurum circumvolat inimici, et multa credunt se facere, si ad illud non porrigunt manus suas. Si quid tamen in eos statuere volumus ex imperio, terga vertere verbis duplicibus comminantur. Thesaurus apud nos nullus latet, nec nos eum multiplicare proponimus illis modis, quibus homines multi vellent. Vide partes orbis concussas, et scire poteris causas inopie. Anglia adversatur, Alamannia vix obedit, Francia gemit et queritur, Yspania sibi non sufficit, Ytalia non subvenit, sed emungit. Et unde potest Romanus pontifex, *si Deum timet et reveretur homines*⁵⁶, sibi vel aliis in militia vel pecunia subvenire? Hec fuit ratio, fili carissime, quare fuit ad decimam laboratum, ut per alium hoc sedes faceret, quod per se facere

⁵⁶ Luc. 18,2 und 4.

non valebat, quamvis noster pie memorie predecessor tunc habens multa reposita, que in hec tempora forsitan reservabat, coactus fuerit ante tempus universa consumere, quod dolentes referimus, sine fructu.

Quocirca, quia et tuam necessitatem audimus et nostrum non possumus non sentire defectum, expectatione frustrati, quam de Francie partibus habebamus, venerabilem fratrem nostrum Avinionensem episcopum ad te mittimus cum litteris, quas dilectus filius noster S(imon) tituli sancte Cecilie presbyter cardinalis nudius tertius nobis misit, per quas, etsi multum videatur et ei et aliis provisum negotio, de quo agitur, nobis videtur contrarium salvo consilio meliori. Volumus sane, quod per dilectum filium nostrum I(ohannem) sancti Nicholai in Carcere Tulliano diaconum cardinalem transitum faceret idem episcopus et audito eius consilio dilectorum filiorum nostrorum A(nibaldi) basilice XII Apostolorum presbyteri et R(icardi) sancti Angeli diaconi cardinalium tecum audiret consilia. Nec enim omnibus communicare volumus, quia non omnium unus est animus et defectuum publicatio posset parere detrimentum. Quod si nostrum requiris consilium, licet numquam in negotio aliquo maior perplexitas nobis occurrerit, scribimus tamen nichilominus, quod sentimus. Si procedit ordinatio, quam littera continet cardinalis, nichil tibi exercitus proderit. Si non habes et interim et negotium prosequens, unde te et tuos valeas sustentare? Unde, si ad utrumque non poterat cardinalis sufficere, scilicet ad stipendiandum exercitum et tuis sumptibus providendum, longe fuisset melius mitti tibi pecuniam et exercitum in suis venturum sumptibus expectari quam accelerationem eiusdem ea pecunia emere, que tibi pro expensis illorum, quos habes et de tua terra expectas, debuit destinari. Necessarium igitur iudicamus, quod personas discretas duas mittas festinanter in Franciam ad carissimos in Christo filios nostros regem et comitem fratres tuos nostrumque legatum, que defectus tuos et nostros exponant diligenter eisdem, ut, quicquid sit de exercitu, quem sine pecunia nequis aliquatenus expectare, pecunia tibi sufficiens destinetur, et exprimas necessariam tibi summam. Nosque per easdem vel alias scribemus eisdem, ut te omnibus modis iuvent, sperantes firmissime, quod, licet, prout ab eodem accepimus cardinali, nostre super hoc apud regem littere non profecerint, tamen, ubi tuas angustias intellexerit, non poterit eius pectus adeo fore saxeam, quin et fraterna caritas et necessitas imminens eum moveat ad tue subsidium indigentie in hoc casu. Consulimus nichilominus, quod tu interim, si qua habes mobilia in Provincia, illa vendas nec non et tuos redditus ad annos aliquos des ad firmam, ut sic per omnem viam tibi consulas et de contingentibus nil omittas. Et, si queritur, quid nos subsidii impendemus, iam respondimus, quod non possumus. Et, si fortuna nobis pinguior arrideret, adiectis viribus voluntas libera non deesset.

Super mutuo, de quo tractas, et ecclesiarum possessionibus obligandis fratres, licet bis contradixerint, consulimus iterato et dilectum filium Meldensem archidiaconum retinuimus pro finali reportando responso. Ceterum scripsit nobis secretissime legatus Francie et id ipsum tibi se scripsisse commemorat, motum contra te carissimi in Christo filii nostri illustris regis Francie fratris tui. Tu ergo considerans, quid posset parere hic conceptus, da operam totis viribus ad pacandum ipsius animum, quod, qualiter fieri posse credamus sine preiudicio iuris tui, eidem Avinionensi episcopo duximus exprimendum, per quem super omnibus supradictis tuam nobis non differas scribere voluntatem.

Datum Perusii, Kalendis Augusti, anno I.

Clemens IV. an Erzbischof (Bartolomeo Pignatelli) von Cosenza: erteilt ihm die Erlaubnis, zur Kirche zurückgekehrte Anhänger Manfreds (von Sizilien) und gegen Geistliche gewalttätige Anhänger König K(arls I.) von Sizilien aus der Exkommunikation zu lösen.

1265 August 1, Perugia

Archiepiscopo Cusentino.

Excommunicatis pro auxilio vel favore M(anfredi) quondam principis Tarentini ad ecclesie reverti volentibus unitatem, cuiuscumque nationis vel condicionis existant, nec non et illis, qui in comitiva vel servitio sunt vel erunt carissimi in Christo filii nostri C(aroli) regis Sicilie illustris, qui pro violenta manuum iniectio in clericos religiosave personas in canonem late sententie inciderunt, absolutionis beneficium impendendi iuxta formam, quam tibi tradidimus pro Romanis, dum tamen huiusmodi manuum iniectorum excessus non fuerint adeo difficiles et enormes, quod iidem iniuriatores ad sedem apostolicam sint necessario destinandi, liberam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem, ita tamen, quod pro qualitate personarum liceat tibi de sollempnitate dicte forme detrudere iuramenti substantia non mutata. In civibus tamen Romanis nichil de forma volumus pretermitti.

Datum Perusii, Kalendis Augusti, anno I.

Clemens IV. an die Kardinäle (Giangaetano Orsini, Kardinaldiakon von San Nicola in Carcere Tulliano, und Matteo Rosso Orsini, Kardinaldiakon von Santa Maria in Porticu): fordert sie auf, ihm ihren Rat zu erteilen, ob er in die Verpfändung von stadtrömischen Kirchengut zur Unterstützung König K(arls I.) von Sizilien einwilligen soll.

1265 August 3, Perugia

Cardinalibus, qui sunt in Urbe.

Post recessum venerabilis fratris nostri Avinionensis episcopi, quem ad carissimum in Christo filium nostrum C(arolum) illustrem regem Sicilie premisimus, consilium cum fratribus nostris ac vestris habuimus super ecclesiarum Urbis possessionibus obligandis pro mutuo, quod sic et non aliter rex predictus in Urbe poterat invenire. Et, ut ad finem consilii veniamus, non sine cordis amantitudine concesserunt, quod, si scimus aut firmiter credimus, quod dictum mutuum infra terminum de decima solvi possit, obligemus pro rege usque ad centum milia librarum Proveniensium ecclesiarum possessiones exceptis ecclesiis Lateranensi et sancti Petri et ecclesiis cardinalium et manualibus eorundem et ecclesia sancti Gregorii et hospitalibus, sed et in possessionibus ecclesiarum aliarum, quas obligari permittunt, castra earum non intelligunt nec ipsas ecclesias nec domos, in quibus earum habitant servitores. Expresse etiam caveatur, quod possessiones occasione huiusmodi mutui obligande pro nullo alio debito possint a creditoribus retineri, sive ab ipso rege sive a Romana ecclesia aliquid aliud debeatur eisdem, immo soluto hoc debito precise et absque omni dilatione et diffugio ipsi creditores eas reddere teneantur, et sit licitum ipsis ecclesiis seu earum yconomis auctoritate propria possessionem recuperare ipsarum, et ipse rex et eius curia ad iuvandas ecclesias teneantur, immo ad omnem possessorem alium sine omni iuris ordine amovendum. Et in hoc casu adiciunt, quod a rege fiat omnis cautio, que convenienter poterit

exigi ab eodem, quod possessiones ipsas liberet infra terminum et hec omnia suo iuramento confirmet, et, si, quod absit, hoc iuramentum, ad quod precise tenebitur, non impleret et ob hoc dictas possessiones vel aliquam earum contingeret a creditoribus occupari, teneatur nichilominus dictas ecclesias servare indemnes in omnibus et easdem possessiones ipsis ecclesiis reddere liberatas et in possessionem vacuum eas reducere earundem et defendere reductas in ipsam.

Quod si nulla nobis est spes, quod infra terminum dictum mutuum solvi debeat et sic omnino per consequens possessiones ipsas ad manus pervenire oporteat Romanorum, sunt, qui non consulunt, et sunt, qui consulunt obligari. Et qui non consulunt, dicunt ita: „Si Romani possessiones occupant, recuperandi imminet difficultas. Ecclesie deserte remanent clericis vel monachis proventus solitos non habentibus. Oritur commune scandalum. Ad papam current miseri, ut ab eo pascantur.“ Dicunt iterum: „Si procedit hoc mutuum, non diu durare poterit, nec per istud regis potest satisfieri indigentie. Cum ergo consumptum fuerit, eadem erit regis necessitas, nec quicquam ei credent Romani, nisi eis ecclesiarum arces, immo et nostre proprie obligentur. Et quicquid nunc potest, tunc poterit perdurante necessitatis articulo allegare. Sicut numquam pacem habebit ecclesia, que idcirco providit de decima, ut posset expensarum onera evitare.“ Qui vero consulunt simpliciter obligari salva tamen restitutione predicta, dicunt, quod in necessitate huiusmodi excedendus est omnis modus et sic providendum est regi, ut venturus eventus soli Domino reservetur. Et, si quid obicitur in contrarium, non solvunt aliter, nisi quod tanta necessitas lege caret, in qua modus est modum penitus non servare. Alioquin cadit negotium, ruit rex inclitus et Romanam ecclesiam in precipitium secum trahit. Vivendum est igitur, quantum licebit vivere, et futuris temporibus Dominus providebit. Inter hec angimur nec videmus consilium utile, cum ex omni latere sint angustie, quamquam sit multis facile dicere: „Fiat, fiat.“ Et papam solum sequatur exitus difficultas, et preter periculum conscientie perpetua committetur infamia, quod sit ecclesie dissipator.

Vos igitur, carissimi filii, quibus Deus omnipotens et *pater luminum*⁵⁷ intellectum tribuit luminosum, vestrum date consilium, quod et fratres vestri nobiscum expectant. Vidistis enim litteram legati Francie fratris vestri, qui, cum nos certos reddiderit, quod in tempus longum nil potest regi mittere pro expensis, si quid ei solvendum imponimus, sufficienter remanet excusatus. Demum, licet discretus sit nuntius, quem transmisimus, quia tamen verba sunt immobilia, que litteris commendantur, plenum et planum vestrum consilium nobis rescribere nullatenus omitatis.

Datum Perusii, III Nonas Augusti, anno I.

55.

Clemens IV. an S(imon de Brion,) Kardinalpriester von Santa Cecilia, apostolischer Legat: tadelt ihn wegen seiner Vorgehensweise bei König (Ludwig IX.) von Frankreich in der sizilischen Angelegenheit; stellt die Schwierigkeiten dar, die sich bei der Verpfändung von stadtrömischen Kirchengut ergeben würden; unterrichtet ihn über seine Aktivitäten in Oberitalien.

1265 August 5, Perugia

⁵⁷ Iac. 1,17.

Dilecto filio S(imoni) tituli sancte Cecilie presbytero cardinali, apostolice sedis legato.

Vise tue littere, quas nuper recepimus, cum post adventum carissimi in Christo filii nostri regis Sicilie illustris multa, de quibus facis mentionem, in eis numquam viderimus, nostrum animum non mediocriter perturbarunt. Scripsisti siquidem inter cetera, quod iam carissimi in Christo filii nostri regis Francie illustris et aliorum quorundam magnorum secutus consilia, quibus indecens iudicasti non acquiescere, cum tibi nostrum propter temporis brevitatem requirere non liceret, ad milites stipendiandos converteras decimam et in tantum processeras, quod solutis debitis, quibus in Provincia te astrinxeras, et illis, que postmodum solvi mandavimus, in longum tempus nil poteras comiti mittere pro expensis. Sane, unde hec providentia venerit, ignoramus, et, si forsitan *spiritus* Dei fuit, *spiravit, ubi voluit*, sed, cum liceat atque libeat verum dicere, *nescimus, unde veniat aut quo vadat*⁵⁸. Prius enim fuerat cogitandum et utiliter ordinandum, unde se rex Sicilie equis instrueret, unde se et suos stipendiarios in victualibus sustentaret, unde in Lombardia amicos faceret, qui sibi transitum prepararent, et hiis rite compositis de nova militia poterat cogitari, que si sine stipendiis citra Pascha haberi non poterat, longe melius fuerat regem in suo statu cum suis interim stabilire et ad tempus expectare gratuitos quam ad propinquiorem terminum dare stipendia et regis alimonias in usum convertere alienum. Numquid enim de vento creditur posse vivere, cui omni die cum suis et Campanis, quos ad suum necessario trahit obsequium, sunt necessarie mille libre Provenientes et, prout credimus, Turonenses, et habet nichilominus magnam partem suorum, qui equis carent, ad quorum emptionem magna pecunia indigeret? Quod si dixeris te et alios credidisse, quod apud curie creditores sufficiens mutuuum inveniret, minus probabiliter hoc credebas. Tu enim in Francia mercatoribus tradere debuisses, quod in Urbe ei refunderent, cum illi, qui apud nos sunt, nichil velint credere nisi nobis, sed nec nunc nobis, quia dubitant, ne in Francia recta solutio eis fiat, cum necdum intellexerint factam esse. Sed quicquid hactenus factum fuerit, quid fiet amodo, cum creditores in longum terminum nichil credant et tu scripseris, quod in longum tempus ei non poteris subvenire?

Ecce in confectione presentium persecutor ecclesie in multitudine gravi in finibus regni erat et in Tuscia grandem habebat exercitum, qui totum ecclesie patrimonium tremere faciebat, quem ad Urbis viciniam evocaverat, ut ibi concurreret cum eodem. Et rex cum solis Romanis inveniebat mutuuum centum milium librarum Proveniensium, non tamen aliter, quam si eis obligaremus possessiones ecclesiarum Urbis ab eisdem, si solutio eis in termino certo non fieret, auctoritate propria occupandas. Et, dum ad consistorium intraremus, tue supervenerunt littere, que nobis antea perturbatis turbationem maximam addiderunt. Nam, licet ante periculum timeremus, si modo quolibet ad Romanorum manus possessiones huiusmodi devenirent, unum erat nobis solacium, quod decima subveniret et ante terminum tota pecunia solveretur, sed, ut tuas vidimus litteras, spe precisa dereliquit nos virtus nostra. Certificati enim, quod solvi non poterat, necesse habuimus hoc inferre, quod possessiones a creditoribus occupande ad ecclesias non redirent de facili et interim omnes ille magne ecclesie suis obsequiis fraudarentur, cum clerici, quid comederent, non haberent. Et tamen litteras tuas venerabilibus fratribus nostris Tusculano et Albansensi episcopis cum multa cordis amaritudine ostendentes exhibere nolimus in communi. Et adhuc pendet consilium fratribus nostris aliter et aliter sentientibus. Et, si non fiat, regem oportet vel fame deficere vel aufugere. Et, si fiat, ecclesiarum periculum imminet, et ei ad tempus modicum providebitur, quo elapso eadem eum necessitas occupabit, sed auxilium non inveniet iteratum. Vide igitur, fili, quid faciendum sit tibi, et a stipendiis manum retrahere, nisi mutuuum tantum inveneris, ut et solvendis stipendiis et necessariis regis Sicilie sumptibus valeas subvenire, sciturus,

⁵⁸ Ioh. 3,8.

quod, nisi tanta detur pecunia mercatoribus Francie, ut in regis obsequium eam faciant redundare, rex deficit, perit negotium et nos cum eo cadimus quoad illud nec remedium aliquod possumus adhibere. Nec enim thesaurum habemus nec acquirere volumus inhoneste nec honestum credimus, quod multi licitum iudicarent.

Cum Pelavicino multipliciter attemptato nichil profuimus. Nam *auro inebriatus*⁵⁹ Apulie verba salutis non recipit et tamen, ne contempnere videretur, condiciones a nobis petiit contra Deum et omnem iustitiam, quas, si nos caperet cum collegio, non haberet. Mediolanenses bene loquuntur. An bona cogitent vel finaliter bona facient, Deus novit. Aggrediuntur enim nos petitionibus indecentibus, de quibus, ut intelligas aliquas, unam esse noveris, quod Mediolanensem archiepiscopum ad locum alium transferamus, substituamus Cumanum episcopum vel saltem legatum per Ytaliam et Romaniolam et utramque Marchiam faciamus, quod etiam omnia mandata ecclesiis et exactiones a clero factas remittamus eisdem, processus omnes predecessoris nostri contra eos in communi vel in personas singulares clericos vel laicos habitos revocemus. Et alia multa petunt non parvis ponderis, sed iniustitie non minoris, quos caute per verba ducimus, quia occasiones videntur querere, quasi velint discedere ab amico. Dilectum filium nostrum O(ttobonum) sancti Adriani diaconum cardinalem et venerabilem fratrem nostrum patriarcham Anthiochenum rogavimus et artius eisdem iniunximus, ut per terram Ianuensem venture militie transitum obtinerent et virum nobilem Bernabo ad regis Sicilie gratiam traherent et favorem, sed responsum nullum recepimus ab eisdem. Illud credimus, quod, si quasi iturus ultra mare navalis processisset exercitus, Siciliam habuisset. Scribe nobis frequentius, ut tuo et negotii statu cognito tibi similiter, que apud nos fuerint, certius rescribamus.

Datum Perusii, Nonis Augusti, anno I.

56.

Clemens IV. an Bischof (Guglielmino degli Ubertini) von Arezzo: gebietet ihm, die Gelegenheit zu nützen und sich König (Karl I.) von Sizilien anzuschließen.

1265 August 6, Perugia

Episcopo Aretino.

Gaudium et exultatio cordi tuo debent accedere, dum evidenter intelligis carissimi in Christo filii nostri illustris regis Sicilie promptitudinem, qui te nec visum nec plene cognitum ad nostrum testimonium et te in sui partem corporis et propter te alios tam liberaliter, tam libenter admisit. Quocirca fraternitatem tuam, qua possumus, attentione rogamus tibi nichilominus sub attestatione divini iudicii precipiendo mandantes, quatenus manum mittas ad fortia, utaris temporis opportunitate, quam tibi Dominus subministrat. Nichil enim prudenti preterit otiosum, et, si bene inceperis, ut speramus, exitus melior subsequetur. Nos autem, qui de te plene confidimus, ut debemus, hoc cupimus, hoc optamus, ut rex idem in nostro testimonio veritatem inveniat tuis magnificis actibus comprobendam.

Datum Perusii, VIII Idus Augusti, anno I.

⁵⁹ Ier. 51,7.

Clemens IV. an König (Jakob I.) von Aragón: dankt ihm für seine Unterstützung; bittet ihn, den Klerus in seinem Reich nicht länger zu belästigen.

1265 August 13, Perugia

Regi Aragonum illustri.

Missa nobis tue serenitatis munera ipsa quidem materia nec minus opere superante materiam pretiosa letanter accepimus, que veteris amicitie renovantes memoriam in tuo probant animo non elapsam, si quid ad tuam excellentiam devotionis habuimus, cum minori officio fungeremur. Sane, fili carissime, cordi nostro a prima fere notitia semper infixus ab intime brachiis caritatis excidere numquam apud nos poteris. Tuum est vigilare, ut Deo placeas, cuius vices in terris gerimus licet immeriti, et ecclesiam sponsam suam, quam commercio proprii sanguinis acquisivit, habeas in honore et, sicut per alias litteras latius tibi scribimus, a cleri et ecclesiarum oppressio- nibus reverenter abstineas, quod omni nostra monitione cessante facere te deceret. Porro debet illud advertere tua sublimitas, quod, si per iuris tramites ordinate vellemus incedere, nullum tibi fuisset impendendum subsidium ab ecclesiis terre tue, donec gravamina revocasses earum. Nos tamen acutius intuentes, quod obsequio vincitur animus generosus et facilius ducitur, quam tra- hitur, eo ipso ad dilectionem earum te perspeximus artius obligari, quo durante iniuriarum in- stantia gratiosior est subventio, que quantumlibet istis oportuna temporibus ex hiis causis honeste poterat prorogari. Tue igitur consulens honestati nostris pariter parces angustiis, si ecclesias, quarum iustas querelas aure surda preterire non possumus, sub ea libertate dimiseris, quam et a iure obtinent et retroactis temporibus sub te et tuis antecessoribus habuerunt. Ad quod te solli- citamus precibus, in quo, si, quod absit, deficeres, id promptius sequeremur, quod tue saluti crederemus expediens, quam, quod tibi contra iustitiam tue voluntatis motus aut impetus mini- straret. Sic enim, in quocumque statu fuerimus, caros nostros dileximus, ut eisdem libentius utilia quam placentia, molesta dixerimus quam dampnosa.

Datum Perusii, Idibus Augusti, anno I.

Clemens IV. an Königin (Eleonore) von England: verspricht ihr, binnen Monatsfrist einen Legaten nach England zu entsenden, der für König (Heinrich III.) tätig werden soll.

1265 März 23, Perugia

Carissime in Christo filie regine Anglie illustri.

Cum sit nobis cordi negotium Anglie nec a nostra memoria possit excidere indecens et prob- rosa depressio carissimi in Christo filii nostri illustris regis Anglie, viri tui ac totius etiam domus sue, nuntios tuos, quos ad nostram presentiam destinasti, benigne recepimus et audivimus pati- enter et auditis diligenter, que coram nobis et nostris fratribus proponere curaverunt, legatum in Angliam proponimus destinare. Verum ad memoriam reducentes contemptum, quem Anglici erga personam nostram, dum essemus in minori officio constituti, per eorum opera pertinaciter ostenderunt, decens extimavimus ad culmen sedis apostolice sublimati expectare paulisper, an nunc forte ducti consilio meliori suis relictis erroribus ad ecclesie Romane redire voluerint uni-

tatem et apostolicis iussionibus obedire. Tu ergo, filia carissima, dilationem huiusmodi, que mens unius spatium non excedet, prudenter et equanimiter studeas tolerare illam de nobis gerens fiduciam, quod, si eorum insolentiam viderimus indurari, talem ad eos personam curabimus mittere, qualem requiret protervitas eorundem.

Datum Perusii, X Kalendas Aprilis, anno I.

59.

Clemens IV. an seinen Notar Magister Petrus: gebietet ihm, ihn zu unterrichten, welche Pläne (Karl von Anjou,) Graf (der Provence,) und S(imon de Brion,) Kardinalpriester von Santa Cecilia, apostolischer Legat, verfolgen; er solle den Grafen ermahnen, rasch nach Rom zu kommen, um dort einer drohenden Abfallbewegung vorzubeugen; er möge von Alfant, dem Neffen des Papstes, berichten.

1265 April 25, Perugia

Dilecto filio magistro Petro notario nostro.

Habuisse te iter prosperum usque Ianuam intelleximus et te inde profectum in Provinciam in VIII die post Pascha. Cupientes sane scire sepe, quid agas quibusve negotiis occuperis, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, ubi et quando comitem invenisti et an venerit in partem Provincie dilectus filius noster S(imon) tituli sancte Cecelie presbyter cardinalis, apostolice sedis legatus et quid egisti cum alterutro vel utroque et quid intendit facere idem comes et qualiter ad veniendum se preparat et qua via, nobis rescribere non postponas. Gens enim sua in Urbe est in magno discrimine et, nisi celeri succurratur auxilio, procul dubio amittetur. Unde te decet comitem et plus eius consilium stimulare, ut cito ad Urbem accedat. Nam, si Romani contemptos se viderint, satis erunt et ipsi faciles ad contemptum. Et, si Urbs ad inimicos se transferat, accumulatur pericula, accumulatur expense, et difficile redditur, quod de plano poterat expediri. Sed et cardinali secreto loquaris de solvendis illis pecuniis, quas a diversis recepimus creditoribus et vicario Urbis misimus ad salutem. Demum, quid de nostris familiaribus negotiis per Alfantum nepotem nostrum vel est actum vel agitur, litteris tuis inserere non omittas. Et omnia ac singula, que tue discretioni commisimus, diligentius exequaris nobisque rerum exitum plena descriptione rescribe.

Datum Perusii, VII Kalendas Maii, anno I.

60.

Wiederholung von Nr. 20.

61.

Wiederholung von Nr. 19.

62.

Clemens IV. an M(atteo Rosso Orsini,) Kardinaldiakon von Santa Maria in Porticu, Rektor des Tuszischen Patrimoniums, apostolischer Legat: rechtfertigt sich für die Art seiner Berichterstattung über Radicofani, Corneto und Rieti.

1265 August 15, Perugia

Dilecto filio M(atheo) sancte Marie in Porticu diacono cardinali, Patrimonii beati Petri in Tuscia rectori, apostolice sedis legato.

Ex tuarum serie litterarum interdum coniecimus et dilecti filii magistri B(ernardi) Languisselli capellani nostri relatione percepimus, quod, quotiens aliqua tibi scribimus super statu provincie fluctuantis, suggerentibus emulis nimis creduli scribamur asperius, quam oporteat, falsis aliorum narrationibus circumventi. Sane minime dubitamus, quin nobis promiscue vera suggerantur et falsa, sed tardi sumus plurimum ad credendum. Ne tamen in ambiguo serpant discrimina, scribere cogimur, que pertinere credimus ad cautelam. Et ideo, que de subsidio Radicofani, de expeditione celeri negotii Cornetani, de civitate Reatina a reatu perfidie preservanda diversis temporibus tibi scripsimus, non tamquam suppositis, que nobis relata fuerant, scribebamus, sed ut factus instructor, qui scire melius poterat veritatem et ad eam sollicito perquirendam ex officio tenebaris, viam in omnibus preeligeres meliorem. Mentiti siquidem sunt nobis Radicofanenses dicentes, quod, cum eis ab initio misisses aliquos in auxilium, tribus tandem exceptis aut quatuor omnes recesserant adhuc stante exercitu circa ipsos. Mentiti etiam fuerant Cornetani, quod eosdem per verba ducebas de die in diem procrastinans et eos dilationum multiplicatione fatigans. Quid ergo tibi scribere poteramus nisi sub verbis generalibus, ut tu, cui mentiri non poterant, faceres, quod deceret? Nec quicquam aliud tibi meminimus nos scripsisse. Ceterum, si civitas Reatina inter duas aquas natate proposuit, hoc ipsum equanimiter toleramus, quam si in *contemptus voraginem*⁶⁰ verteretur. Non enim patitur qualitas huius temporis, ut *frigidus tepidis*⁶¹ preferamus, sed hora *veniet dante Domino nec tardabit*⁶², cum responderi poterit meritis singulorum.

Datum Perusii, XVIII Kalendas Septembris, anno I.

63.

Clemens IV. an M(atteo Rosso Orsini,) Kardinaldiakon von Santa Maria in Porticu, Rektor des Tuszischen Patrimoniums, apostolischer Legat: gebietet ihm, das Kastell Vico oder Bieda von Pietro di Vico zu beschlagnahmen.

1265 August 15, Perugia

Eidem.

Satis hactenus nostrum suspendit animum vir nobilis P(etrus) de Vico, qui iuxta nostri mandati tenorem nullam tibi reddidit adhuc arcem. Quod ulterius dissimulare nolentes discretionis tue per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatenus ab eodem sub debito prestiti iuramenti requiras, ut arcem Vici vel Blete tibi nomine nostro reddat expeditam et vacuam a suis

⁶⁰ Prov. 13,15.

⁶¹ Apoc. 3,16.

⁶² Hab. 2,3.

hominibus hiis solis, quos ibi posueris, remansuris in ea, nec aliquam de suis arcibus aliam accep-
tamus. Sive autem paruerit sive parere noluerit, plenam nobis rescribi volumus veritatem. Nec in
hoc facto de statu provincie vel qualitate temporis disputationem admittimus. Omnibus etenim
hiis pensatis istud decernimus faciendum.

Datum *ut supra*.

64.

*Clemens IV. an König (Ludwig IX.) von Frankreich: mahnt ihn, wegen des Überfalls auf Stephanus
Franulfus, Kanoniker von Nîmes und Prior von Olozargues, rechtliche Schritte einzuleiten.*

1265 August 15, Perugia

Illustri regi Francie.

Ad aures nostras dilecto filio Stephano Franulfo canonico Nemausensi ordinis sancti Augu-
stini, priore ecclesie de Olozanicis referente pervenit, quod quamplures homines castri Calvitionis
Nemausensis diocesis, senescallie Bellicadri maligno spiritu agitati ad dictum prioratum de nocte
hostiliter accedentes, cum armis et ecclesiam et domum prioratus eiusdem ausu sacrilego debel-
lantes dictum priorem graviter vulnerarunt et multis plagis impositis semivivum relinquentes
eundem bladum ipsius prioris, quod in eiusdem area invenerunt, igne apposito combusserunt
nec hiis contenti in domos eiusdem ecclesie irruentes pannos, utensilia et res alias ceperunt et
secum nichilominus asportarunt eidem priori plura dampna alia gravia inferentes. Licet igitur
ballivi tui in illis partibus inquisiverint de premissis, quia tamen ad correctionem eorum modo
debito minime processerunt dictoque priori debita satisfactio non pervenit, cum tuam non deceat
celsitudinem tam graves excessus clausis oculis pertransire, serenitatem tuam, quam in protegen-
dis personis et iuribus ecclesiasticis attentam novimus, rogandam duximus attentius et hortan-
dam, quatenus ad corrigendos excessus huiusmodi citra mortem tamen et membri abscissionem
eam cures de solita iustitia diligentiam adhibere, quod dicti sacrilegi deinceps attemptare similia
non presumant et predicto priori de tantis dampnis et iniuriis plenarie satisfiat.

Datum Perusii, XVIII Kalendas Septembris, anno I.

65.

*Clemens IV. an (Giangaetano Orsini,) Kardinaldiakon von San Nicola in Carcere Tulliano: trägt
ihm auf abzuwägen, wie rigide hinsichtlich Viterbo vorzugehen sei.*

1265 August 18, Perugia

Dilecto filio I(ohanni) sancti Nicholai in Carcere Tulliano diacono cardinali.

Et processus et procedentium zelum circa factum Viterbiensium intelligimus sinceritate ful-
ciri. De uno possumus dubitare, an congruant tempori hii rigores etiam multa mansuetudine
temperati, cum vicinus sit hostis et circumvolet aurum eius et sint homines modice fidei in con-
trata. Hec tamen omnia tue et legati discretionis committimus ponderanda. Resumptis viribus tua
fui presentia plurimum affectamus. Salvete Dominus, qui solus *omnium est salvator*⁶³.

⁶³ 1. Tim. 4,10.

Datum Perusii, XV Kalendas Septembris, anno I.

66.

Clemens IV. an König (Karl I.) von Sizilien: übersendet ihm ein Formular zur Verpfändung von stadtrömischen Kirchengut.

1265 August 20, Perugia

Illustri regi Sicilie.

Tuis nuntiis sepe diximus et per litteras tibi sepius intimavimus, quod tuis, ut vellemus, subvenire defectibus non valemus, et, quotiens replicatur: „Cadet ergo negotium, si non facitis“, nos subiungere cogimur: „Cadet ecclesia, si, quod postulatur, implemus.“ Sane visa littera cardinalis, qui, que prius scripserat, iterum nobis scripsit firmiter asseverans, quod in longum nichil tibi potest mittere pro expensis, quin immo venerabili fratri nostro Aquensi archiepiscopo et dilecto filio decano Meldensi mandavit, quod Provincialibus nichil mitteret, cum non sufficeret ad stipendia militum Francie persolvenda, sicut per venerabilem fratrem nostrum Avinionensem episcopum tibi dici mandavimus, a contrahendo mutuo manum totaliter retrahemus, nec nos super eo ulterius inquietes. Nec enim destruere creditam nobis sedem nec mentiri volumus creditoribus, quibus de nostro volumus et de tuo non possumus satisfacere decima magni temporis iam exhausta. Verumtamen mittimus tibi formam, in qua pro te possessiones ecclesiarum Urbis licet non omnium poterunt obligari, de concordia fratrum consilio solidatam. Et, cum inveneris creditores ad mutuandum paratos, mittemus aliquos cum nostris litteris, qui forma servata possessiones huiusmodi poterunt obligare.

Datum Perusii, XIII Kalendas Septembris, anno I.

67.

Clemens IV. an (Giangaetano Orsini,) Kardinaldiakon von San Nicola in Carcere Tulliano: unterrichtet ihn, daß er S(imone Paltinieri,) Kardinalpriester von San Martino, und M(atteo Rosso Orsini,) Kardinaldiakon von Santa Maria in Porticu, zu sich rufen wolle, um sich mit ihnen in der sizilischen Angelegenheit zu beraten; er habe Militär angefordert.

1265 August 20, Perugia

Dilecto filio I(ohanni) sancti Nicholai in Carcere Tulliano diacono cardinali.

Angit nos cogitatus assiduus de paupere statu nostro, cuius relevationem Deo committimus, pro cuius amore et proximorum exemplo nostram equanimiter patimur paupertatem et ab omni extorsionis et questus specie abstinemus. Sane, cum ad diversas provincias, sicut nosti, que argentum et aurum mittere consueverant, sint legati de nostro latere destinati, qui sic vices nostras in eisdem supplebunt, ut de nostra vel nostrorum fratrum presentia terrarum illarum homines parum curent, finitimas volumus, licet sint tenues, rehabere. Et ideo dilectos filios nostros S(imonem) tituli sancti Martini presbyterum et M(atheum) sancte Marie in Porticu diaconum cardinales ad nostrum proponimus revocare consilium et iam militiam querimus ad terras proprias, ut poterimus, defendendas, donec regni Sicilie meliorem exitum, quam ostendat initium, videamus. Hec autem tibi prius intimanda decrevimus et specialis familiaritatis obtentu et, ut leviter feras,

si nunc facimus, quod in nostro fecissemus ingressu, nisi captio comitis Anguillarie nobis contrarium suasisset.

Datum *ut supra*.

68.

Clemens IV. an König (Ludwig IX.) von Frankreich: bittet ihn, König K(arl I.) von Sizilien in seiner bedrängten Lage finanziell zu unterstützen.

1265 August 23, Perugia

Illustri regi Francie.

Et temporis qualitas et perurgens nos cogit necessitas tuam, fili carissime, magnitudinem excitare ad compatiendum ecclesie matri tue, quam, licet aliquibus retro temporibus nunc ex uno latere nunc ex alio vel bella finitima vel remota concusserint, iam Domino permittente quasi *quatuor ventis celi in maris*⁶⁴ medio confligentibus undique concurrentia mala perturbant, et, ad partem quamcumque se verterit, preter regnum tuum a Domino benedictum, quod pro sua Dominus pietate conservet, audit continuos ecclesiarum gemitus, oppressiones pauperum, scissuras principum, tumultus frementium populorum, videt colla calcari fidelium et *exaltari cornua impiorum*⁶⁵. Sane nuper ad eiusdem subsidium zelo devotionis accensus carissimus in Christo filius noster C(arolus) illustris rex Sicilie, frater tuus cum multa celeritate deproperans de marinis periculis erutus cum ea comitiva, quam ad manum habere tunc poterat, promptus animo, promptus fide, quoad alia nimis imparatus, ut cernitur, Urbem tandem Romanam intravit et, cum crederet ac speraret per celerem decime missionem suos e vestigio suppleri defectus, spe demum frustratus accepit, quod eidem, prout necesse fuerat, dilectus filius noster S(imon) tituli sancte Cecilie presbyter cardinalis, legatus a nostro latere destinatus in Franciam nequaquam poterat subvenire magna iam parte decime soluta tardius, quam deceret, et alia in solutionem quamplurium debitorum exhausta et eiusdem residuo ad stipendia danda militibus, qui subsequi eum debeant, reservato. Ecce, sicut eidem scripsimus cardinali, visus fuit nobis et aliis ordo multum preposterus, ut ad robur laboraretur exercitus nudo principe derelicto, cum esset certo certius eum nec equos nec pecuniam detulisse nec posse de vento vivere tot et tantos nec creditores ultroneos invenire, qui se velint hoc tempore ad mutuuum dandum exponere, presertim cum audiant male prioribus satisfactum. Quod si queritur, quid nos facimus, scire tuam volumus excellentiam, quod fecimus hactenus supra vires ei querendo mutuuum, quod habere potuimus, et, ut posset in Urbe plenius invenire, possessiones monasteriorum Urbis cum castris et villis exceptis solis castrorum arcibus ei permisimus in tante necessitatis articulo non sine eorundem monasteriorum discrimine Romanis creditoribus obligare, sed hec penitus non sufficiunt, cum sint expense maxime et in huiusmodi feneratiis pactionibus magnam partem sortis absorbeat fames insatiabilis creditorum. Angimur igitur et dicere cogimur, quod regnum utinam non fuisset, pro quo peregrinari voluit tantus homo, si non aliter subvenitur eidem. Quicquid enim sibi conventum fuerat, adimplevimus et ultra pacta fecimus, quod valuimus, nec possumus continuare, quod cepimus, cum iam notum sit creditoribus, quod eis nequit in Francia satisfieri nec fuit, sicut debuit, satisfactum. Qui tamen, etiamsi debita recepissent, nollent ulterius viarum periculis se exponere, sed, quod

⁶⁴ Dan. 7,2.

⁶⁵ Ps. (G) 74,11.

eis in Francia fuerit assignatum, in Urbe, prout asserunt, reddere sunt parati pro temporis interusurio moderata quantitate contenti.

Moveant ergo te viscera pietatis ad fratrem, moveant et ad matrem, quam ut sue, immo verius plus quam sue fratris afflictiones affligunt. Ipsa quidem perire non potest et ad flagella multis assueta temporibus, etsi temporalibus nudaretur, suam haberet consolationem in sponso, qui crebris verberibus visitatam eam non deseret in eternum, sed doleret absque remedio, si vir magnificus, vir insignis suum et ecclesie promovens ex fide negotium confusionem, quod absit, reciperet, cum sit unum, quod sapientis contristat animum, deficiens per inopiam vir bellator. Alias autem tibi nos scripsisse meminimus, quod hoc solum superesse consilii cernimus, si eum adiuvari volueris in pecunia de solutionibus imminentibus decime recepturus eandem, quod ut facere tibi placeat, semel et iterum te rogavimus et adhuc tuam regiam celsitudinem prece tertio repetita rogamus et id tibi, quod credimus meritorium, in tuorum remissionem peccaminum suademus. Statum terre totiusque negotii dilectus filius P. lator presentium, dapifer mense nostre tibi plenius reserabit.

Datum Perusii, X Kalendas Septembris, anno I.

69.

Clemens IV. an S(imon de Brion,) Kardinalpriester von Santa Cecilia, apostolischer Legat: unterrichtet ihn über die schwierige Lage der Kirche in der sizilischen Angelegenheit und über seine getroffenen Maßnahmen; hält ihn zur Wachsamkeit an.

1265 August 23, Perugia

Dilecto filio S(imoni) tituli sancte Ceciliæ presbytero cardinali, apostolice sedis legato.

Tenoris eiusdem diversas litteras tibi misimus inter cetera continentes, quod nos attonitos reddidisti, dum addendum robur exercitus ei, quem diligis, decrevisti et, unde viveret ipse vel eius familia, non curasti. Ecce camere nostre clericum tibi mittimus, qui totius statum negotii tibi narret explicite, ut de implicitis taceamus, que tua prudentia facile poterit conglobare particularibus circumstantiis evolutis. Sane scire te volumus, quod mox, ut litteram tuam recepimus, que de illa librata providentia et multis excocta consilii disserebat, venerabili fratri nostro Avinionensi episcopo tunc in nostra presentia constituto familiariter eam legimus, qui mandati carissimi in Christo filii nostri regis Sicilie, quod de militibus stipendiandis fecerat, se nichil unquam scivisse penitus est confessus. Et statim eum ad regem misimus, ut suorum discriminum providus contemplator habito consilio nobis rescriberet per eundem, quid proponeret, quid eligeret, ad quam mens eius sententiam declinaret, et nichilominus ei scripsimus, quid nobis in hac materia tutius videretur. Et, cum iam fere per mensem moram traxerit idem episcopus apud ipsum, nec recepimus litteram nec responsum, immo multis mirantibus vel divinum videtur expectare miraculum vel in totum committere se fortune. Sed et de facto carissimi in Christo filii nostri illustris regis Francie atque suo circa partes Bellicadri, quod nobis secretius intimasti, eidem scripsimus, et non curat. Nos ei subvenire non possumus, et nostre tenuitatem camere non attendens graviter indignatur, quamvis de omnibus, que promiseras, *unum iota*⁶⁶ non fuerit incompletum. De privilegiorum decimis ei dedimus optionem, quod vel iuris expectaret eventum, si iustis possent exceptionibus se tueri, vel ad vitandum periculum illis manentibus liberis Leodiensem et Verdunensem civitates et dioceses et, quod eidem deerat de Cameracensi et Tornacensi diocesibus,

⁶⁶ Matth. 5,18.

obligaremus ad decimam ei dandam, et nullum potuimus habere responsum. Persecutor magnum habet exercitum et consumit pecuniam infinitam et in ingressu ducatus nostri abstulit nobis Cassiam et aliquantum retrocessit, sed in finibus regni nobis propinquioribus commoratur. Ecce pro ipso possessiones ecclesiarum Urbis exceptis sancti Petri et sancti Iohannis Lateranensis et cardinalium ecclesiis et hospitalium et monialium obligamus usque ad centum milia librarum Proveniensium, si ea poterit invenire, et exponimus ecclesias magno periculo. Tamen, etsi inveniatur, non sufficient, cum de eis iam debeat infra Urbem XL, ut dicitur, vel L milia librarum Proveniensium, et usura detracta de summa totali, qualem volunt habere Romani, ad quantitatem modicam totum residuum deducetur.

Quocirca tua prudentia pervigil esse debet *nec omni vento circumferri doctrine*⁶⁷. Fuisti quidem in conflatorio curie, ubi discere potuisti, quomodo rerum initia mediaque cum finibus conferuntur et utilitates et dampna non perfunctorie, sed cum magna deliberatione pensantur. Et, licet aliquando pro condicionis humane miseria error incidat in consiliis licet raro, nichil tamen omittitur, quod humana sollertia debeat providere. Illud teneas, quod et alias tibi scripsimus, quod, nisi pecuniam des in Francia mercatoribus eidem in Ytalia assignandam, inani labore consumeris. Nec enim dabunt eam Ytali mercatores recipendam in Francia, nisi carissimi in Christo filii nostri regis Francie illustris haberent litteras, nam super illas crederent confidenter. Aliqua tibi narrabit alia lator presentium viva voce, cui fidem adhibeas. Et, quid feceris, quid possis facere, quid proponas, quod et quorum auxilium invenis, sine mora per eundem rescribe.

Datum Perusii, X Kalendas Septembris, anno I.

70.

Clemens IV. an Erzbischof (Bartolomeo Pignatelli) von Cosenza und Bischof (Bertrand de Saint-Martin) von Avignon: erteilt ihnen Vollmacht, Gegner K(arls von Anjou,) Graf der Provence, gefangenzusetzen und dessen gegen Geistliche gewalttätig gewordene Amtsträger aus der Exkommunikation zu lösen.

1265 Juni 12, Perugia

Archiepiscopo Cusentino et episcopo Avinionensi.

Cum nonnulli Belial filii tam clerici quam laici sub diversis habitibus accedere dicantur ad Urbem in eiusdem Urbis subversionem ac persone dilecti filii nobilis viri C(aroli) comitis Provincie, senatoris Urbis eiusque familie nocumentum, ne huiusmodi iniquitatis ministri pretextu ordinis clericalis, quo dampnabiliter abutuntur, iudicium ultionis evadant, capiendi tales seu faciendi capi, cuiuscumque condicionis, ordinis vel dignitatis extiterint, ac faciendi eosdem in arto carcere, sicut expedire videritis, detineri nec non officiales seu familiares ipsius comitis absolvendi hac vice iuxta formam ecclesie ab excommunicationis sententia, si quam pro iniectioe manuum violenta in clericos seu alias personas ecclesiasticas incurrerunt, vobis et utrique vestrum auctoritate presentium concedimus facultatem.

Datum Perusii, II Idus Iunii, anno I.

⁶⁷ Eph. 4,14.

71.

Clemens IV. an S(imone Paltinieri,) Kardinalpriester von San Martino, Rektor des Herzogtums Spoleto und der Mark Ancona, apostolischer Legat: gebietet ihm, die Exkommunikation des Bischofs G(erardus) von Fermo im Gebiet seiner Legation verkünden zu lassen.

1265 Juni 23 oder 24, Perugia

Dilecto filio S(imoni) tituli sancti Martini presbytero cardinali, apostolice sedis legato, ducatus Spoleti et Marchie Anconitane rectori.

Discretioni tue presentium auctoritate mandamus, quatenus G(erardum) episcopum Firmatum tamquam periurum, inobedientem et contumacem ac ex hiis causis a nobis excommunicationis sententia innodatum per omnia loca tue legationis, in quibus expedire videris, facias sollemniter nuntiari.

Datum Perusii, IX/VIII Kalendas Iulii, anno I.

72.

Clemens IV. an Generalabt und Generalkapitel der Zisterzienser: gebietet ihnen, Mißstände bei der Profesz von Brüdern des Ordens von Calatrava, die gegen eine Verfügung Papst Innocenz' IV. verstießen, auszuräumen.

1265 Juli 27, Perugia

Dilectis filiis abbati et capitulo generali Cisterciensi.

Conquerente dilecto filio fratre Iacobo pro se et aliis ordinis Calatravensis clericis nuper accepimus, quod, licet olim pro statu eiusdem ordinis a felicis recordationis Innocentio papa III predecessore nostro inter cetera fuerit ordinatum, quod clerici ipsius ordinis clericum priorem habeant sui ordinis, in cuius manu professionem faciant regularem, magistri tamen laici eiusdem ordinis clericorum professionem recipiunt eorundem nec sustinent, quod habeant priorem clericum, quamvis dilectus filius abbas Morimundi vestri ordinis ad domum Calatrave tres miserit monachos unum priorem instituens, alium subpriorem et tertium socium eorundem, quorum nullus professionem ipsorum recipit clericorum nec ad recipiendum debet idoneus iudicari, cum non sint eorum ordinis, immo ab eisdem tam habitu quam variis observantiis distinguantur. Unde, cum dictus magistrorum abusus in recipiendis professionibus clericorum non solum ordinationi obviet supradicte, quin etiam ordinis clericalis multum detrahat honestati, petiit suo et aliorum clericorum ordinis eiusdem nomine super hiis sibi per sedem apostolicam paterna sollicitudine provideri.

Nos igitur attendentes, quod, prout et idem frater I(acobus) ore proprio est confessus et eiusdem predecessoris nostri exprimit ordinatio, ordo dictus Calatravensis monasterio Morimundi vestri ordinis sub certa forma noscitur esse subiectus, licet a vobis tam habitu quam certis observantiis secernatur, eundem fratrem ad vestre discretionis providentiam duximus transmittendum discretioni vestre per apostolica scripta precipiendo mandantes, quatenus, que in hiis contra sedis apostolice privilegia temere inveneritis atemptata, tam nostra auctoritate quam vestra de plano et sine figura iudicii in statum debitum reducentes sic super hiis tam plene quam celeriter pacidictorum clericorum providere curetis, ut ipso vel aliis ad nos ex causa simili venientibus iterato committi non oporteat aliis extra ordinem, quod per vos malumus utiliter et salubriter terminari,

attentius provisuri, ne eundem fratrem impediatis in aliquo vel per alium vestri aut sui ordinis impediri sinatis, quominus huiusmodi prosecutioni negotii, quod laudabili ceptum videtur proposito, libere ac licenter intendat, donec per vos, ut diximus, vel vobis id negligentibus per sedem apostolicam finis negotio imponatur.

Datum Perusii, VI Kalendas Augusti, anno I.

73.

Clemens IV. an Prior Petrus des Zisterzienserklosters San Pastore: gebietet ihm, Philippus de Marerio eidlich den Gehorsam abzuverlangen, ihn aus der Exkommunikation zu lösen und ihm das Kreuz gegen Manfred (von Sizilien) zu übergeben.

1265 August 9, Perugia

Dilecto filio fratri Petro priori sancti Pastoris Cisterciensis ordinis.

Cum in conversione peccantium iocundemur, quorum nostri Salvatoris exemplo mortem non cupimus, sed salutem, tue discretioni committimus per apostolica scripta mandantes, quatenus viri nobilis Philippi de Marerio recipias iuramentum de parendo mandatis nostris et eundem a vinculo excommunicationis absolvens confessione eius audita a peccatis, que tibi confessus fuerit, nichilominus absolvas eundem et in omnium delictorum suorum remissionem et satisfactionem plenariam salva tamen restitutione eorum, in quibus est aliis obligatus, crucem ei ex parte nostra propria manu tradas, quam contra Manfredum quondam principem Tarentinum, Sarracenos Lucerie et alios fautores eiusdem facimus predicari, et coram testibus fidedignis, qui celare sciant et velint, que viderint, de hiis confici facias publicum instrumentum et per fidelem nuntium id nobis mittere non postponas. Et, si sibi crediderit expedire, quod ad presens publice crucem non ferat, mittat ad nos dilectum filium Martinum iudicem de Reate, per quem suam nobis explicet, et nos nostram per eum eidem explicabimus voluntatem.

Datum Perusii, V Idus Augusti, anno I.

74.

Clemens IV. an Philippus de Marerio: mahnt ihn, sich der Sache der Kirche anzuschließen.

1265 August 10, Perugia

Nobili viro Philippo de Marerio spiritum consilii sanioris.

Per dilectum filium Martinum iudicem de Reate de tuo proposito aliqua intelleximus, que nostrum animum magna letitia perfuderunt. Quocirca hortandum te duximus et monendum, ut in te Dei *spiritum non extinguas*⁶⁸, sed bonum tibi divinitus inspiratum letanter suscipiens et fideliter promovens ad eius obsequium penitus te inclines, cui melius servire non poteris, quam si nostris consiliis acquiescas, qui vicem eius in terris gerimus et sine acceptione qualibet personarum illos diligimus, qui eum diligunt, nec quicquam volumus, quod ei non credamus acceptum. Et, si viam nostram secutus fueris, non solum tue salutem anime procurabis, sed etiam

⁶⁸ 1. Thess. 5,19.

honorem stabilem status tui et promotionem in melius nobis dantibus opem et operam fiducia-
liter poteris expectare.

Datum Perusii, IV Idus Augusti, anno I.

75.

*Clemens IV. an König K(arl I.) von Sizilien: erteilt ihm die Erlaubnis, das Königreich Sizilien in
Besitz zu nehmen.*

1265 August 20, Perugia

Carissimo in Christo filio C(arolo) illustri regi Sicilie.

Cum in te claritate fidei et devotionis sinceritate, quam tu et progenitores tui ad apostolicam
sedem semper habuisse noscimini, preeminentia generis, strenuitate persone ceterisque donariis
gratiarum, quibus te divine bonitatis affluentia honoravit, provide considerationis lance pensatis
regnum Sicilie debita maturitate consilii ac diligenti cum fratribus nostris deliberatione prehabitis
tibi ad honorem Dei et sacrosancte Romane ecclesie omnium fidelium Christi matris ac tranquil-
litate et pacem eiusdem regni sub certis condicionibus inter nos et te habitis et firmatis
duxerimus conferendum teque per vexillum investiri sollempniter fecerimus de eodem, ingredi-
endi regnum predictum vel partem, undecumque et quandocumque melius poteris, et apprehen-
dendi ac adipiscendi possessionem ipsius auctoritate tibi presentium plenam et liberam licentiam
elargimur.

Datum Perusii, XIII Kalendas Septembris, anno I.

76.

*Clemens IV. an O(ttobono Fieschi,) Kardinaldiakon von Sant'Adriano, apostolischer Legat: er beab-
sichtigt, sich nach Assisi zu begeben, um dort die Kirche Santa Clara zu weihen; unterrichtet ihn über
das Vorrücken Manfreds (von Sizilien) in Mittelitalien, über die geplante Verpfändung von stadtrö-
mischem Kirchengut durch König (Karl I.) von Sizilien, über verschiedene Ereignisse in Ober- und
Mittelitalien sowie über Bischofserhebungen in Tivoli, Famagusta, Faenza und Città di Castello.*

1265 August 25, Perugia

Dilecto filio O(ttobono) sancti Adriani diacono cardinali, apostolice sedis legato.

In confectione presentium sani eramus per Dei gratiam cum nostris ac tuis fratribus ituri
Assisium et consecrata sancte Clare ecclesia Perusium dante Domino redituri. Nec enim alibi
possumus *gradum figere*⁶⁹, cum terre alie patrimonii vel guerris intendant vel victualibus non
abundent.

Venerat Manfredus ecclesie persecutor usque ad Cellas et aliquamdiu fuit ibi cum exercitu
copioso ad civitatem Tiburtinam anhelans, quam sperabat proditorialiter sibi reddi. In quo de-
ficiens inflexo per girum itinere venit Admatricem et eam obtinuit. Et proditores nostri Cassiani
se reddiderunt eidem. Cumque ducatus planitiem ingredi minaretur, recepit de regno nuntium.
Et, quicquid ille detulerit, quod nescimus, in regnum rediit festinanter dimissa militia Vicovari.

⁶⁹ Hab. 2,1.

Rex autem Sicilie moratur in Urbe, cui necessitate cogente concessimus possessiones ecclesiarum Urbis pro mutuo, si illud ibidem invenerit, obligare ecclesiis sancti Petri et Lateranensi et cardinalium et monialium et hospitalium pauperum et castrorum arcibus dumtaxat exceptis, sed, an inveniatur dictum mutuum, ignoramus.

Brixia reddi debuit Mediolanensibus, sed extitit per revelatores consilii impeditum. Unde superveniens Pelavicinus cum paucis et paulatim aggregans multitudinem copiosam quatuordecim de maioribus Cremonam duxit cum familiis eorundem. Senenses abstulerant Urbevetanis duo castra et per biduum fuerant ante Radicofanum, postea retrocesserant et audito, quod rex Sicilie misit Urbevetanis auxilium, recessere confusi. Et Urbevetani castris recuperatis intraverunt terram Senensium usque ad VIII miliaria prope civitatem et preda magna abducta et villis campanis consumptis incendio redierunt. Viterbienses inquisitionem heretice pravitate male seu pessime tolerantes seditionem fecerunt rectore presente et facto conflictu inter partes duo interfecti fuerunt. Transeuntem regis militiam iuxta eos recipere noluerunt. Et breviter, si oportunitatem haberent, mala facerent graviora. Marchia satis volubilis nullum penitus habet statum.

Ad Reatinam ecclesiam viduatam episcopum transtulimus Tiburtinum, Famegustane providimus de fratre Valasco, Faventine de priore Fratrum Predicatorum Perusii, ecclesie de Civitate Castelli de abbate sancti Severi.

Apud nos alia non sunt nova. Scribe nobis omnia, que scire nos expedit vel oportet.

Datum Perusii, VIII Kalendas Septembris, anno I.

77.

Clemens IV. an Bischof (Berengarius de Frérol) von Maguélone: gebietet ihm, im Streit zwischen Erzbischof (Maurinus) von Narbonne und Bischof (Pontius de Saint-Just) von Béziers zu vermitteln.
1265 August 31, Assisi

Episcopo Magalonensi.

Cum, sicut intelleximus, inter venerabiles fratres nostros archiepiscopum Narbonensem et episcopum Biterrensem *discordiam seminaverit* humani generis *inimicus*⁷⁰, nos, qui ex iniuncto nobis apostolatus officio pacem desideramus omnibus et salutem et hiis precipue, quos affectu diligimus singulari, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus partes tuas interponas ad pacem et concordiam inter eos taliter reformandam, quod, sicut eos diligimus et ipsi nos diligunt versa vice, sic se invicem sincera in Domino diligant caritate.

Datum Assisii, II Kalendas Septembris, anno I.

78.

Clemens IV. an König Karl (I.) von Sizilien: unterrichtet ihn, daß Manfred (von Sizilien) die Einnahme von Tivoli beabsichtige, und empfiehlt ihm, unverzüglich Gegenmaßnahmen zu ergreifen.
1265 Juli 12, Perugia

⁷⁰ Prov. 6,19, Matth. 13,39.

Carissimo in Christo filio Carolo illustri regi Sicilie.

Gravis et experte fidei persone insinuatione didicimus, quod, quicquid Manfredus manifestus tuus et ecclesie inimicus simulet sive fingat, ad hoc suam intentionem specialiter dirigit et toto posse laborat, ut civitatem Tiburtinam obtineat, in qua dicuntur nonnulli existere proditores. Unde, quia id in ecclesie ac tuum nec non Campanie et Maritime omniumque fidelium circumadiacentium regionum gravissimum periculum redundaret, expedit omnino, quod tanto discrimini cum festinantia occurratur. Tua igitur excellentia super hiis sublata qualibet mora provideat, quod persecutoris in hac parte totaliter elidatur et evacuetur intentio et civitas ipsa in tua et eiusdem ecclesie fidelitate ac devotione stabiliter preservetur.

Datum Perusii, IIII Idus Iulii, anno I.

79.

*Clemens IV. an König Karl (I.) von Sizilien: empfiehlt ihm den Richter Martinus aus Rieti.
1265 August 10, Perugia*

Eidem.

Venientem ad tuam presentiam Martinum iudicem de Reate audias patienter et *cum mansuetudine verba eius suscipias*⁷¹ de quadam tecum materia locuturum, que poterit esse perutilis, si prosperum sortiatur effectum, nec te tedeat audire plurimos. Nichil enim deperit in hoc tibi, cum ex hiis possis instrui et de multis eligere, quod magis videris expedire.

Datum Perusii, IIII Idus Augusti, anno I.

80.

Clemens IV. an Bischof (Eudes de Lorry) von Bayeux: empfiehlt ihm, seinen Konflikt mit Robertus Maletus beizulegen.

O. D.

Episcopo Baiocensi.

Ad scribendum fraternitati tue super negotio, quod inter te et Robertum Maletum vertitur, nulla persone nos affectio impulit, sed dumtaxat zelus iustitie et pacis aviditas, quam coepiscopos et fratres nostros tam ferventer, tam provide vellemus amplecti, ut supervacaneis litibus non insisterent nec de sua potentia confidentes iustitiam alienam opprimere sibi possibile iudicarent. Nos sane nec laqueum tibi inicere nec scandalum in ecclesia tua ponere volumus, sed te cautum sufficit reddidisse, ut sic tibi provideas in negotio, ne non sine tui honoris macula et sumptus amittas et causam, sciturus, quod nec offendimur nec turbamur, si ius tuum iuste prosequeris cum ea, que decet pontificem, honestate.

⁷¹ Iac. 1,21.

81.

Clemens IV. an Bischof (Pierre de Noyon) von Arras: empfiehlt ihm, das Abkommen mit dem Sohn eines Wucherers zurückzuweisen.

O. D.

Episcopo Atrabatensi.

Missas tue fraternitati litteras facultatis pro quodam, quem asseris magni filium usurarii, si de tuo fuerunt petite consilio, ea facilitate potes respuere, qua probasti. Quod si de tuo beneplacito earum impetratio non processit, nec in eis quicquam invenies, quod tibi aliquam necessitatem indicat, nec uti illis cogaris, quas nullo tempore acceptasti. Illud sane scire te volumus, quod, cum circa feneratorum filios promovendos te copia reddat inopem nec adiectione indigeat plenitudo, nedum si facultatem dederimus, quin etiam si pro tali vel talibus quantumcumque precisum mandatum nostrum receperis, volumus, quod non pareas, immo statim nos iudices circumventos.

82.

Clemens IV. an S(imone Paltinieri,) Kardinalpriester von San Martino, Rektor des Herzogtums Spoleto und der Mark Ancona, apostolischer Legat: schlägt seine Bitte um finanzielle Hilfe aus.

O. D.

Dilecto filio S(imoni) tituli sancti Martini presbytero cardinali, ducatus Spoleti et Marchie Anconitane rectori, apostolice sedis legato.

Litteras tuas vidimus continentes, quod totam illam pecuniam, quam ex visceribus nostre paupertatis avulsimus, in stipendia militum iam disperseras, quam tamen te credidimus sic suis dispensaturum temporibus, ut eo posset negotio subvenire commodius, quo in tempus et tempora foret consultius distributa. Sane, si redimere potest temporis brevitatis, quod expectata prolixitas effecisset, hoc ipsum gratanter accipimus, quod si credis fontem nos habere pecunie, qui quasi semper scaturiens nequeat exhauriri, falleris, fili carissime, cum nec manus se offerant largientium nec nos extorsionibus intendamus. Exnunc igitur scire te volumus et secreto tenere, quod, nisi sibi Marchia ipsa providerit, a nobis auxilium in pecunia vel militibus non habebit, suisque singulos relinquemus arbitriis, ut, si fideles esse voluerint, stent pro fide. Si vero facilitate solita fieri forte voluerint infideles, tempora prestolabimur, quibus eos possimus conterere, vel successoribus reservabimus conterendos. Frustra igitur nobis scribes postulaturus subsidium, frustra consummationem negotii polliceberis, cuius diu iam fuimus expectatione decepti, frustra mensis vel mensium terminus proponetur, in quibus nullam invenimus veritatem. *Litus enim aravimus*⁷² et aramus et fructus terre sterilis nolumus amplius expectare. Ceterum, si in terra potes ordinare militiam, sicut in alia littera tibi scribimus, qua terra defendi valeat et hostilis malitia profugari, tunc laudare poterimus Marchianos, qui tot sumptibus inutilibus nos et predecessores nostros hactenus pregravarunt.

⁷² Ov. epist. 5,116.

Clemens IV. an König (Jakob I.) von Aragón: dankt ihm, daß er sich für die Befreiung des Elekten Manfredus (Roberti) von Verona aus der Gefangenschaft Manfreds von Sizilien eingesetzt habe, und empfiehlt ihm den Archidiakon von Vicenza R., der dies in die Tat umgesetzt habe.

1265 September 4, Assisi

Carissimo in Christo filio regi Aragonum illustri.

Devotionis tue promptitudinem, quam ad Romanam ecclesiam ostendisti, super liberatione dilecti filii Manfredi Veronensis electi, quem Manfredus quondam princeps Tarentinus persecutor ecclesie detinebat, quam fieri procurasti, qua nichil nobis gratius facere poteras, dignis in Domino laudibus attollentes magnitudinem tuam multarum gratiarum prosequimur actione. Quanto tamen studio et sudore, quanta sollicitudine, quanto discrimine, quantis etiam persone periculis dilectus filius R. archidiaconus Vicentinus, cui onus huiusmodi iniunxisti, super hoc laborarit, brevi non posset explicari sermone, propter quod gratiam meruit apostolicam obtinere, et tua in ipso, licet eum illam habere antea crederemus, debet exinde non modicum suscipere incrementum. Quocirca tuam rogamus serenitatem attente, quatenus ob reverentiam apostolice sedis et nostram nec non et eiusdem archidiaconi merita, quem speciali volumus prosequi gratia et favore, sic specialiter habere velis commendatum eundem, quod idem archidiaconus huiusmodi nostre intercessionis suffragium apud tuam celsitudinem sibi non in vacuum affuisse letetur et nos tibi proinde oportunitis temporibus exponere teneamur apostolice benignitatis affectum. Nec mireris, quia moram traxit idem archidiaconus in istis partibus longiorem, cum frequenter negotium ad eum statum devenerit, ut omni spe precisa crederetur totaliter impeditum, propter quod ipsum ire oportuit sepius et redire.

Datum Assisii, II Nonas Septembris, anno I.

Clemens IV. an M(atteo Rosso Orsini,) Kardinaldiakon von Santa Maria in Porticu, Rektor des Tuszischen Patrimoniums, apostolischer Legat: weist seine Bitte um materielle oder militärische Hilfe strikt zurück.

1265 September 5, Assisi

Dilecto filio M(atheo) sancte Marie in Porticu diacono cardinali, patrimonii beati Petri in Tuscia rectori, apostolice sedis legato.

Si ad omnem malitiam hostium compescendam prompta nobis esset militia, ex adverso promptus adesset animus ad eorundem *cornua confringenda*⁷³, sed nec ad danda stipendia nunc sufficimus nec carissimum in Christo filium nostrum C(arolum) illustrem regem Sicilie super dandis militibus duximus requirendum, quem, si facultas adesset, a nobis potius adiuvari deceret, quamquam principaliter eum tangat facta Romanis iniuria sibi que per consequens in eisdem. Non possumus ergo facere, quod petisti, nec necessitatem imminere videmus, quam si pandi contigerit, ab ipsa terra quere subsidium. Nos enim ad expendendum in ea sumus penitus imparati.

⁷³ Ps. (G) 74,11.

Datum Assisii, Nonis Septembris, anno I.

85.

Clemens IV. an König (Alfons X.) von Kastilien und León: weist auf seine eigene mißliche Lage hin; lehnt seine Bitte hinsichtlich der Besetzung des Erzbistums Toledo ab.

1265 September 6, Assisi

Carissimo in Christo filio regi Castelle et Legionis illustri.

Leta nobis tue letitie presentavit nuper indicia magne tue devotionis et fidei testis epistola, quam misisti, magnum illud gaudium exprimens, quod ex nostre promotionis rumoribus, prout scribere tibi placuit, concepisti non mediocriter nichilominus nomini nostro congaudens, pro beati Clementis martyris debita reverentia tuis dulciter insonans auribus, in cuius festo te, prout asseris, olim uterus maternus effudit et annis pluribus revolutis recensita sancti festivitas te et recordationis inclite patrem tuum multis et magnis successibus honoravit. Sane, licet de tanto gaudio, quod se tuis infudit visceribus, cum nos supra meritum ad honorem et supra vires ad onera vocatos, ut credis, celitus audivisti, assurgamus, ut tenemur, ad grates multorum, tamen grandium defectuum nobis conscii, qui terrorem nobis incutiunt et tremorem, quante solium celsitudinis ascenderimus, quantis etiam et quibus patribus successerimus, intuentes flendi potius quam gaudendi materiam apud nos invenimus. Nec tamen animus noster deicitur, cui consolationis remedium ingerit inexhausta divine pietatis abyssus, que, quos suo conformes invenit beneplacito, non sic *elevat, ut allidat*⁷⁴, immo potius opus imperfectionis abhorrens, sicut *humiles erigit in sublime*⁷⁵, sic et locum humilitatis proprie conservantibus reverenter manum non subtrahit adiutricem. Sub illius igitur confidentia, *qui sperantes in se non deserit*⁷⁶, ad fortia manum misimus et ad gravia coaptavimus humeros imbecilles et, quod possibilitas nostra non obtinet, in eo nos posse confidimus, *apud quem non est impossibile omne verbum*⁷⁷.

Verum totius populi christiani, cuius pondus impositum nobis novimus, compatientes angustiis et pressuris eo tuis angimur gravius inter alias, quo profundius tangimur in eisdem. Quamobrem per diversos tam nuntios tue serenitatis piis petitionibus intellectis eos, quanto celerius licuit, expeditivimus in hiis, que vidimus oportuna negotio, tue benivolentie desideriiis grato concurrentes assensu. Et si qua forsitan non admisimus vel aliter, quam peterentur, concessimus, sciat tua serenitas non ex contemptu aliquo vel duritia, sed ex sano salubrique consilio processisse, cum nonnumquam ipsi legati principum sue prudentie innitentes petant ea, que non expediunt, etsi liceant, et interdum etiam, que non licent, quibus utilius circa talia favor subtrahitur, quam presteretur. Porro tui conservationem honoris et eiusdem augmentum prosperum exoptantes et ad ea, que secundum Deum tibi placuerint exhibere, nos promptos et faciles proponentes prelia Domini et prosecutionem ipsorum iuxta morem a tua domo regia iam prescriptum, ecclesias insuper regni tui, iura et libertates earum tue mansuetudini commendamus per viscera misericordie Dei nostri obsecrantes eandem, quatenus sic te strenuum Christi pugilem, sic custodem populi sui vigilem operum attestacione demonstras, ut, cum hactenus in hac parte multos et magnos alios reges viceris, nunc vincere satagas et te ipsum. Demum non miretur tua sublimitas, si circa

⁷⁴ Ps. (G) 101,11.

⁷⁵ Iob 5,11.

⁷⁶ Iudith 13,17.

⁷⁷ Luc. 1,37.

provisionem ecclesie Tholetane iuxta tuas litteras non processimus, que, licet zelum tuum exprimerent et affectum, quem diversis ex causis arduis et honestis ad ecclesiam habes eandem, enervationem tamen iustitie continebant, quam admittere nos non convenit, qui, quamvis legibus non ligemur humanis, lege astringimur conscientie. Que, cum sit pendens electionis negotium inter duos et secundum iuris canonici regulas Marte suo procedens, a tertio superinducendo nos retrahit, donec vel alter vel ambo decident vel unus de iure superior dici possit et alter mediante iustitia repellatur.

Datum Assisii, VIII Idus Septembris, anno I.

86.

Clemens IV. an O(ttobono Fieschi,) Kardinaldiakon von Sant'Adriano, apostolischer Legat: gebietet ihm, sich nach England zu begeben, sich dort für die Sache des Königshauses einzusetzen und, falls er dabei auf Widerstand stoßen sollte, das Kreuz zu predigen; die Bischöfe von London, Worcester, Lincoln und Ely dürfe er in diesem Zusammenhang absolvieren, sie aber nicht wieder in ihre Ämter einsetzen, vor allem wenn sie weiterhin Graf Simon von Leicester anhängen sollten.

1265 September 19, Perugia

Dilecto filio O(ttobono) sancti Adriani diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Leta nobis et tristia nuntiasti, leta quidem in regni nobilis Anglicani liberatione vicina, quam initiatam in virorum sceleratorum occubitu tua speramus industria consummari, sed merore perfusa, dum viros tanti sanguinis, quos exigentibus culpis propriis excommunicationis olim innoveramus sententia, nec Dei nec sui memores intelleximus decessisse. Sane, quod a te ex parte dilecti filii nobilis viri E(duardi) carissimi in Christo filii nostri illustris regis Anglie primogeniti petebatur, audivimus. Et, quia tu magis et melius scire potes, quid deceat, quid expediat, de tua prudentia firmam fiduciam obtinentes discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, si securum potes habere transitum, intres Angliam in nomine Domini nostri Iesu Christi et ad regis stabilimentum et liberorum suorum et regni et honorem ipsorum efficaciter et sollerter intendas. Et, si quam inveneris resistentiam in eodem, que tibi probabiliter videatur durioribus indigere remediis, crucem predica infra regnum et indulgentias prebe iuxta traditam tibi formam. Quod si regnum non potes ingredi nec per regis vel filiorum potentiam tibi posse confidis aditum aperiri, predica crucem, si expedire credideris, in maritima cismarina et in terris Anglie ultra mare et citra, ubi secure poterit predicari. Et, si urget necessitas etiam in regno Alamannie, quantum utile tibi videbitur, quamvis legationem non intres eiusdem, sed ad carissimum in Christo filium nostrum L(udovicum) regem Francie illustrem recurras in omnibus confidenter, quem pro sua bonitate credimus solito promptiorem ad opem et consilium tibi super hiis omnibus impendenda. Ceterum, quantumcumque obedientiam offerant, quantumcumque auxilium Londoniensis, Wigorniensis, Lincolnensis et Heliensis episcopi, ad absolutionem procedere valeas personarum forma ecclesie observata, sed nullius utilitatis intuitu, nullius potestatis obtentu gratiam aliquam eis facias, immo si, prout dicitur esse notorium, vel Symoni quondam comiti Leycestrie vel suis complicibus adhererunt vel interdictum a nobis positum non servarunt. Suspensos ab officio et beneficio nobis reserves animadversione debita puniendos, quod et de aliis fieri volumus, quorum hoc culpas pro sua gravitate cognoveris meruisse. Demum de recognoscendo dominio Romane ecclesie et recuperandis eiusdem iuribus et spoliatis prelati, clericis et ecclesiis restituendis canonice nullam tibi doctrinam tradimus, cum id solum commemorare sufficiat, ut locorum et temporum oportunitate servata nec ex incuria facienda dimittas nec collidentibus

invicem se negotiis ea precipiti festinatione confundas. Bene est nobis et tuis fratribus per Dei gratiam, sed venturam militiam et pecuniam anxii animis expectamus.

Datum Perusii, XIII Kalendas Octobris, anno I.

87.

Clemens IV. an B(arral) des Baux, Podestà von Mailand: lehnt es ab, ihn zu absolvieren, wenn auch die Anschuldigungen in erster Linie seine Amtsvorgänger betreffen.

1265 September 22, Perugia

Nobili viro B(arralo) domino Baucii, potestati Mediolanensi spiritum consilii sanioris.

Ad confusionem tibi reputas, quod salutationis verbum subtrahimus tibi pro nostris et regis, ut dicis, negotiis laboranti, sed, quod aliter scribere non valemus, non mentem tuam plus quam nostram offendit. Satis quidem expertus es hactenus, quod in tuis periculis minime delectamur, immo, ut nosti, cum te tam terre quam anime tue discrimini videremus expositum, subvenimus, ut potuimus, et per Dei gratiam fructuose. Sane scire te volumus, quod, etsi nec Pelavicini fautor nec dampnorum ecclesie ac clero Mediolanensi illatorum auctor extiteris, late tamen ex hiis causis sententie in potestatem et alios, qui eo tempore horum fuerunt auctores, in te transeunt, qui eisdem in officio successisti, cum nondum fuerit satisfactum, nec est querenda a medico cura vulneris ferro sagitte vel lancee in vulnere permanente. Verum, si rebus aliter non dispositis te vellemus absolvere vel dicere non ligatum, nichil aliud esset hoc facere quam penitus iura confundere, iuris interpretem et auctorem. Non miretur igitur tua prudentia, si votis tuis, que, si non graviter repugnarent iustitie, nostre forent consona voluntati, non annuimus, ut desideras, cum id nostre debitum honestatis minime pariat. Venientibus autem ad nostram presentiam ambassiatoribus Mediolanensibus speramus in Domino viam aliquam, si per eos non steterit, inveniri ad ipsorum et tuam salutem efficaciter procurandam, quamvis nobis displiceat, quod in hoc statu maneat etiam per momentum.

Datum Perusii, X Kalendas Octobris, anno I.

88.

Clemens IV. an König K(arl I.) von Sizilien: unterrichtet ihn von seiner Entscheidung, Erzbischof (Bartolomeo Pignatelli) von Cosenza den Zug der französischen Truppen durch die Lombardei organisieren zu lassen.

1265 September 23, Perugia

Carissimo in Christo filio C(arolo) regi Sicilie illustri.

Lombardie statu tempestatibus multis exposito et ab olim, quod dolentes referimus, pluribus lacerato scissuris ad visitationem eiusdem mittere cogimur aliquem pacis angelum, qui pre oculis Deum habens zelo ferveat animarum et ea polleat sapientia, ut fideles in sua devotione firmare et a dampnabili pertinacia indevotos sciat, velit et valeat revocare. Licet autem hoc dudum inheserit menti nostre, hoc tamen tempore accelerandum credimus, quo te fidei prosequente negotium multisque ad idem tuo iam accensis exemplo militia nobilis de Galliarum partibus expectatur per Lombardie fines favente Domino transitura, que legati eiusdem consilio et auxilio multum poterit

adiuari. Mittendum ergo decrevimus, si acceptum habueris, venerabilem fratrem nostrum archiepiscopum Cusentinum, quem ad suscipiendum hoc onus per litteras nostras inducimus, si de tuo fuerit beneplacito, reddendas eidem, et tu tuis precibus eum inducere non postponas. Quod si tibi eius missio non placuerit, vel quia alium utiliozem existimes vel quia tuum ex hoc credas nimis consilium detruncatum, supprimes litteras, quas ad eum dirigimus, et de alio cogitabimus, licet personarum penuriam habeamus et tempus labatur continue non sine discrimine propter mutationes temporum et inconstantiam animorum.

Datum Perusii, IX Kalendas Octobris, anno I.

89.

Clemens IV. an Erzbischof (Bartolomeo Pignatelli) von Cosenza: gebietet ihm, an die Kurie zu kommen, um von dort aus in die Lombardei zu gehen und den Durchzug der französischen Truppen zu organisieren.

1265 September 23, Perugia

Archiepiscopo Cusentino.

Lombardie et cetera usque Mittendum ergo. Ad hoc autem officium te, frater, elegimus, te vocamus. Nec recuses laborem tue et multis utilem animabus, quarum sitire credimus te salutem, nec te terreat magnitudo negotii, quod proponimus, quibuscumque poterimus, congruis et honestis remediis levigare. Et in omnibus aderit tibi Dominus, et nos, qui vicem eius in terris gerimus, assistemus. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatenus in obedientie meritum hoc suscipiens ad nos venias iter tuum exinde versus partes eadem prospere directurus et in occurso venientis militie consolatione tua letificaturus eandem et salubri consilio directurus.

Datum Perusii *ut supra in proxima.*

90.

Clemens IV. an Podestà, Rat und Kommune von Gubbio: bestimmt Robertus de Robertis zum neuen Podestà. – Mit entsprechender Formulierung an Robertus de Robertis.

1265 September 30, Perugia

Dilectis filiis potestati, consilio et communi Eugubino.

Nuper nobis Assisii existentibus nuntios ac vestras litteras destinastis inter cetera continentes apud vos exitisse concorditer ordinatum, quod illum in potestatem reciperetis pro anno instante a Kalendis scilicet Ianuarii inchoando sub certis conventionibus nobis missis, quem vestre vellemus preficere civitati. Nos igitur, licet omnium civitatum rectores probate discretionis et fidei esse plurimum affectemus, illos tamen precipue, quos eligimus, ea cupimus sinceritate pollere, ut *mundo corde et manibus innocentibus*⁷⁸ suum officium exercentes *et Deo placeant et hominibus sint accepti*⁷⁹. Ideoque deliberatione prehabita virum nobilem et fidelem et de domo fideli progenitum

⁷⁸ Ps. 23,4.

⁷⁹ 1. Reg. 2,26, Tob. 14,16, Röm 14,18.

magne prudentie et experientie longioris dilectum filium Robertum de Robertis nunc capitaneum Perusinum vobis in potestatem concedimus ad annum predictum sub illis conventionibus seu condicionibus, quas scripsistis. Et, ne de illis valeat dubitari, eas ei tradidimus cum ipsis nostris litteris nullo addito vel etiam diminuto. Vestrum est exnunc eius adire presentiam et ab eodem exigere pacta debita et eidem promittenda promittere vice versa. Sane preces, quas ab aliquibus vestrum recepimus pro persona alia concedenda, venerunt aliquantulum nimis tarde, cum iam per interpositas personas aliquas verbum de hac materia fecissemus eidem, et ideo preces huiusmodi honestate salva nequivimus exaudire.

Eidem Roberto iuxta eandem formam.

Datum Perusii, II Kalendas Octobris, anno I.

91.

Clemens IV. an P(eter,) Sohn König (Jakobs I.) von Aragón: beglückwünscht ihn zu seinem militärischen Erfolg gegen die Mauren bei Murcia und bittet ihn, in seinem Eifer für die Sache der Kirche fortzufahren.

1265 September 30, Perugia

Dilecto filio nobili viro P(etro) carissimi in Christo filii nostri illustris regis Aragonum primogenito.

Persuadet ingenita tibi nobilitas hiis rebus intendere, illis studiis inherere, que et gratiam tibi divinam impetrent et laudem apud homines tue titulis probitatis acquirant. Hoc sane probat non levibus argumentis laudabilis illa constantia, qua fidei zelo succensus, dum circa partes Murcie Sarracenorum audisses agmina congregata sanguinem sitientium populi christiani, obiecisti te perfide gentis insultibus et infra civitatem eandem adeo, prout fertur, eosdem artasti, quod victualium defectu compressi non possunt effugere manus tuas. In hiis ergo tue strenuitatis initiis grato tibi congratulantes applausu nobilitatem tuam rogandam duximus et hortandam, quatenus bene cepta pervigili cura continuans magnanimitatis paterne providus imitator sic ad finem negotium perducas optatum, sic, ubicumque potueris, pugil Christi cultum eius repressis crucis hostibus studeas propagare, ut et in tuis processibus Dei letifices civitatem et ab omnium retributore bonorum beatitudinis eterne premium assequaris. Verum, quia penes matrem fidelium fidei residet magisterium et ecclesie fideique negotia adeo sunt connexa, quod neutrum sine altero potest legitime promoveri, nobilitati tue consulimus, te rogamus et hortamur attente, quatenus ecclesias et personas ecclesiasticas semper habeas in honore et sic in devotione huiusmodi tuam solides iuventutem, ut, cum etatis provectoris fueris et curis maioribus occupatus, portes assueta suavius et in tam piis actibus magis ac magis cotidie delecteris statuens ante oculos mentis tue, quibus hactenus incrementis profecerint devoti principes et ecclesiastice libertatis amici quamque viliter et abiecte ceciderint, qui viam aliam, immo devium potius sunt secuti. Nos sane, sicut carissimum in Christo filium nostrum patrem tuum sincere dileximus, sic et te tenere brachiis dilectionis amplectimur tuum in Domino desiderantes profectum, quia te credimus ad magna et Deo placentia reservari.

Datum Perusii, II Kalendas Octobris, anno I.

92.

Clemens IV. an Jakob, Sohn König (Jakobs I.) von Aragón: erinnert ihn an die großen Verdienste seiner Vorfahren um den Glauben und bittet ihn, die Kirche in Ehren zu halten.

1265 September 30, Perugia

Dilecto filio nobili viro Iacobo filio carissimi in Christo filii nostri regis Aragonum illustris.

Persuadet ingenita *et cetera usque* probitatis acquirant. Ad hoc satis movere te possunt exempla domestica a tuis retro progenitoribus, avis et proavis, continua temporum serie in carissimum in Christo filium nostrum patrem tuum feliciter derivata, qui precedentium actus magnificos non tam prosequens quam accumulans expulsis perfidis de suis finibus divini cultus fidelissimus extitit ampliator tibi tradens doctrinam operis efficacioris longe quam verbi, ut et tu ad similia te coaptans catholice fidei pugil assiduus esse velis. Verum, quia *et cetera ut supra in proxima usque in finem.*

93.

Clemens IV. an O(ttobono Fieschi,) Kardinaldiakon von Sant Adriano, apostolischer Legat: gebietet ihm, (Heinrich von Segusia,) Kardinalbischof von Ostia und Velletri, zur Abhilfe seiner finanziellen Schwierigkeiten ein oder zwei vakante Kirchenämter im Königreich England zu übertragen. – Mit entsprechender Formulierung auf Ottaviano (Ubaldo), Kardinaldiakon von Santa Maria in Via Lata) bezogen; 1265 Oktober 20.

1265 Oktober 7, Perugia

Dilecto filio O(ttobono) sancti Adriani diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Grandis caritatis affectus, quem ad personam venerabilis fratris nostri H(enrici) episcopi Ostiensis et Velletrensis gerimus, sepe nobis de ipsius cogitare persona suadet, sepe pro eius commodis animum nostrum pulsat, et, dum eiusdem episcopi genus et mores, probitatem et puritatem attendimus, inhonestum et absurdum etiam reputamus, ut dictus episcopus, qui est magnum et honorabile membrum ecclesie quemque inter alios, qui nobis in exequendo apostolatus officio coadiutores et cooperatores existunt, affectione magna prosequimur, ante conspectum nostrum egeat et paupertate gravetur. Unde non indigne providimus relevare ipsius egentiam et eidem in forma subscripta ducentas sexaginta marchas Sterlingorum secundum communem extimationem annuas in regno Anglie assignare.

Quocirca discretioni tue per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatenus affectum nostrum attendens diligentius in hac parte unum vel duo beneficia in eodem regno vacantia vel, quamprimum ad id se facultas obtulerit, que ad hoc congrua et sufficientia putaveris, sint prebende vel personatus in ecclesiis cathedralibus vel aliis sive parochiales ecclesie ad cuiuscumque collationem sive presentationem spectantes, predicto episcopo sive procuratori suo eius nomine auctoritate nostra studeas commendare et in corporalem inducas possessionem ac defendas inductum ita, quod eadem beneficia per te sibi auctoritate nostra commendanda sic commendata per se vel per alium, quamdiu nobis placuerit, habeat et teneat ac obventiones sive fructus et redditus eorum ad suam sustentationem percipiat et faciat ipsos suos, non obstante, si archiep-

copi vel episcopi vel quicumque alii prelati sive persone, capitula, conventus vel quivis alii seculares vel regulares ipsius regni, cuiuscumque dignitatis, condicionis vel religionis existant, ad quorum collationem sive presentationem predicta beneficia pertinent, sint de mandato apostolice sedis vel legatorum eius super simili vel alia provisione gravati aut si eis a sede indultum existat eadem, quod interdicti, suspendi vel excommunicari seu ad provisionem alicuius compelli non possint per litteras apostolicas non facientes plenam, specialem et expressam de indulto huiusmodi vel de religione ipsorum vel ordine mentionem sive qualibet alia indulgentia eiusdem sedis vel privilegio, cuiuscumque tenoris existat, aut statuto, iuramento vel confirmatione sedis apostolice roborato sive constitutione seu contraria quavis consuetudine, de quibus vel eorum tenoribus de verbo ad verbum totaliter exprimendis oporteat in nostris litteris omnimodam fieri mentionem et per que presentium effectus impediri possit aliquatenus vel differri, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo.

Datum Perusii, Nonis Octobris, anno I.

In eodem modo pro domino Octaviano de CCCXXX marchis. Datum Perusii, XIII Kalendas Novembris, anno I.

94.

Clemens IV. an Königin (Margarete) von Frankreich: entschuldigt sich, daß er seinen Notar Berard (von Neapel) noch nicht zu ihr geschickt habe. – Mit entsprechender Formulierung an Königin (Eleonore) von England.

1265 Oktober 18, Perugia

Carissime in Christo filie regine Francie illustri.

Missionem dilecti filii magistri Berardi notarii nostri, cuius presentia multum nobis est oportuna, subito facere non potuimus, cum nec honestam causam missionis huiusmodi post legatum a latere destinatum haberemus ad presens sitque visum aliquibus, quod ex hoc posset idem aliquatenus provocari legatus, presertim cum apostolica sedes suos ad remota notarios mittere minime consueverit sine certe titulo potestatis, que sibi dari non poterat, quin in aliquo videretur detractum alterius potestati. Cogitamus tamen et viam inquirimus, per quam cum honore nostro et sine alterius scandalo serenitatis tue beneplacitum impleatur.

Datum Perusii, XV Kalendas Novembris, anno I.

In eodem modo regine Anglie.

95.

Clemens IV. an Malatesta (da Verucchio), Adliger von Rimini: begrüßt es, daß er in Rimini wieder aufgenommen worden sei; hält ihn an, sich friedlich zu verhalten.

1265 Oktober 26, Perugia

Dilecto filio nobili viro Maleteste civi Ariminensi.

Tuas nuper tribulationes audivimus et, prout decuit, compassi fuimus patienti. Tuas postmodum consolationes audivimus in eis tecum pariter consolati, dum ex fida relatione didicimus te

in civitate Ariminensi a dilectis filiis potestate et civibus cum gaudio et honore receptum. Sicut igitur te ad pacem nuper facilem et tractabilem prebuisti, sic ad eam ex parte tua tenendam et in aliis nutriendam curam impendas pervigilem. Nec iniurie transacte memineris, sed posteriorum oblitus ad anteriora te conferas et attendas non te tibi, sed multis genitum privatis commodis debere publica anteferre. Nos vero, qui tuis semper profectibus congaudemus, ad ea, que tui sunt commodi vel honoris, cum id hactenus actus tui meruerint, promptam habemus per omnia voluntatem.

Datum Perusii, VII Kalendas Novembris, anno I.

96.

Clemens IV. an S(imone Paltinieri,) Kardinalpriester von San Martino, Rektor der Mark Ancona und des Herzogtums Spoleto, apostolischer Legat: äußert seine Genugtuung über den wiederhergestellten Frieden in Rimini und mahnt ihn, sich dorthin zu begeben und sich weiterhin in der Angelegenheit zu bemühen.

1265 Oktober 26, Perugia

Dilecto filio S(imoni) tituli sancti Martini presbytero cardinali, Marchie Anthonitane et ducatus Spoleti rectori, apostolice sedis legato.

Quod rex ille pacificus, qui viros pacificos in speciales filios adoptavit pacis eisdem statuens testamentum, Ariminensem civitatem nuper misericorditer voluit visitare reddita pace discolis, unitate divisus, per tuas primo, deinde per dilectorum filiorum virorum nobilium Tadei, Guidonis Guerre et G(uidonis) de Salvaticis comitum litteras insinuatione fideli recepimus magno perfusi gaudio, magna consolatione refecti. Verum, quia, quantumlibet videantur extincta, facile pullulant odia rediviva, discretionem tuam hortandam duximus et rogandam, quatenus tam salubri concordie cunctis nostris fidelibus amplectende, que pro data tibi a Deo prudentia et ab eius vicario potestate videris necessaria, adhibere non differas fulcimenta, cum specialiter inter cetera officio sacerdotis incumbat in fidelium cordibus ignem caritatis accensum subministratis lignis iugiter enutrire, quod prudenter implebis, si personaliter ad locum accedens congratulationibus debitis, exhortationibus sedulis, cautionibus et cautelis idoneis, transactionibus solidis et, si tibi videbitur oportunitum, mutuis parentelis sic pacem firmaveris inter partes, ut, quantum potest fieri, humani consilii providentia nulla remaneat iusta suspicio recidivi. Et confidas in Domino, quod te, quod tuum est, exequente, quod suum est, faciet, sine quo facere nichil potes.

Datum Perusii, VII Kalendas Novembris, anno I.

97.

Clemens IV. an Graf Taddeo von Montefeltro, Podestà von Rimini: äußert seine Genugtuung über den wiederhergestellten Frieden in Rimini und mahnt ihn, sich um die Beförderung der neugewonnenen Eintracht zu bemühen.

1265 Oktober 26, Perugia

Dilecto filio nobili viro Tadeo comiti Feltrensi, potestati Ariminensi.

Deo gratias agimus, qui civitatem Ariminensem sub tuo regimine reformavit pace reddita civibus, que non solum in suum, sed etiam in provincie totius periculum vacillabat. Gaudemus, fili, de tanto munere Salvatoris et tue congaudemus industrie, qui zelo fidei et ad nostram ac Romane ecclesie devotionem accensus pacis consilia prudenter ac fideliter iniisti, ut merito et in presenti gaudium et in futuro premium assequaris. Verum, quia non minor est virtus quam querere parta tueri, nobilitatem tuam hortandam duximus et rogandam in remissionem tibi peccaminum suadentes, quatenus ad initiatam gratam Deo concordiam nutriendam omnemque materiam recidivi discriminis amputandam des opem et operam efficacem, ut in hoc tuo placeas Redemptori et nos, qui personam tuam ac domum sincere brachiis caritatis amplectimur, ex hac causa diligere te propensius teneamur.

Datum Perusii, VII Kalendas Novembris, anno I.

98.

Clemens IV. an Podestà und Kommune von Rimini: äußert seine Genugtuung über den wiederhergestellten Frieden in Rimini und mahnt sie, künfftig Eintracht walten zu lassen.

(1265 Oktober 26, Perugia)

Dilectis filiis potestati et communi Ariminensi.

Quantum Deo pax placeat, quantum in viris pacificis delectetur veritas, aperit scripturarum testimonium perhibentium, quod rex novus nascens ex virgine pacis edictum proposuit angelorum preconiis promulgatum, *pacem reliquit*⁸⁰ discipulis moriturus, pacem resurgens a mortuis nuntiavit. Nos sane, qui vices eius in terris gerimus et ipsius nos cupimus voluntati, quantum nostra fragilitas patitur, conformare, sicut de lesa inter vos caritate fuimus nec immerito conturbati, sic nuper rumoribus melioribus insonantibus vos ad mutuam rediisse concordiam magna spiritus exultatione perfusi Deo gratias immensas exsolvimus, qui plebem suam tam salubriter voluit visitare. Quocirca vestram, dilecti filii, devotionem et fidem in Domino commendantes hortandos vos duximus et rogandos, quatenus omni rancore deposito sicque funditus extirpato, *ne qua radix amaritudinis sursum germinans*⁸¹ inter vos aliquam valeat innovare scissuram, sitis omnes unanimes et concordēs, ut uno spiritu in devotione sancte matris vestre Romane ecclesie inconcussa soliditate firmati valeatis, ut expedit, in pacis multitudine delectari sicque pacis angeli vobis congaudeant et nos, qui vos sincere brachiis caritatis amplectimur, in vobis sicut viris pacificis et pacis filiis delectabiliter gloriemur.

Datum *ut supra in proxima*.

99.

Clemens IV. an S(imon de Brion,) Kardinalpriester von Santa Cecilia, apostolischer Legat: gebietet ihm, sich weiterhin in der Angelegenheit König (Karls I.) von Sizilien zu bemühen; seine eigenen Kräfte seien erschöpft.

(1265 September 15, Perugia)

⁸⁰ Ioh. 14,27 und öfter.

⁸¹ Hebr. 12,15.

Dilecto filio S(imoni) tituli sancte Cecilie presbytero cardinali, apostolice sedis legato.

Considerato carissimi in Christo filii nostri illustris Sicilie regis statu, si circa subventionem eiusdem in tempus, ut scripsisti, prolixum tua forsitan impotentia perseverat, quomodo possit subsistere, circumscripto divino miraculo non videmus, nisi carissimus in Christo filius noster illustris rex Francie fratri suo subveniat dando mutuuum sibi de decima suo tempore persolvendum. Quamvis autem super hoc sepius ei scripserimus nec fuerimus exauditi, nunc tamen eodem rege Sicilie ob hanc causam ad ipsius presentiam certos suos et speciales nuntios destinante de eadem materia litteras innovamus tue discretioni per apostolica scripta mandantes, quatenus per te facias, quicquid poteris, in predictis et nuntios ipsos dirigas in agendis. Vires enim nostre deficiunt, et, qui nobis male sufficimus, aliis subvenire non possumus, ut vellemus.

100.

Clemens IV. an Bischof (Guy de Mello) von Auxerre: mahnt ihn, das Kreuz zu nehmen und sich für die Sache König K(arls I.) von Sizilien einzusetzen.

(1265 vor November)

Episcopo Altisiodorensi.

Si ecclesie Dei compatiens, si carissimi in Christo filii nostri C(aroli) illustris regis Sicilie laboribus iam susceptis intendens urgente stimulo pietatis crucem velles recipere et cum eodem rege tam salubriter quam feliciter laborare, nostrum multum letificares animum et tam regem quam negotium regium promoveres. *Dedit etenim tibi Dominus spiritum sapientie, sed et linguam contulit eruditam*⁸², sensum tuum insuper multi iam temporis experientia solidavit, ut nil tibi desit in ulla gratia, qua tam pium negotium valeat promoveri. Quocirca fraternitatem tuam monendam duximus et hortandam, quatenus Deum habens pre oculis et afflictis Romane ecclesie atque regi tue viscera pietatis aperiens in tuorum remissionem peccaminum te ipsum Deo et cruci offeras in odoriferum holocaustum⁸³ et ad regem eundem, prout tuam decet sollertiam, sicut fidei pugil accedas, quod ut liberius et libentius exequaris, peregrinandi ex causa huiusmodi tibi concedimus facultatem.

101.

Clemens IV. an S(imon de Brion,) Kardinalpriester von Santa Cecilia, apostolischer Legat: kritisiert ihn wegen seiner Vorgehensweise in der sizilischen Angelegenheit; setzt ihm die schwierige finanzielle Lage König (Karls I.) von Sizilien auseinander.

1265 November 1, Perugia

Dilecto filio S(imoni) tituli sancte Cecilie presbytero cardinali, apostolice sedis legato.

Adversantes sibi sententie, que plerumque nostris influunt auribus, ambiguitatis non leve scrupulum frequenter ingerunt cordi nostro, et, quia cordium latentes angulos non videmus, quorum

⁸² 1. Cor. 12,8, Isai. 50,4.

⁸³ Num. 28,27.

solus est cognitor conditor eorundem, nunc falsa pro veris nunc dubia pro certis recipimus nec debemus improvide de levitate notari, cum non ad omnium moveamur eloquia, sed illorum, quorum auctoritas vel nobilitate iuvatur originis vel dignitatis eximie gravitate fulcitur. Hinc est, fili carissime, quod tuis litteris, quibus innuitur, quod circa illa, que tibi scripsimus, nimis creduli forte fuerimus, breviter respondemus, quod, cum et nobis et carissimo in Christo filio nostro illustri regi Sicilie intimasses, quid de contractis debitis ordinaveras, quid de crucibus transferendis, quid de militibus stipendiandis decreveras, et nos mirati fuimus et rex ipse, quod sibi victum simplicem non habenti grandis exercitus pararetur ipso quasi de vento victuro soli et incerte derelicto fortune adeo, ut improvisum sibi et subitum suum nobis merorem denuntians nobis scripserit et per venerabilem fratrem nostrum Avinionensem episcopum et dilectum filium G(aufri- dum) cancellarium Baiocensem protinus intimaverit se, quo se verteret, ignorare confusum se reputans, quod dabatur militibus, quod ad suam sustentationem debuerat destinari. Nosque, qui tunc paratum nuntium habebamus, scripsimus tibi, que scripsimus, et tu scribis, quod eius mandato hec facta fuerant, ipse negat. Quocumque tamen abire res debeat, crescunt eius defectus cotidie, et id ipsum, quod de mutuo centum milium librarum Turonensium in Urbe recipendarum tractatum extitit, quamvis ecclesiarum bona, que in Urbe sunt, pro eodem rege exposuimus obliganda, iam deficit vel vacillat, iam Romani resiliunt creditores, nec bene confidimus, quod optatum tractatus huiusmodi sortiatur effectum. Salem Provincie multorum vocibus predicatum in istis partibus non sentimus, et, sicubi miserabilis est vita principis, apud ipsum queratur, qui suum et suorum vestitum et victum in sudore vultus sui mendicat in manus respiciens creditorum. Qui sanguinem eius ebibunt, quod non valet duos denarios, solido vendentes eidem, et nec hoc ipsum occurrit libere, sed cum multis blanditiis et humilioribus precibus, quam deceret, cum difficultate non modica reperitur. Nobis igitur stilo uno, tibi vero et suis altero non eadem, sed opposita scriptitans quem decipit, nos vel te potiusve se ipsum, id ad presens iudicio tuo relinquimus. Nec te manum iubemus retrahere a stipendiis nec porrigere suademus ad danda. Quod carissimis in Christo filiis nostris Francie et Sicilie regibus ordinare placuerit, sit lex scripta. Nos autem in simplicitate nostra vivemus rerum felices exitus prestolantes et, quod poterimus, ei subsidium et consilium impendemus, quamvis dato, quod non oportet, conclusio similis subsequatur. Verum vias, quas nobis scripsisti, de nova decima indicenda, de querendo in Anglia mutuo multum difficiles et fratrum nostrorum proposito male consonas arbitramur. Circa alias cogitabimus, quid expediat et quid liceat et quid deceat, et, quod Deo credemus acceptius et utilius esse negotio, eligemus. De privilegiatorum decimis, quorum nullum exemimus, immo scripsimus, quod nobis sufficit iniuriam eis non fieri, si suis valeant privilegiis se tueri, novo responso non indiges. Exactionem quidem suspendimus ab initio, sed postmodum per dilectum filium magistrum P(etrum) notarium nostrum litteras tibi misimus suspensionem huiusmodi revocantes salvo tamen iustis defensionibus eorundem. Ceterum et crucis predicationem continuari volumus, donec duxerimus aliud ordinandum. Tu vero tempus statue, quod pro tua prudentia duxeris statuendum. Ad animam humilem, quam misisti, non est dandum modo responsum. Nondum enim inter emeritos reputaris. Illud demum scire te volumus, quod, nisi pecunia veniat, cadet negotium, nisi Deus miraculum operetur et humani defectum consilii sua suppleat bonitate. De cotidianis eius expensis non dubites, quin diebus singulis ad mille et ducentas libras Turonenses et plus frequenter ascendant. Quo ibunt, cum maior affuerit multitudo, non sine cordis amaritudine cogitamus videntes, quod tota decima primi anni in negotii solis preludivis pendatur.

Datum Perusii, Kalendis Novembris, anno I.

102.

Clemens IV. an R(iccardo Annibaldi,) Kardinaldiakon von Sant'Angelo: überläßt es seiner Entscheidung, sich zu König K(arl I.) von Sizilien zu begeben und dessen Pläne herauszufinden.

1265 Oktober 21, Perugia

Dilecto filio R(icardo) sancti Angeli diacono cardinali.

A carissimo in Christo filio nostro C(arolo) illustri rege Sicilie preces obnixas accepimus petente ex affectu, ut tuam sibi concederemus presentiam hoc sibi tempore admodum necessariam. Causam tamen necessitatis huiusmodi non expressit. Licet autem ex causa, loco et tempore ac aliis circumstantiis tam negotii quam persone precum dependeat nunc exauditio nunc repulsa, quia tamen regium volumus explorare secretum, tue totum discretioni committimus, ut tu, fili, qui conscius es ministerii scisque tuam presentiam nostris consiliis oportunam, diligenter attendas, que sit regis utilitas, que necessitas. Et, si talem eam cognoveris, que movere nos deberet expressa, eius te volumus, si et tibi placuerit, satisfacere voluntati.

Datum Perusii, XII Kalendas Novembris, anno I.

103.

Clemens IV. an den Abt und die Brüder des Klosters San Benedetto in Norcia: gebietet ihnen, die Franziskaner, die sich in Norchia niederlassen wollten, gut zu behandeln.

1265 Oktober 30, Perugia

Dilecto filio abbati monasterii sancti Benedicti de Nurcia et fratribus eius.

Dilectos filios Fratres Minores, quos trahebat devotio ad locum sibi in Nurcia obtinendum, de quo vite vir venerabilis gratia benedictus et nomine, prout legitur, traxit originem, non ex hoc vobis reputare debetis infestos, cum id sine vestra vellent iniuria, nec erat verisimile, quod, qui pro Deo reliquerant voluntarie propria, contra Deum appeterent aliena. Quocirca vobis per apostolica scripta mandamus, quatenus sub nostra protectione securi eos solite caritatis dulcedine prosequentes diligatis et honoretis eosdem nec ab eis quicquam timeatis adversi, qui sue contenti funiculis paupertatis nec locum illum nec alium sibi vindicare proponunt in iuris preiudicium alieni.

Datum Perusii, III Kalendas Novembris, anno I.

104.

Clemens IV. an den Abt des Klosters La Chaise-Dieu: bittet um Verständnis, daß zur finanziellen Unterstützung der Kardinäle Klosterbesitz beansprucht werde.

1265 Oktober 30, Perugia

Dilecto filio abbati monasterii Case Dei.

Si Romane statum ecclesie multorumque fratrum nostrorum inopiam perspicaci consideratione notares, paupertati ipsorum compatereris, ut decet, et, prout expedit, congauderis, cum

compassionis materiam prebeat eorundem necessitas et causam gaudii subministret *puritas manuum*⁸⁴ et sinceritas animorum, que apud eandem ecclesiam, licet omni tempore fuerit, plus tamen solito toti mundo per Dei gratiam innotescit. Unde et te mirari non decuit, si fratrum volumus relevare hoc tempore indigentiam de bonis ecclesiarum et monasteriorum, pro quorum utilitate vigilant ceteris dormientibus fratres ipsi, qui de vento vivere nequeunt nec manus porrigunt ad illicita nec possunt de nostra, que satis est tenuis, camera sustentari. Licet autem venerabili fratri nostro H(enrico) Hostiensi episcopo alibi providerimus et ob hoc querimonia tua cesset, diu tamen parcere non proponimus, quin fratrum onera indigentium aliquorum tibi et aliis tolerabiliter partiamur, quod, si equanimiter tuleris, ad matrem tuam humanitatem te gerere comprobabis. Nos quidem, si de nostro possemus eis consulere, aliis libentissime parceremus. Demum scire te volumus, quod tui monasterii minuere non intendimus libertatem, quod sincere complectimur brachiis caritatis, sed, ubi privilegia cernimus iuri divino contraria et humano, licet eadem innovare nolimus, satis tamen nos reddimus gratiosos, si ea non audivimus, que rationabiliter annullare possemus. Et, quamvis nostris predecessoribus, prout honestas exigit, geramus honorem, multa tamen eorum aliquibus placuerunt, que nobis imparis meriti et scientie nulla possent ratione placere.

Datum Perusii, III Kalendas Novembris, anno I.

105.

Clemens IV. an König K(arl I.) von Sizilien: erläutert die schwierige finanzielle Lage; tadelt ihn wegen der Auswahl des Archidiakons (Dekans) von Meaux als Gesandten nach Frankreich und empfiehlt, statt dessen Bischof (Bertrand de Saint-Martin) von Avignon dorthin zu schicken; äußert sich über die Qualität von Ratgebern.

1265 Oktober 30, Perugia

Carissimo in Christo filio nostro C(arolo) regi Sicilie illustri.

Quantum nostrum tangat et angat animum necessitatum tuarum instantia, novit *cordium perscrutator*⁸⁵, quarum dum *altitudinem, longitudinem, latitudinem et profundum*⁸⁶ inspicimus, explicare nec scimus nec possumus, quo sit ordine procedendum, et tamen, quod in nobis est, omittere nolumus et humano deficiente consilio divinum auxilium cogimur invocare. Sane, si, quod absit, militia tua non venerit, unde vivas sub expectatione eiusdem, quo ingenio Urbem tenere valeas, qua potentia impeditum semel militie transitum aperire, liquido non videmus, et, si venerit, ut speratur, unde tantus exercitus valeat sustentari, non minus iudicamus obscurum. Nos enim et apud nos necessarium tibi mutuuum invenire nequimus et apud fratres tuos carissimos in Christo filios nostros inclitum regem Francie et nobilem Pictavensem comitem trinam repulsam invenimus super tuo subsidio precibus tertio repetitis, sed et legatus Francie excitatus a nobis, ut mutuuum magnum quereret super decimam, nuper nobis rescripsit, quod requisitis episcopis et abbatibus, baronibus et mercatoribus nichil prorsus invenerat, nisi quod a dilecto filio prefato comite Pictavensi fratre tuo quatuor milia marcharum argenti et quinque milia librarum Turonensium ex mutui causa receperat in festo Purificationis proximo persolvenda, que tamen,

⁸⁴ Ps. (G) 17,21.

⁸⁵ Sap. 1,6.

⁸⁶ Augustinus, Sermo 165, 2.

unde solveret, nesciebat, nisi tunc apud eundem comitem dilationis gratiam inveniret. Hoc autem non scribimus, ut tuam prosternamus constantiam, sed ut diligentiam excitemus ad querendum remedium oportunitate, ne fortune solius eventibus te committens videaris improvidus vel torpens otio et auxilium de celo prestolans temptare Dominum iudicaris.

Quidnam fuit, fili carissime, pro tanto negotio contra nostrum consilium Meldensem archidiaconum in Franciam destinare, cum tibi consuluissemus aperte, quod vel venerabilem fratrem nostrum archiepiscopum Cusentinum vel Avinionensem episcopum illuc mitteres? Legationi quidem non parum adicit gravitatis eius, qui destinatur, auctoritas, ut de prudentia et rerum experientia taceamus. Nec sufficit fidelem te mittere, nisi mittas pariter et prudentem, non illa prudentia fragili, ex qua multis inaniter nomen prudentis imponitur, qui in magnis negotiis positi eorum ingressum vel exitum non viderent. Non tu talibus consiliariis indiges, sed ad regnorum potius gubernacula regum lateribus tales debent assistere, qui scirent regere ipsa regna. Et qui sunt illi, quos querimus? Illi utique, qui nec minutis alliciuntur munusculis nec magnis muneribus excecantur, ingenio naturali dotati, litterarum scientia prediti vel multa et grandia saltem experti, puro corde purisque manibus, non precipites in consilio, non inciviles in verbo, non sompno, non otio, non crapule dediti, non impatientes consortii sciunt, volunt et audent suis dominis bene consulere, qui et impotentiam eorundem, si non statim satisfaciunt indigentibus, negligentiam vel duritiam, si non semper, ut decet, vel recipiant venientes vel respondeant aliqua postulanti, curialiter noverint excusare. Nec contempnas, quod inseruimus de audacia. Numquam enim bonum consiliarium habere poteris, quem non reddideris animosum, nam, si timidum esse volueris, aut tibi blandiens te seducet aut penitus forte tacens abire te sinet in tue precipitium voluntatis. Adhuc ergo consulimus, quod mittas alterum de duobus, archiepiscopo scilicet et episcopo supradictis, sed de episcopo crederemus consultius, cum sit tibi archiepiscopus necessarius, qui regni melius condiciones intelligit, cui etiam se regnicole familiariter exhibent et exponunt. Nos autem, si hoc tibi placuerit, mittemus, quem miseris, verbis nostris et scripturis tam ad regem et comitem supradictos quam ad cardinalem et prelatos sufficienter instructum. Et credimus ac speramus corda quantumlibet saxea sic movere, ut et tuis compatiantur angustiis et nostris persuasionibus nostrisque necessitatibus acquiescant. In hiis autem et aliis, que prefatus Cusentinus archiepiscopus tibi dixerit, credas ei, in cuius ore posuimus verba nostra.

Datum Perusii, III Kalendas Novembris, anno I.

106.

Clemens IV. an König (Karl I.) von Sizilien: empfiehlt ihm den aus Cremona vertriebenen Adligen Iacobinus.

1265 November 1, Perugia

Carissimo in Christo filio regi Sicilie illustri.

De viro nobili Iacobino cive quondam, sed dudum exule Cremonensi fidedigna recepimus testimonia, quod fidelis semper extiterit et, quia pro iustitia stare voluit et viam noluit iniquitatis amplecti, bonis omnibus spoliatus et prolixo maceratus exilio coactus est huc et illuc discurrere vagabundus. Hinc est, quod ad tuam presentiam accedentem, licet causam ignoremus accessus, tue benivolentie duximus commendandum attentius te rogantes, quatenus eum benigne recipias, audias patienter et, si qua petenda duxerit, que tuam facere deceat vel expediat magnitudinem, eum a tua gratia non repellas.

Datum Perusii, Kalendis Novembris, anno I.

107.

Clemens IV. an den Ritter Ermengaudus de Melgorio: warnt ihn davor, nach dem Tod seiner Gattin überstürzt eine neue Ehe einzugehen.

1265 November 1, Perugia

Dilecto filio Ermengaudo de Melgorio militi.

Uxoris tue mortem audivimus, quam ei credimus fuisse felicem, cum laudabiliter et bene vixerit ideoque non potuit male mori. Tu ergo, fili, debitam consolationem recipiens non te precipites ad coniugium iteratum, donec tuum statum et totius domus tue considerans, quid agendum sit, tibi videas inter moras. Nunc enim in tue viduitatis recentia multos in intimis cordis tui impulsus pateris, qui post deliberationem habitam conquiescent. Et est melius repentinum propositum ad tempus suspendere quam post factum non sine levitatis macula perire.

Datum *ut supra in proxima.*

108.

Clemens IV. an König (Ludwig IX.) von Frankreich: fordert ihn angesichts der in Italien zu erwartenden französischen Truppen auf, König (Karl I.) von Sizilien beizustehen und ihn mit dem Kirchenzehnten aus Frankreich zu unterstützen.

1265 November 12, Perugia

Carissimo in Christo filio regi Francie illustri.

Nuper tibi, fili carissime, per tuum specialem cursorem, cum quo lator presentium venerat, nostrum et ecclesie Romane statum satis lucide intimavimus, nec postmodum novum emersit aliquid, quod tibi scribere valeamus, cum multa pendeant ex adventu ultramontane militie, quam de die in diem suspensis animis nos et fratres nostri cum universis huius terre fidelibus expectamus sperantes firmiter, quod et liberum transitum habeat et ad regnum prosperum aditum et in negotio, pro quo venit, felici nequeat consummatione frustrari, dum tamen non desit pecunia necessaria, cui male respondet decima, sicut ex litteris nuper accepimus dilecti filii nostri S(imonis) tituli sancte Cecilie presbyteri cardinalis. Tu igitur, christianissime principum, fratri tuo compatere, subveni populo christiano et, cum in manu tua sit decima, cuius pars maxima intra viscera regni tui concluditur, impende subsidium, quod potes facere sine tua iactura.

Datum Perusii, II Idus Novembris, anno I.

109.

Clemens IV. an O(ttobono Fieschi,) Kardinaldiakon von Sant'Adriano, apostolischer Legat: unterrichtet ihn, daß das Heeresaufgebot aus Frankreich im Anmarsch sei und er bestimmten bedürftigen Kardinälen Einkünfte zugewiesen habe; erlaubt ihm, die Bischöfe von Worcester, London, Lincoln und Ely aus der Exkommunikation zu lösen, er solle aber ihre Suspendierung vorerst nicht aufheben.

1265 November 12, Perugia

Dilecto filio O(ttobono) sancti Adriani diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Ultramontanam nondum habemus militiam, quam tamen venturam in proximo prestolamur, cuius timor super omnes fines Ytalie et regni precipue, ad quod properat, iam adeo noscitur cecidisse, ut videantur manus hostium deficere ante pugnam et genua tremere dissoluta. Bene est nobis et fratribus per Dei gratiam, quamvis nec affluamus deliciis nec divitiis abundemus. Et propter fratrum inopiam, quam equo animo tolerare non possumus, nuper decrevimus singulis fratribus indigentibus, si nichil omnino habeant, trecentas marchas reddituum commendare, donec aliter sit provisum aliquid, sed minus habentibus eandem quantitatem supplere tantum vel plus possidentibus nichil dare. Et ideo iam tibi scripsimus pro duobus adhuc scripturi pro pluribus, licet non in tanta summa, ut credimus, sed minori. Tu igitur, fili carissime, labora in iniuncto negotio tam fideliter quam instanter et honorem matris tue considera. Illis tamen episcopis, de quibus tibi ab olim scripsimus, Wigorniensi, Londoniensi, Lincolniensi et Heliensi, nullam prorsus facias gratiam, cum in nullo magis possemus offendi, nisi quod ab excommunicationis vinculo, quo tenentur, possis eos absolvere iuxta formam ecclesie. Quos tamen suspensos teneas, donec aliud mandatum nostrum recipias, quod videbis in proximo Domino concedente.

Datum Perusii, II Idus Novembris, anno I.

110.

Clemens IV. an Philipp von Montfort: versichert ihn seiner unverminderten Gunst und verspricht, bei König K(arl I.) von Sizilien für ihn eintreten zu wollen.

1265 November 14, Perugia

Dilecto filio nobili viro Philippo de Monte Forti.

Si hactenus tibi non scripsimus, non mireris nec te credas ex hoc a nostra solita gratia cecidisse. Continua enim occupatio et magna negotiorum instantia, que assidue animum nostrum premunt, nos frequenter cogunt omittere, quod non essemus alias omissuri. Illud autem volumus tuam nobilitatem tenere, quod eam ad te sinceram dilectionem gerimus, quam olim habuimus in minoribus constituti, et in hiis, que commodo tuo cederent et honori, te prosequi favorabiliter intendentes. Ad augendam tibi gratiam apud carissimum in Christo filium nostrum C(arolum) illustrem regem Sicilie oportunis temporibus intendemus.

Datum Perusii, XVIII Kalendas Decembris, anno I.

111.

Clemens IV. an König (Ludwig IX.) von Frankreich: beklagt sich, daß die Erhebung des Zehnten in Frankreich nicht den erwünschten Erfolg gebracht habe; berichtet von seinen bislang nur wenig eintäglichen Bemühungen um die finanzielle Unterstützung König K(arls I.) von Sizilien, namentlich durch die Verpfändung von stadtrömischem Kirchengut und der Apostolischen Kammer; bittet ihn beschwörend um finanzielle Unterstützung; er werde Bischof (Bertrand de Saint-Martin) von Avignon zu ihm entsenden. – Mit entsprechender Formulierung an Graf (Alfons) von Poitou.

1265 November 17, Perugia

Carissimo in Christo filio regi Francie illustri.

Clamavimus nec cessamus, immo potius quasi tuba vocem nostram exaltare compellimur fidei christiane naufragium et ecclesie sancte Dei ac carissimi in Christo filii nostri C(aroli) illustris regis Sicilie perspicacibus oculis intuentes angustias, quibus volumus, quamvis non valuerimus, ut vellemus, tam utiliter quam celeriter subvenire. Concesse quidem decime dicto regi per regnum Francie et provincias aliquas adiacentes vel male ab ecclesiis persolute vel a collectoribus minus diligenter exacte vel in usus alios, quam oportuisset, expense. Diu subsidium expectatum nostrum et regis ipsius animos quantum spe recreaverat, tantum afflictione turbat, sed in novissimo veritate comperta spe nostra penitus frustratos nos vidimus, cum anni primi decima iam fere totaliter dicatur consumpta. Sane, fili carissime, scire tuam volumus excellentiam, quid nos fecimus. Fidem namque fratri tuo servavimus conventiones singulas inter nos et ipsum initas implentes ad litteram tempore oportuno. Et, cum ante ipsius adventum gentem, quam tenebat in Urbe, procurassemus utiliter creditorum aliquorum auxilio sustentari, postquam venit rex idem, diversis nos creditoribus obligavimus pro eodem. Et, cum apud nos pecunia sibi sufficiens inveniri non posset, possessiones maioris partis ecclesiarum Urbis usque ad centum milia librarum Turonensium pro eodem exposuimus obligandas Romanis, qui hec et maiora spondederant, si a nobis posset hec liberalitas obtineri. Et, cum ventum esset ad verum, vix ibidem XXX milia librarum habere potuit ex predictis possessionibus obligatis aliquibus, que ipsis creditoribus placuerunt, cumque ad nos denuo recurrisset, vocatis omnibus curie mercatoribus ultra XIII milia librarum Turonensium non invenimus. Et, cum hec omnia non sufficerent vel ad victum cotidianum eiusdem vel ad contracta in Urbe debita persolvenda, iteratis eius suspiriis provocati nos liberaliter exposuimus ad nostram cameram specialiter creditoribus quibuscumque et ecclesie Romane bona generaliter obliganda, sed nec hoc sufficit, immo nec proficit, cum sint magne eius expense magnaque debita. Et, cum militia supervenerit, cuius felicem transitum prestolamur, oportebit eas tunc forsitan duplicari, nec potest ipse nec nos mutuam invenire. Quod si forte miraris illas magnas pecunie quantitates apud Romanos inveniri non posse, scire te volumus, quod eos terruit exploratus et cognitus decime persolvende defectus et, quod est durius, ille magnus ecclesie persecutor, ut pro certo relatum est nobis, in Urbe, que nichil sitit aliud, auro sparso creditorum manus continuit, qui multa promiserant se facturos. Quid plura? Nichil dolum vel fraudem sapiens incredibile est de illo, qui penes talium machinationum artifices enutritus et infecte radice sapit originem et tales sibi querit et aggregat, qui, quod ipse subtiliter concipit, instanter et sollicitate pertrahant ad effectum. Si igitur in adventu tam nobilis quam gloriosi exercitus rex noster deficit in expensis, quid poterimus dicere, nisi quod navis in portu periit? Quid inimici clamabunt, nisi quod: „Ecce vidimus *hominem, qui edificare incepit nec potuit consummare*“⁸⁷?

Non credimus moleste te ferre, si ex aggregatis clamoribus in tante necessitatis articulo interpellamus te totiens, sed, si molestum etiam id tibi fore, quod non est verisimile, crederemus, tamen omittere non possemus, quin ecclesie matris tue tuique germani pericula nostra tibi describeremus epistola, ut aut nudata veritas te moveret aut saltem nobis testantibus veritatem et suffragia oportuna querentibus nichil nobis in hoc negotio Deus ad culpam, nichil homines ad infamiam imputarent. Quocirca tu, fili carissime, qui numquam pectus saxeum habuisti, qui misericordie visceribus affluens nedum tuorum, quin etiam exterorum pio miserias animo sublevasti, respice matrem tuam et carnem tuam in fratre tam utili ne despexeris. Succurre sine dampno, cum possis, qui pro tali dampnum negligere tenereris. Procura modis omnibus, ut de tua vel mutuanda pecunia Senensibus mercatoribus, qui sunt in Francia, tantum detur, quod in hiis

⁸⁷ Luc. 14,30.

partibus se possint effundere ad subsidium socii eorundem. Alioquin cogita, quod cum magno dolore concludimus, ut pares reditum fratri tuo sanumque recipias pariter et confusum, nosque mari et ventis expositos derelinques. Quod si feceris, illo nos nichilominus roborante, qui et illi et istis imperat, in spe et silentio expectabimus eius auxilium, dorsum dabimus ad flagella ire parati pro ipso, si res exegerit, in carcerem et in mortem. Demum, quia non esset facile negotii singulas circumstantias epistolari brevitate concludere, mittimus ad tue serenitatis presentiam venerabilem fratrem nostrum Avinionensem episcopum, quo nullus fidelius astitit fratri tuo, quo nemo novit melius intima cordis eius, quo nullus certius et constantius in mari et terra eius communicavit angustiis et molestiis, qui, que desunt epistole, veridica narratione supplebit, cui fidem habere te volumus sicut nobis.

Datum Perusii, XV Kalendas Decembris, anno I.

In eodem modo comiti Pictavensi.

112.

Clemens IV. an S(imon de Brion,) Kardinalpriester von Santa Cecilia, apostolischer Legat: Teilweise wie Nr. 111; bittet ihn, sich in Frankreich um weitere Kredite zu bemühen.

1265 November 17, Perugia

Dilecto filio S(imoni) tituli sancte Cecilie presbytero cardinali, apostolice sedis legato.

Clamavimus et cetera ut supra usque nec potuit consummare?

Videat igitur tua discretio, in quo sumus periculo, quo urgetur discrimine rex Sicilie noster filius, nostre baculus senectutis, videat diligenter, quis rerum erit exitus, si deficiat in expensis et per consequens in negotio rex prefatus. Audemus dicere et scribere non veremur, quo nichil nobis tristius esse potest, quod utinam hodie sanus et incolumis esset in Francia vel Provincia, si eum Dominus defecturum previdit, cum longe melius vel potius minus malum ratione previa censeremus ipsum saltem ex hac peste salvari nobis solis in carceris vel mortis laqueis derelictis quam pro fide ecclesie laborantem nobiscum non ad solacium, sed ad luctum pari dampno confusionis perpetue, ut peiora taceamus, involvi. Quere ergo mutuuum, quod des Senensibus illud regi in istis partibus per suos socios refusuris. Quere cum rege, quere cum fratre, quere cum prelatiis, quere cum religiosiis, quere cum burgensibus, quere cum usurariis, quere cum omnibus, etiamsi decies repulsam passus fueris apud ipsos. Nos enim et carissimo in Christo filio nostro regi et dilecto filio comiti Pictavensi ac prelatiis et clero scribimus super istis, prout tibi venerabilis frater noster Avinionensis episcopus reserabit cum aliis, que tangunt negotium, cui in omnibus fidem indubitata habeas sicut nobis.

Datum *ut supra in proxima.*

113.

Clemens IV. an den Klerus im Königreich Frankreich: Teilweise wie Nr. 111; mahnt sie, den Zehnt für zwei Jahre zu zahlen; erteilt ihnen hierfür das Indult, ihre Kirchenämter zu verpfänden. – Mit entsprechender Formulierung an den Klerus der außerhalb des Königreichs gelegenen Kirchenprovinzen Lyon, Vienne, Embrun, Tarentaise, Besançon, Arles, Aix, Bordeaux und Auch sowie der Diözesen Tournai und Cambrai.

1265 November 17, Perugia

Venerabilibus fratribus universis archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis abbatibus, capitulis et conventibus ac toti clero in regno Francie constitutis.

Clamavimus *et cetera ut supra usque* nec potuit consummare?

En, dilectissimi fratres et filii, si qua sunt vobis viscera pietatis, larga se vestris ingerit animis compassionis materia, dum Romanam ecclesiam matrem vestram, dum virum magnificum et illustrem non sibi, sed mundo genitum prefatum regem Sicilie in tantis auditis angustiis constitutos, quin etiam totius populi christiani discrimina ex premissis potestis colligere, cum, si, quod absit, inimicus Dei et catholice fidei persecutor Christi et nostro pugili peccatis exigentibus prevaleret, primis malitie sue finibus non contentus conatum suum ad maiora porrigeret, *que nonnumquam vidit oculus nec cuiusquam auris audivit nec in cor hominis ascenderunt*⁸⁸. Cum igitur inter alia, que sapientis contristant animum, vir bellator deficiens per inopiam numeretur in tanta regis nostri, quam ex nobis supplere non possumus, indigentia, devotionem vestram monendam, hortandam duximus et rogandam et per aspersionem pretiosissimi Christi sanguinis obsecrandam, quatenus ad requisitionem dilecti filii nostri S(imonis) tituli *et cetera* duorum annorum instantium decimam prompta liberalitate solvatis. Nos autem de divina pietate confisi omnibus tam pie exhortationi nostre liberaliter acquiescentibus illam indulgentiam ad plenum concedimus, que pro eodem negotio personaliter laborantibus indulgetur, pro qua decima persolvenda beneficia vestra ad annum vel biennium vel triennium, si res exigat, vobis liceat obligare.

Datum Perusii *ut supra in proxima*.

In eodem modo extra regnum.

114.

Clemens IV. an S(imon de Brion,) Kardinalpriester von Santa Cecilia, apostolischer Legat: gebietet ihm, Geistliche, die angesichts der Zehntforderung falsche Angaben über ihre finanzielle Leistungsfähigkeit gemacht hätten, ihrer Kirchenämter zu entheben, sofern sie nicht binnen zweier Monate Genüge leisteten; erteilt ihm die Erlaubnis, über die Neubesetzung dieser Ämter zu verfügen.

1265 November 21, Perugia

Dilecto filio S(imoni) tituli sancte Cecilie presbytero cardinali, apostolice sedis legato.

Cum a te de multorum tue legationis prelatorum assensu fuerit ordinatum, quod habentes ecclesiastica beneficia, que valorem annui redditus XV librarum Turonensium non excedunt, a prestatione decime, quam carissimo in Christo filio nostro C(arolo) regi Sicilie illustri in subsidium assumpti negotii dari iussimus, essent liberi et immunes, et aliqui, prout fertur, pinguiora beneficia obtinentes nichil solvant vel solverint proprie salutis obliti se minus habere in redditibus mentientes, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus nostra fretus auctoritate constituas, ut, quisquis veritate suppressa indebitam sibi in hac parte vendicaverit libertatem, nisi infra duos menses, ex quo statutum huiusmodi publicaveris, plene satisfecerit de subtractis, suo sit beneficio ipso iure privatus, quod alii postmodum conferendi tibi damus auctoritate presentium liberam facultatem.

Datum Perusii, XI Kalendas Decembris, anno I.

⁸⁸ 1. Cor. 2,9.

115.

Clemens IV. an S(imon de Brion,) Kardinalpriester von Santa Cecilia, apostolischer Legat: gebietet ihm, seiner bereits mehrfach geäußerten Anordnung zu folgen und alle Ordensgeistlichen unter der Androhung von Kirchenstrafen zur Zahlung des Zehnten zu zwingen.

1265 November 21, Perugia

Eidem.

De religiosorum decima in subsidium regni Sicilie persolvenda semel et iterum et, nisi fallimur, iam tertio tibi scripsimus et adhuc tibi scribendum duximus, quod visis indulgentiis singulorum, qui dictam decimam solvere noluerint, nisi per eas se tueri poterunt a decime prestatione predictae, ad solutionem eiusdem eos ecclesiastica censura compellas. Nos siquidem nullum exemimus, sed ab initio ab aliquibus eam exigi prohibuimus, donec aliud mandaremus, sperantes, quod carissimo in Christo filio nostro C(arolo) illustri regi Sicilie per viam aliam satisfacere valeamus, sed, cum nullam invenire possemus, mandavimus in negotio et mandamus non obstante dicta prohibitione procedi. In hiis igitur ea vigiles diligentia, ut eidem regi Sicilie non supersit materia conquerendi.

Datum Perusii, XI Kalendas Decembris, anno I.

116.

Clemens IV. an König K(arl I.) von Sizilien: rät ihm, auf die Vorschläge und Anliegen einer Gesandtschaft aus Lucca einzugehen, weil die Stadt auch nach dem Durchzug seiner Truppen für ihn wichtig sein könne.

1265 November 29, Perugia

Carissimo in Christo filio C(arolo) regi Sicilie illustri.

Accedentes ad tuam presentiam Lucanorum ambassiatores benigne recipias et audias patienter. Nescimus enim, an via remaneat libera post militie tue transitum, quem prosperum Deus faciat, eorum vestigia secuturis vel a tuo exercitu ad sua pro tempore redituris. Non enim tibi sufficit transitus venientium, nisi viam aliquam habeant oportunitatem, qua venire valeant et redire nunc centum nunc pauciores vel plures, prout occasio se obtulerit, cum magnus exercitus, sicut recedentium minoratur absentia, sic novorum egeat supplemento. Sane, quia id per Ianuam esset commodius ac liberius et hii dicunt, quod eis est facile Ianuam etiam in hoc statu, quem contra beneplacitum nostrum habet, ad favorem tuum convertere, consulimus, quod eos intelligas et vias, quas tibi monstrabunt, diligenter scruteris et venerabili fratri nostro Avinionensi episcopo, que tibi utilia videbuntur, iniungas et, si a te petierint aliquatenus portabilia, non ea respuas, sed potius ad illa, que proficere posse videris, etsi non sint prorsus perspicua, te coaptas, cum ex hoc multa possent vitari contraria et multa commoda procurari.

Datum Perusii, III Kalendas Decembris, anno I.

Clemens IV. an O(ttobono Fieschi,) Kardinaldiakon von Sant'Adriano, apostolischer Legat: gebietet ihm unter genauer Mitteilung der Umstände, die widersetzlichen Bischöfe von London, Worcester und Winchester rechtlich zu laden.

1265 November 29, Perugia

Dilecto filio O(ttobono) sancti Adriani diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Suscepta legatione in Angliam, Walliam et Yberniam tunc in minori officio constituti et inunctum nobis officium tam humiliter quam utiliter exequi cupientes premissis ad carissimum in Christo filium nostrum illustrem regem, prelatos et principes Anglie litteris, que nostrum pacificum prenuntiabant adventum, viros pacificos non invenimus suam in illis partibus exercente tyrannidem illo tempore Symone quondam Leycestrie comite cum aliis, quos infecerat sub simulate specie pietatis, qui etiam nostris retentis litteris et suppressis nostros detinuit nuntios et a suis detineri permisit et, ne nobis esse posset ambiguum, quicquid malignitatis conceperat contra Romanam ecclesiam matrem suam et dominum suum regem, reginam ac liberos eorundem, ob quorum consilium et auxilium mittebamur, nobis per suas litteras intimavit suo et aliorum quorundam, quos ad suum errorem traxerat, communitas sigillis, quod nobis ad partes Anglie illo tempore aditus non daretur, verbis nonnullis adiectis et in ore suorum positis nuntiorum, que in eiusdem ecclesie et persone nostre manifestam iniuriam redundabant. Nos vero tam suam quam sibi adherentium et precipue prelatorum admirantes insaniam eo prius et suis complicibus excommunicationis sententia innodatis et tam terris ipsorum quam eis adherentium ecclesiastico suppositis interdicto cum magna difficultate potuimus obtinere, quod ad nostram venirent presentiam aliqui prelati Anglie, quorum ab initio petieramus occursum, sed tandem Londoniensis, Wigorniensis et Wintoniensis episcopi cum aliquibus nobiles laicis, quos, ut fertur, *ultor iniquitatum gladius*⁸⁹ nuper assumpsit, comparuerunt Bononie coram nobis, quos benigne recepimus et audivimus patienter. Cum autem mellitis eorundem sermonibus fellis amaritudinem contegi sentiremus, eisdem subdolan recessus occasionem captantibus, primo quidem Wintoniensi, deinde duobus aliis, et recedendi licentiam dedimus et conductum nostris processibus contra dictum Symonem et fautores ipsius habitis lectis prius eisdem et in scriptis ostensis et traditis in virtute obedientie et sub pena excommunicationis, quam incurrerent ipso facto, precipientes eisdem, quod nostras servarent sententias et in suis diocesibus singuli facerent observari et denunciarent aliis observandas. Sane a nostra facie recedentes et se prospere recipientes in Angliam sue salutis immemores preceptorum nostrorum non solum temerarii, sed etiam notorii transgressores prophanare divina usurpata licentia presumpserunt nec vitantes excommunicatos eosdem nec interdictum a nobis positum observantes, verum contemptum addentes contemptui. Ex quo fuimus licet immeriti ad summi apicem pontificatus assumpti, nec ad nostram venerunt presentiam nec nuntium vel litteras transmiserunt, sed in sua perseverantes nequitia *corda sua ad instar lapidis indurarunt velut incus malleatoris pertinacia solidata constricti*⁹⁰.

Nos igitur nec persone nostre simpliciter, sed sedis apostolice dolentes iniuriam, ut tenemur, discretionis tue per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatenus dictos tres episcopos, si eorum copiam habere poteris, citare non differas eis sub pena depositionis, in quam incidant ipso facto, si citationi huiusmodi non paruerint, in virtute obedientie precipiendo districte, quatenus

⁸⁹ Iob 19,29.

⁹⁰ Iob 41,15.

in dominica, qua cantabitur proxime Letare Ierusalem, nostro se personaliter presentare conspectui non postponant pro meritis recepturi, eisdem aperte predicens, quod, sive venerint sive non in termino supradicto, nos extunc contra eos ad penam predictam vel ad alias vel ad illam et alias, prout iuri consonum esse viderimus, auctore Domino procedemus. Quod si tu citeriorem eisdem terminum assignasti, quo in nostra presentia compareant personaliter, illum in suo robore volumus permanere, nisi eum usque ad terminum, quem prefigimus, ex causa duxeris prorogandum. Citationem autem cum die et forma et omnibus contingentibus hoc negotium, que in partibus illis erunt notoria per facti evidentiam vel per te fuerint inquisita, tuo consignatam sigillo per fideles et diligentes nuntios non simul, sed divisim cum omni cautela venturos nobis mittere non postponas.

Datum Perusii, III Kalendas Decembris, anno I.

118.

Clemens IV. an König K(arl I.) von Sizilien: teilt ihm mit, daß er die Pisaner gerne wieder in seine Gunst aufnehmen würde, er angesichts ihrer Unzuverlässigkeit hierzu aber kaum eine Möglichkeit sehe.

1265 Dezember 7, Perugia

Carissimo in Christo filio C(arolo) regi Sicilie illustri.

Absolutio civium Pisanorum dudum nobis, fili carissime, placuisset, tum quia salutem omnium cupimus animarum tum quia tam tuorum quam ad curiam accedentium per hos transitus terra marique posset facilius expediri. Sane, licet inter rebelles alios ipsi gravius et diutius ecclesiam Romanam offenderint et ingrati gratie sibi facte sua male servaverint iuramenta, nos tamen misericordie largo sinu parati recipere redeuntes hanc in eis invenimus contumaciam, quod nec pro ecclesia guerram facerent nec Manfredi gentes ab ingressu suorum finium nec suas a regnicolarum commerciis et convictu aliquatenus cohiberent. Sicque terram duabus viis ingredi molientes absolutionis gratia se probarunt indignos, cum *duobus dominis* prorsus contrariis *nemo servire valeat* iuxta sententiam Salvatoris⁹¹. Si ergo dilectus filius Tancredus miles tuus non plus invenit, quam invenimus, nec nos ultra, quam obtulerimus, faciemus. Maluimus enim eos sine culpa nostra in precipitio suo dimittere quam eisdem peccandi concedere libertatem, que non solum Deum offenderet, sed et nostris fidelibus esset in scandalum et stuporem. Quod si dictus miles devotiores solito, quod non credimus, eos reperit, revertentes, ut decet, admittemus ad gratiam iteratam et, quamquam durum pluribus videatur absque omni satisfactione recipi pertinaces, dabimus tamen tempori, dabimus et negotio, quod non essemus alias concessuri.

Datum Perusii, VII Idus Decembris, anno I.

119.

Clemens IV. an Guardian und Brüder des Franziskanerkonvents von Montefiascone: gebietet ihnen zuzulassen, daß der bei ihnen bestattete Leichnam des Ritters Rostagnus de Alvernico in seine Heimat überführt wird.

1265 Dezember 7, Perugia

⁹¹ Matth. 6,24.

Dilectis filiis gardiano et Fratribus Minoribus Montis Flasconis.

Devotioni dilecti filii Hugonis Lageti militis Arelatensis et aliorum sue cognationis militum annuentes, qui debito humanitatis affectu propinqui sui quondam Rostagni de Alvernico militis in ecclesie Romane obsequio mortui corpus apud vos tumultatum ad maiorum suorum sepulcra transferre desiderant, vobis per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatenus eidem militi in carissimi in Christo filii nostri C(aroli) illustris regis Sicilie exercitu militanti dictum corpus sine difficultate reddatis ad partes suas libere transferendum.

Datum *ut supra in proxima*.

120.

Clemens IV. an O(ttobono Fieschi,) Kardinaldiakon von Sant'Adriano, apostolischer Legat: fordert ihn auf, dafür zu sorgen, daß (Heinrich von Segusia,) Kardinalbischof von Ostia und Velletri, und O(ttaviano Ubaldini,) Kardinaldiakon von Santa Maria in Via Lata, die ihnen zugesagte finanzielle Unterstützung erhalten; unterrichtet ihn, daß das französische Heer bis in die Gegend von Mailand vorgerückt sei.

1265 Dezember 9, Perugia

Dilecto filio O(ttobono) sancti Adriani diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Importabilis fratrum penuria, que fonte liberalitatis illius, qui ad Romanam ecclesiam de mundi diversis partibus fluere consuevit, pene vel quasi penitus arefacto crevit nec cessat crescere in immensum, ad aliqua nos compellit, que, si via nobis pateret alia, vitaremus. Sane, cum nostra camera, que sibi non sufficit, eisdem subvenire non possit nec ferrea nobis sint viscera, ut tales ac tantos fratres et filios vel spernere vel negligere valeamus, congregatis eisdem in unum nec inventibus formam aliquam, qua communis posset inopia sublevari, hoc tandem obtulimus, quod nichil habentibus in redditibus CCC marchas argenti annuas ex commendatione nostra ad nostrum beneplacitum obtinendas assignaremus alicubi et minus habentibus suppleremus, quod cum omnes cum gaudio suscepissent, cor nostrum posuimus ad provincias, in quibus assignationes huiusmodi faceremus, et iam tibi, fili carissime, scripsimus pro duobus, et adhuc scribi pro pluribus oportebit, si tua legatio sortitur exitum, quem optamus. Quod autem de beneplacito nostro et commendatione posuimus, ea intentione nos noveris id fecisse, ut nostre liberalitates huiusmodi morte nostra claudantur et alterum de duobus eveniat, ut vel substituendi nobis pontificis iuxta morem ordinatione dilata liberum sit prelati provisiones fratribus a nobis factas in alias transferre personas vel, si Romane ecclesie provideri celerius solito Deo favente contigerit, factum nostrum eo sit gratius, quo fructuosius censi poterit ex eventu. Vigilet igitur tua discretio et fraterna fratribus affectione compatiens, immo patri, qui cum afflictis affligitur et eorundem cruciatibus cruciatur, satagas totis viribus, ut venerabili fratri nostro H(enrico) Ostiensi episcopo et dilecto filio nostro O(ctaviano) sancte Marie in Via Lata diacono cardinali, sicut per nostras alias tibi litteras scripsimus, facias provideri vitato scandalo, quantum poteris, quod tamen nasci permittes utilius, nisi prorsus intolerabile fuerit, quam et nostrum mandatum eludas et eos, pro quibus scripsimus, in supreme necessitatis articulo derelinquas.

Demum conqueri de te cogimur, quod *atramento et calamo*⁹² nimis parcas. Cum statum tuum et commissi tibi negotii ad quamcumque partem vergere videatur, sepe nobis deberes scribere, de

⁹² 3. Ioh. 1,13.

quo penitus nichil scimus, nisi quod advene nobis referunt in incerto. In confectione presentium militia transmontana in subsidium veniens regis nostri Mediolanum nondum transierat, sed erat in eius finibus, quam de die in diem progressuram feliciter expectamus.

Datum Perusii, V Idus Decembris, anno I.

121.

Clemens IV. an König K(arl I.) von Sizilien: stellt ihm frei, sich außerhalb Roms durch ihn selbst oder in Rom durch mehrere Kardinäle zum König krönen zu lassen, und schlägt als Termin den 6. Januar 1266 vor; warnt vor falschen Ratgebern.

1265 Dezember 20, Perugia

Carissimo in Christo filio nostro C(arolo) regi Sicilie illustri,

Fervens, fili carissime, desiderium, quod de patris obtinenda presentia concepisti, negare non possumus circumscriptis aliis circumstantiis laude dignum, quarum tibi subducit notitiam ipse tue devotionis excessus, dum ad ea flectis intuitum, que tuo nunc iudicas convenire proposito, et, quid nobis et multis aliis, quorum statum nostra regit stabilitas, liceat vel expediat, non attendis. Sane, si cum patre contenderes, qui diligere vellet et diligi pari passu, sed honorans se crederet aliquantulum amplius honorandum, ut sic aliquem obtineret de sue potestatis auctoritate primum, tibi facile responderet: „Non me subtraho, tu te retrahis.“ Et paterna presentia frustratum te quereris, quam honesto modo et debito non inquisis. Sed quid dicunt, quos destinās, quid allegant? „Non licet“, inquiunt, „domino nostro regi extra Urbem *recipere regium diadema*“⁹³. Scandalum enim Romanis fieret, qui se dicerent in hac parte contemptos. O mira res. Coronatio regis Sicilie nec nobis debetur nec Urbi de consuetudine vel de iure, et in scandalum labentur ultronei, qui nullam iniuriam patientur. Numquid sepulta est adeo pontificalis auctoritas, ut propter populares applausus se ipsam et suam curiam perturbare cogatur? Scias, fili, quod civitates et castra nobis possunt auferri, sed eripi numquam poterit nostre defensio libertatis, cum, etiamsi *vinculis teneremur, non esset verbum Domini alligatum*⁹⁴.

Ecce nos, sicut sepe iam scripsimus, prompti sumus et fuimus committere alii hoc officium, ne ipsorum offensam incurras, et, licet decentius videretur, quod a nobis coronam reciperes comminus constitutus, non sic sumus honoris avidi, quin malimus tue necessitati consulere quam honorem nobis in hoc negotio cum tuo vel tuorum periculo reservare. Illud ergo pro certo teneas, quod, quicquid tuis instillent auribus, qui sunt tecum, quicquid tibi suggerant, qui nobiscum, fixa est apud nos ista sententia, quod hoc tempore cum multorum publico preiudicio curiam non turbabimus, nec peccare nos credimus, si ad tempus preferimus orbem Urbi, quamvis eam pre ceteris orbis partibus caritatis sincere brachiis amplectamur. Si ergo veneris, tuus erit nobis et nostris fratribus gratus nimis et iocundus adventus, et tuo capiti coronam regiam imponemus. Quod si tuum adventum impediatur vel necessitas vel voluntas, mittere tibi proponimus unum ex episcopis cardinalibus, duos presbyteros et vel unum vel duos diaconos cardinales, et tu alium tecum habes, ut sic celeriter et celebriter coronatio tua fiat. Et, si tibi defuerit impositio manus nostre, cordis appositio numquam deerit Domino concedente, quod applicabimus ex affectu ad ea, que tui respicient commodi vel honoris augmentum. Si vero de die vis habere consilium, valde

⁹³ Est. 6,8.

⁹⁴ 2. Tim. 2,9.

crederemus honestum, quod in die Epiphaniae Domini, quo tres illi reges sanctissimi Regem regum et Dominum honorarunt, regii diadematis honorem reciperes cum invocatione nominis excellentis Domini Iesu Christi, qui, sicut illos ad optatum finem itineris stella duce perduxit⁹⁵, sic te gratia sua preveniens cursum tuum pacifice dirigat et utiliter inchoandum negotium exitu meliori concludat. Quod si placent, que scribimus, scribe cito, ne brevitatis temporis intermedii ordinationem impediatur tam salubrem.

Quia vero nunc tibi grandia superveniunt, in hoc demum cautum te reddimus, in hoc volumus esse sollicitum, ut inter diversa et interdum adversa consilia, que implent et, ut credimus, onerant aures tuas, non te des facile in partem alteram nec, quicquid molle senseris, estimes esse bonum, nam a longis retro temporibus *in domibus regum sunt* et easdem libenter inhabitant et frequentant hii, *qui mollibus vestiuntur*⁹⁶ supponentes *pulvillo cubitis*⁹⁷ et *capitibus oleum infundentes*⁹⁸. Et, nisi dirigente te Domino viros tecum habueris timoratos, qui nec capiuntur munusculis nec muneribus corrumpantur, grande tibi discrimen imminet, presertim cum contraria suadentibus et volentibus placere vix possis, sed, si tenueris *viam regiam non declinans ad dexteram vel sinistram*⁹⁹, si semper inheseris veritati Deum solum habens pre oculis, *ei plus quam hominibus placere*¹⁰⁰ desiderans, si argutus fueris in consiliis, si fidelis extiteris in promissis, communis omnibus in iudiciis, pronus ad dandum, pronior ad reddendum, ad votum tibi succedent omnia, et adulantium evades laqueos et morsus detrahentium non timebis.

Datum Perusii, XIII Kalendas Ianuarii, anno I.

122.

Clemens IV. an S(imone Paltinieri,) Kardinalpriester von San Martino, Rektor des Herzogtums Spoleto und der Mark Ancona, apostolischer Legat; unterbreitet ihm einen Vorschlag, wie er bei der Schlichtung des Streits zwischen Kaufleuten aus Cagliari und dem verbannten Adligen Raynaldus (Sicardi) verfahren könne.

1265 Dezember 22, Perugia

Dilecto filio S(imoni) tituli sancti Martini presbytero cardinali, ducatus Spoleti et Marchie Anconitane rectori, apostolice sedis legato.

Onerant aures nostras clamores Callensium, qui contra nostri tenorem mandati a viro nobili Raynaldo exule vel eius complicibus mercatores suos asserunt spoliatos et sub certis cautionibus liberatos preter alia dampna varia sub nostre protectionis fiducia positos eisdem sepius irrogata. Clamat e diverso Raynaldus potens plurimum in clamore se dudum iussum restitui et nondum, prout iussum fuerat, restitutum, sed amicos suos postmodum spoliatos, quod quia tempore nostro contigit, acrius id prosequitur et voces validas usque in celum attollit. Inter hec igitur hoc ordine credimus procedendum: Imprimis cautiones a mercatoribus datas facias relaxari, quod in nostram iniuriam factum fuit. Mittas autem in civitatem Callensem et causam expulsionis novorum exulum, que iusta dicitur a quibusdam, diligenter inquiras per cives ibidem et extra per alios, ut decebit. Si quid etiam Callenses obiciunt restitutioni Raynaldi, id audias et hiis omnibus

⁹⁵ Vgl. Matth. 2,1–12.

⁹⁶ Matth. 11,8.

⁹⁷ Ezech. 13,18.

⁹⁸ 1. Reg. 10,1.

⁹⁹ Num. 21,22, 20,17.

¹⁰⁰ 1. Thess. 2,4.

de plano sine advocatorum strepitu indagatis vel, quod statuendum credideris, statuas vel, si in aliquo dubitas, nobis acta remitte, et nostrum tibi consilium rescribemus. Illud scias, quod de XV milibus impositis nuper Callensibus eis V duximus remittendos ad presens, quod te equanimitate ferre volumus, quia ex causa hoc fecimus, quam dante Domino cito scies.

Datum Perusii, XI Kalendas Ianuarii, anno I.

123.

Clemens IV. an König Karl I.) von Sizilien: erörtert das Für und Wider einer Annäherung an Lucca; erteilt ihm Ratschläge zur Strategie des Kriegszuges; warnt ihn vor falschen Ratgebern.

1265 Dezember 23, Perugia

Carissimo in Christo filio C(arolo) regi Sicilie illustri.

Si Lucanorum obsequiis indiges, satis possunt articuli temperari, qui ad plenam concordiam, prout asserunt, non venerunt. Ille vero, quem preter eorundem conscientiam, prout dicunt, posuisti novissimum, quia precedentium omnium vigorem evacuat, utpote quo manente cives eis non crederent nec quicquam se fecisse putarent, si premissis opem tollentibus favorem etiam ultimus prorsus tolleretur, hoc posset moderamine dulcorari, ut infra annum secretum istud non exiret in publicum, nisi vel tibi vel nobis preveniendus terminus videretur. Nam ad totius consummationem negotii vel tante partis, cui minor non posset resistere, dare terminum, licet hoc ipsum minus anno speremus, terret tamen homines propter ipsam incertitudinem et ambiguum futurorum eventum. Quod si queris, an Lucanos eisdem tibi vel necessarios vel utiles iudicemus, fixum non possumus dare responsum. Adhuc enim favorem Ianuensium saltem ad transitum gentis tue liberum concedendum tibi quam necessarium crederemus. Nec enim per partes Brixie transire poterit turma quelibet, ut transivit exercitus conglobatus. Et, si ad hoc posse pertingere te confidis, Lucanis procul dubio indigeres. Quod si credis contrarium, dicere non audemus, quin adhuc utiles tibi essent. Nam ad quascumque partes remotas etiam confuderis adversarium, ab hiis, qui eidem assistent propius, longe liberius deseretur. Unde circa istum articulum subdividimus questionem: Aut enim statim regnum intendis ingredi, quod impossibile hoc tempore multi iudicant, aut non vis aut non potes. Et, si forsitan et vis et potes ingredi, tota indiges gente tua. Et, si Lucanos recipis, prout postulant, fautorum adversarii magnam partem in Tuscorum negotiis occupabis. Si vero vel non vis vel non potes, noster in nobis spiritus anxietate collatione domestica perquirentibus, ubi gens tanta morabitur et insuper unde vivet. Et, si casus iste contingeret, et pars bona mitteretur in Tusciam et sufficientem victum acquireret et cum hostis opprobrio tibi gloriam reportaret et tui timorem culminis affluenter expanderet super regnum. Super hiis ergo omnibus deliberandum est tibi, priusquam exercitus veniat, ut, si dirigendus est alter non, postquam ad te venerit, retrocedat, sed partim in Marchiam partim in Tusciam vel totus in partem alteram destinetur. Quomodo etiam Urbem gubernandam dimittes, si te ire contigerit, ubi rursus et qualiter carissimam in Christo filiam nostram reginam locabis, considerare te convenit, unde etiam haberi pecunia poterit, in qua male deficiamus Senensibus mercatoribus parvum subsidium offerentibus. Si tamen Tuscia terreretur, credimus, et nobiscum hoc credunt plurimi, quod non dumtaxat mutuuum, sed et redemptiones plurime offerentur. Porro, si regnum potueris ingredi, similiter creditur, quod eius acquisitio successiva continuam opulentiam secum trahet. De Pisanis nullam habemus fiduciam, quod aliquid boni faciant, cum multum se facere iudicent, si non nocent.

Demum cautum te reddimus, fili carissime, ne illorum illectus consiliis, qui placentia tibi predicant et predicunt, illos respuas, qui tibi scient et poterunt aperire, quid sit tibi in ingressu vel progressu timendum. Audiri quidem expedit hos et illos et ex omnium dictis colligere, quid cui sit merito preferendum. Reges enim Israel et Iuda longe consultius Micheam mala prophetantem audissent quam falsiloquos, ut placerent, semper prospera nuntiantes.

Datum Perusii, X Kalendas Ianuarii, anno I.

124.

Clemens IV. an König K(arl I.) von Sizilien: er habe mehrmals an S(imone Paltinieri,) Kardinalpriester von San Martino, wegen der Aufnahme des französischen Heeres in der Mark Ancona geschrieben. 1265 Dezember 24, Perugia

Eidem.

Quod per tuas a nobis litteras requisisti, feceramus ante receptionem illarum. Scripsimus enim, sed nunc scribimus nichilominus iterato dilecto filio nostro S(imoni) tituli sancti Martini et cetera, ut per Marchiam de ultramontano exercitu venire volentes benigne recipiat et tam vidualia quam alia eis ad ipsorum transitum necessaria faciens preparari in omnibus, quibus poterit, eos dirigere non postponat.

Datum Perusii, IX Kalendas Ianuarii, anno I.

125.

Clemens IV. an an die Bischöfe (Petrus Raimundi Fabri) von Agde, (Pontius de Saint-Just) von Béziers, (Raimundus d'Astolphe) von Lodève und (Berengarius de Frédol) von Maguelone: er habe ihren Brief unter Tränen gelesen.

1265 Dezember 26, Perugia

Agathensi, Biterrensi, Lodovensi et Magalonensi episcopis.

Vestras nuper accepimus litteras, quarum tenore diligentius intellecto *flendum esse cum flentibus* vidimus, qui libentius *cum gaudentibus gauderemus*¹⁰¹. Sane arduum est negotium, de quo agitur, nec aditum habens facilem nec exitum expeditum. Et, quamvis more periculum sit annexum, quia tamen in talibus validior est operum attestatio quam verborum, cogimur expectare clamorem operis et exaggerate delationis instantiam monitiones et consilia, sicut cepimus, premissuri, que vel fructum afferant, quem optamus, vel viam saltem nobis aperiant aliter et ad alia procedendi.

Datum Perusii, VII Kalendas Ianuarii, anno I.

¹⁰¹ Rom. 12,15.

126.

Clemens IV. an Bischof (Pontius de Saint-Just) von Béziers: dankt ihm für sein Angebot.

1265 Dezember 26, Perugia

Episcopo Biterrensi.

Fraternitatis tue litteras benigne recepimus et, quod offers et alias obtulisti, quamvis sit super-
vacuum, cum in te nostro tua noverimus esse nostra, ob devotionis tamen indicium et habuimus
et habemus acceptum. Sane in tuis volumus benedictionibus preveniri, sed, que tibi dedit et dabit
Dominus, conservabis communicanda nobis pro tempore, cum id duxerimus requirendum. Sta-
tum autem nostrum et curie et alia, que eidem iniunximus, dilectus filius Stephanus de sancta
Maria presbyter plenius tibi dicit.

Datum *ut supra in proxima.*

127.

Clemens IV. an den Abt des Benediktinerklosters Aniane: dankt ihm für sein Geschenk.

1265 Dezember 26, Perugia

Dilecto filio abbati monasterii Anianensis ordinis sancti Benedicti Magalonensis diocesis.

Devotionis tue munera, que nobis offerre curasti, licet remittenda crediderimus ab initio, post
deliberationem super hoc habitam, ne secunda provocareris repulsa, nobis placuit retinere et
eorundem latorem nostris obsequiis implicare pro oblatis assurgentes ad grates, non solum mune-
rum magnitudinem, quin etiam tue pie compassionis affectum, quo statum nostrum respicere
voluisti, benignis oculis intuentes.

Datum *ut supra in proxima.*

128.

*Clemens IV. an König K(arl I.) von Sizilien: empfiehlt ihm den päpstlichen Notar Berard (von Nea-
pel), den er zu seiner Krönung entsende.*

1265 Dezember 28, Perugia

Carissimo in Christo filio C(arolo) regi Sicilie illustri.

Litteras tue magnitudinis vidimus et eisdem rationes insertas, que, licet non multum urgeant,
non tamen ad disputationem nos provocant, sed tuo contenti iudicio eis potius cedendum duxi-
mus quam credendum. Mittimus ergo ad tuam coronationem, quos possumus, mittimus et cum
eis virum consilii, virum profundi pectoris, probate fidei et gravitatis exacte dilectum filium ma-
gistrum Berardum notarium et familiarem nostrum, qui tibi ex parte nostra secreto dicit aliqua,
que scripto nolumus commendare, de quo per omnia volumus te confidere, sicut et nos con-
fidimus de eodem. Nec animum tuum in hac parte concutiant lingue viperee susurronum, si quid
forsan in eius innocentiam impeerunt. Nisi enim eius integritas cognita nobis esset et specialiter
circa regni negotium, in quo utiliter promovendo cura pervigili laboravit, nec ipsius acceptum

haberemus obsequium nec tibi commendaremus eundem. Eum igitur pro nostra et sedis apostolice reverentia suisque meritis benigne recipiens in hiis, que tibi ex parte nostra dixerit, ei credas.

Datum Perusii, V Kalendas Ianuarii, anno I.

129.

Clemens IV. an König K(arl I.) von Sizilien: teilt ihm mit, daß er diejenigen Kardinäle zu seiner Königskrönung entsenden werde, die ihm zur Verfügung stünden.

1265 Dezember 28, Perugia

Eidem.

Inspectis litteris, quas misisti, super deliberatione habita de corona in die Epiphanie Domini tibi danda, per dilectum filium magistrum Berardum notarium nostrum, quem ad te mittimus, tam scripto quam verbo cito proponimus respondere hoc interim intimantes, quod, quos paratos habere possumus, tibi mittimus fratres nostros.

Datum *ut supra in proxima.*

130.

Clemens IV. an Podestà, Rat und Kommune von Corneto: verbietet ihnen, einen Familiaren König K(arl I.) von Sizilien als Capitano del Popolo anzunehmen. – Mit entsprechenden Formulierungen an Toscanella, Vetralla, Orte und Montalto.

1265 Dezember 29, Perugia

Dilectis filiis potestati, consilio et communi Cornetano.

Non sine magne temeritatis excessu Bertrandus iudex, ut dicitur, carissimi in Christo filii nostri C(aroli) illustris regis Sicilie cum quibusdam aliis ad nos veniens postulavit instanter, ut de eius familia capitaneum vobis assumeretis hoc anno. Ideoque universitati vestre sub debito fidelitatis, qua nobis et ecclesie Romane tenemini, et sub pena mille marcharum argenti districte precipiendo mandamus, quatenus id minime faciatis et, si forte fecistis, protinus revocetis et, si facere promisistis, promissionem huiusmodi, ad quam vos non teneri decernimus, non servetis. Alioquin et per penam predictam et alias spiritualiter et temporaliter contra vos exigente iustitia procedemus.

Datum Perusii, IIII Kalendas Ianuarii, anno I.

In eodem modo Tuscanensibus.

Item Vetrallensibus.

Item Ortanis.

Item de Monte Alto.

Clemens IV. an G(uido,) Kardinalpriester von San Lorenzo in Lucina, apostolischer Legat: tadelt ihn, weil er seine Aktivitäten zu stark auf Deutschland ausrichte, obwohl sein Aufgabenbereich in erster Linie in Dänemark liege; lehnt seine Bitte um eine Erweiterung der Legation ab.

1265 Dezember 31, Perugia

Dilecto filio G(uidoni) tituli sancti Laurentii in Lucina presbytero cardinali, apostolice sedis legato.

Visis tue discretionis litteris de tua tueque familie sospitate et felici ad civitatem Coloniensem adventu et gestis prospere in itinere leti fuimus, sed de petitione subiuncta nec parum nec leviter admirati, nam, cum magne modestie virum semper pretuleris oculis intuentium et armatum magnifice contra iacula paupertatis, non potuimus non mirari, quod de fratrum nostrorum consilio tibi ac dilecto filio nostro O(ttobono) sancti Adriani diacono cardinali provincie Alamannie distributis preter alias, quas tibi dedimus, sorte tua tunc contentus, ut decuit, nunc ad illam portionem anhelas, cui dictus O(ttobonus) ingressus, ut fertur, Angliam non incumbit, cum tamen inter duos legatos nec re coniunctos nec verbo ius locum non habeat accrescendi. Sane, cum nedum tot et tante provincie, quin etiam pauciores uni legato sufficiant, qui Dei querat gloriam et non suam, qualem te iudicant fratres tui, et adiectione non egeat plenitudo, petitionem tuam ad presens non duximus admittendam, quod equo portabis animo nec in iniuriam tibi cedere reputabis, si Pauli reminisci volueris, cuius fuit repulsa petitio licet tertio repetita. Illud quidem te decet attendere, quod ad regnum Dacie principaliter destinatus ex quadam necessitate sortitus es alia, que ad regnum pertinent excellentius, nec oportet totam Germaniam adici Dacorum negotio, quod sine tanto terrarum numero feliciter poterit expediri. Quod si debitam et optatam consummationem reciperet, non est in illa dispositione Theutonia, ut legato sic se rebus habentibus indigeret.

Porro, quot et quantas ecclesias perturbaverint non solum more, sed etiam transitus legatorum, nos utique scire cogimur, ad quos veniunt querimonie regionum. Propter quod facti pluribus odiosi, quantumcumque in hiis, que ad nos pertinent, agamus leviter cum eisdem, eos tamen placare non possumus gravamina, que ab aliis sentiunt, in nos quodam perverso iudicio detorquentes. Tu igitur ea tibi sufficere iudicans, que tibi ingresso alio partes illas, quas postulas, suffecissent, et impositum tibi legationis officium ex zelo prosequens caritatis ad pacem regni Dacie et plenam reformationem ipsius studium tuum applica in aliis nichilominus tue prudentie debitum impleturus illo tibi suam addente gratiam et continue cumulante, qui spiritu sapientie te replevit et in ecclesia sua sancta successivis honorum gradibus sublimavit.

Datum Perusii, II Kalendas Ianuarii, anno I.

Clemens IV. an König K(arl I.) von Sizilien: unterrichtet ihn über seine Bemühungen um die Finanzierung des sizilischen Unternehmens; fordert ihn auf, sich Gedanken über die logistischen Vorbereitungen zu machen; warnt ihn vor der schwierigen Situation in Rom und vor geplanten Anschlägen auf seine Person.

1265 Dezember 31, Perugia

Carissimo in Christo filio C(arolo) regi Sicilie illustri.

Cum super mutuo diu laboraverimus, ut tuis posset necessitatibus aliquatenus subveniri, et mercatoribus modicum offerentibus timeremus imminere defectum, cum nec blanditiis nec terroribus flecterentur, tandem assistente nobis et nos fideliter adiuvante dilecto filio nostro I(ohanne) sancti Nicholai in Carcere Tulliano diacono cardinali cum multis conatibus obtinimus ab eisdem, quod, si daremus pignora, maiorem darent pecunie quantitatem. Unde, cum via nobis alia non pateret, vasa aurea et argentea cum pretiosis lapidibus et generaliter totum thesaurum ecclesie eisdem obligavimus preter morem et cum tanta licet insolita cautione de quinquaginta milibus librarum Turonensium habendis non subito neque simul, sed satis prope satisque continue aliquam spem habemus, de maiori vero pecunia prorsus nullam, quia nec pignora tantum valent. Cogita ergo, fili carissime, quid tibi necessitatis incumbat circa subventionem tuorum, qui tuo lateri hactenus astiterunt, et eorum, qui veniunt et qui Mediolani vel alibi in Ytalia remanserunt, unde scilicet eis poterit satisfieri, unde et ubi poterunt sustentari et, si regnum ingredieris, unde pecunia tibi veniat, unde victualia te sequantur, et delibera nichilominus super aliis, que scripsimus tibi nuper.

Illud scias, quod tibi super omnia, si non fallimur, est cavendum, ne gentem tantam in Urbe teneas cum Romanis. Vix enim possent diu cum eis sine iurgio conversari. Fatemur ignorantiam nostram et impotentiam non celamus, quia nec ad premissa dare scimus consilium nec auxilium valemus impendere, quod vellemus. Parati tamen facere, quod poterimus, in defectu humane prudentie illustrationis divine, quam non meruimus, de pura gratia beneficium expectamus. Venit demum ad nos secretissimus et pro meritis fidedignus, qui nobis dixit, quod acriores solito parantur insidie vite tue, quas parant aliqui, quorum non vitas accessum. Conservet ergo te *Dominus dissipans iniquorum consilia*¹⁰², tuque, quod tuum est, super hoc facere non omittas. Super aliis vero, que per dilectum filium fratrem Arnulphum ordinis Militie Templi nobis intimare curasti, dilectus filius noster M(attheus) sancte Marie in Porticu diaconus cardinalis tibi plenius respondebit.

Datum Perusii, II Kalendas Januarii, anno I.

133.

Clemens IV. an Erzbischof (Gilles de Saumur) von Tyros, apostolischer Legat: verbietet ihm, Sienesen, Florentiner oder andere italienische Anhänger Manfreds (von Sizilien) eigenmächtig aus der Exkommunikation zu lösen.

1266 Januar 1, Perugia

Archiepiscopo Tirensi, apostolice sedis legato.

Cum Senenses pre ceteris Romanam molestant ecclesiam et carissimi in Christo filii nostri C(aroli) illustris regis Sicilie honorem impediunt, quantum possunt, paucis dumtaxat exceptis, qui testimonium sue fidei per nostras litteras receperunt, indignum credimus, ut presidio crucis gaudeant persecutores in nobis et ecclesia crucifixi. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandamus, quatenus nullum Senensem, Florentinum vel Ytalicum alium excommunicationis sententia, quam contra M(anfredum) persecutorem ecclesie et fautores ipsius tulimus, innodatum sine nostro speciali mandato ab eadem absolvas,

¹⁰² Ps. (G) 32,10, Iob 5,13, 2. Esdr. 4,15.

etsi super hoc generalem a nobis vel aliquo predecessorum nostrorum aliquando receperis potestatem. Si quos autem hactenus aliter absolvisti sub recepte crucis obtentu vel oblati subsidii Terre Sancte, eos protinus in pristinam reduces sententiam nudatos privilegiis, que cruce signatis favorabiliter sunt indulta, et eos, ubi videris expedire, excommunicatos facias nuntiari et ab omnibus iubeas artius evitari, donec a nobis vel alio, cui id expresse duxerimus iniungendum, absolutionis assequi beneficium mereantur.

Datum Perusii, Kalendis Ianuarii, anno I.

134.

Clemens IV. an Geoffroy de Beaumont, Kanzler von Bayeux, apostolischer Legat: gebietet ihm, von seiner Legation in der Lombardei zurückzukehren.

1266 Januar 3, Perugia

Dilecto filio Gaufrido de Bello Monte cancellario Baiocensi, apostolice sedis legato.

Lombardie status, si tamen instabilitas statum habet, et ecclesiarum paupertas minime patiuntur nostro ac fratrum nostrorum iudicio legatum hoc tempore inibi conversari, cum nec victualia sibi suppetant nec eius mora videatur in aliquo fructuosa. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus a suscepto legationis officio, quod gessisti fideliter et utiliter, absolutus ad nos redeas inde te translaturus ad regem tuis instruendum consiliis et obsequiis solitis adiuvandam.

Datum Perusii, III Nonas Ianuarii, anno I.

135.

Clemens IV. an R(aoul Grosparmi,) Kardinalbischof von Albano, A(ncher Pantaléon,) Kardinalpriester von Santa Prassede, R(iccardo Annibaldi,) Kardinaldiakon von Sant'Angelo, G(offredo d'Alatri,) Kardinaldiakon von San Giorgio, und M(atteo Rosso Orsini,) Kardinaldiakon von Santa Maria in Porticu: gebietet ihnen, König K(arl I.) von Sizilien aufzufordern, daß er (Jacques Gantelme,) seinem Vikar in Rom, untersage, weiterhin auf die Wahl des Podestà von Aspra einzuwirken.

1266 Januar 7, Perugia

Venerabili fratri R(adulfo) episcopo Albanensi et dilectis filiis A(nchero) tituli sancte Praxedis presbytero, R(icardo) sancti Angeli, G(aufrido) sancti Georgii ad Velum Aureum et M(attheo) sancte Marie in Porticu diaconis cardinalibus vel illis, qui ex eis reperientur in Urbe.

Cum quidam ex habitatoribus castri Aspere nostri et Romane ecclesie proditores quendam familiarem carissimi in Christo filii nostri C(aroli) illustris regis Sicilie in potestatem elegerint universitate castri eiusdem alium eligente, qui etiam hodie castri potestariam obtinet antedicti, Urbis vicarius, prout dicitur, fideles nostros, qui familiarem regis eiusdem noluerunt admittere, citat et multipliciter inquietat. Nos vero super hoc eidem regi scribimus, prout credimus expedire, discretioni vestre per apostolica scripta mandantes, quatenus ad regem eundem personaliter accedentes eum efficaciter inducatis, ut eidem iniungat vicario, ne procedat. Alioquin omittere non poterimus, quin contra temere procedentem nos ratione previa procedamus.

Datum Perusii, VII Idus Ianuarii, anno I.

136.

Clemens IV. an König K(arl I.) von Sizilien: beschwert sich wegen der Eingriffe seiner Amtsträger im Herrschaftsbereich des Papsttums; mahnt ihn, die Einwirkungen auf die Wahl des Podestà von Aspra zu unterbinden.

1266 Januar 7, Perugia

Carissimo in Christo filio C(arolo) regi Sicilie illustri.

Sepe nobis, immo sepissime nec pauca nec levia scandala suscitata diversis et perversis gentis tue processibus animum nostrum amarificant, nec mirari sufficimus, cur nobis hec ingeras offendicula, qui dudum in minori, ne dicamus officio, quin etiam statu simplici constituti tui dileximus et direximus totis viribus honoris augmentum et, prout Deo placuit, ultra vires et meritum ad maiora provecti *celo mutato, non animo*¹⁰³ continue caritatis instantia, quod laudabiliter ceperamus, laudabilius fuimus prosecuti, et hoc adeo, ut teste conscientia, quid ultra facere potuerimus nec fecerimus, ignoremus. Ecce, fili carissime, quot et quanta in terris nostris tuo nomine fuerint attemptata, te nescire noluimus, dum fere singula tue intimanda duxerimus magnitudini, quamvis forsan omnia nequiverimus molestiarum frequentia et missione litterarum inutili fatigati. Et quotiens ista scribimus, tuo negas facta mandato, nichil tamen penitus revocas nec excessum punis mandantium nec eos, quibus iniusta sub tui nominis terrore mandantur, de voluntate tua contraria verbo vel litteris certioras. Quadam sane distinctione nunc uteris, ut, si tuis officialibus quis non pareat, offensum te reputes, an bene vel male preceperint, non discusso. Si in Romanam excedunt ecclesiam, dicis te minime hoc mandasse, sed tuum in Urbe vicarium morem senatorum secutum nichil novum asseris usurpasse et equanimiter nos ferre debere contendis in officialibus tuis, quod in Romanis civibus pro tempore senatoribus Romani pontifices tolerarunt. Ad hoc autem, licet sit vera responsio circa factum, quod senatores Romani plura et pluries in terris ecclesie mandaverunt, non tamen paritum eis fuit, et, si forsan interdum aliqui pusillanimes paruerunt, numquam Romana consensit ecclesia, sed viriliter contradixit. Ut tamen hoc leviter transeamus, scire te volumus non ad hoc te vocatum, ut aliorum imiteris errores, non, ut ecclesie ius absorbeas, sed ut tuo iure contentus et Romanam primo et principaliter et alias consequenter defendas ecclesias. Unde, si bene recolis, ad id te specialiter iurisiurandi vinculo astrinxisti, quod eiusdem Romane ecclesie iura defendas et in nullo diminuas vel perturbes.

Verum nuper, cum iudex tuus quidam Mediolanensis Bertrandus diversas terras Patrimonii peragrasset et quidam alii circuissent Campaniam ea mandantes, que ad te minime pertinebant, scripsisti nobis hoc de tuo non processisse mandato, et, quamvis hoc non sufficeret, succrescentibus tamen occupationibus aliis oblivioni fere iam dederamus, quod mentem nostram graviter perturbaverat. Sed continuo nova querimonia supervenit, quod scilicet tuus in Urbe vicarius fideles nostros de castro Aspere in Sabinia inquietat, quia quendam de tua familia nolunt admittere in rectorem, quem pauci ex eis nostri et ecclesie proditores elegisse dicuntur aliis non in ipsum, sed in alium dirigentibus vota sua, quem iam etiam receperunt. Quo igitur pacto noster quiescit spiritus, dum totiens infestamur et repetitis lacessiti molestiis oblivisci veterum non permittimur, quod novis cessantibus libentissime faceremus? Scias, fili carissime, viam nobis penitus aliam eligendam, et omittere amodo non poterimus, quin tuorum officialium insolentiam spirituali gladio

¹⁰³ Hor. epist. 1,11,27.

compescamus et alias, prout expedire viderimus, resistamus eisdem, nec credas, quod pro singulis eorum excessibus, cum regnum intraveris, ad te nostros mittamus nuntios. Iam enim et hic et alibi ex tempore multo didicimus, quid prosint huiusmodi missiones.

Quocirca serenitatem tuam monendam duximus et hortandam, quatenus et illum, qui pro regimine dicti castri contendit, quem, etiamsi esset electus communiter, preesse dicto castro minime pateremur, a petitione huiusmodi desistere iubeas et tuum vicarium a processu et sic tuam universis et singulis circa talia voluntatem aperias, ut ab inceptis desistant et in futurum similia non attemptent.

Datum Perusii, VII Idus Ianuarii, anno I.

137.

Clemens IV. an König K(arl I.) von Sizilien: mahnt ihn, den Abt von Saint-Polycarpe freizulassen.

1266 Januar 10, Perugia

Eidem.

Dilectum filium abbatem sancti Policarpi Narbonensis diocesis pro monasterii negotiis Electensis in nostra curia constitutum incidente tractatu de Petro de sancta Columba milite, qui tuis adversariis astitit et assistit, ad tuam gratiam reducendo tuam presentiam adire precepimus et, quod negotio huiuscemodi esset utile, de tuo consilio promovere. Tu vero, ut audivimus, nec nobis nec ipsius religioni deferens eum fecisti cum tota ipsius familia personaliter detineri, quod quidem, qua auctoritate temptaveris, ignoramus. Quocirca serenitatem tuam monemus et hortamur attente per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus eum et eius familiam cum rebus ipsorum, qui sub nostre securitatis fiducia ad te venerant, ad nos remittere non differas liberos et securos.

Datum Perusii, VIII Idus Ianuarii, anno I.

138.

Clemens IV. an Erzbischof (Bartolomeo Pignatelli) von Cosenza: gebietet ihm, für die Freilassung des Abtes von Saint-Polycarpe zu sorgen.

1266 Januar 10, Perugia

Archiepiscopo Cusentino.

Miramur plurimum sustinere te aliquatenus potuisse, quod dilectus filius abbas sancti Policarpi Narbonensis diocesis de nostro speciali mandato regiam adiens magnitudinem personaliter captus fuerit et detentus, cum tu conscius esses omnium, que tractata fuerant per eundem. Nec scimus nec possumus extimare, unde venerit hec presumptio, ut sub nostra fiducia pro regis utilitate transmissus abbas precipue caperetur, qui sine excommunicationis vinculo capi non potuit, in quam utique capientes et capi mandantes pariter inciderunt, nullis litteris nostris obstantibus, si que forsitan emanarunt de suspectis clericis capiendis, que ad abbates maioresve prelatos minime porriguntur, et, si de illis, quod non credimus, facerent mentionem, eas penitus revocamus. Quia igitur male polus carpitur, ubi tam impudenter sanctus offenditur Policarpus, fraternitati tue per apostolica scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandamus, quatenus visis

litteris eundem abbatem cum familia sua et rebus eorum, a quibuscumque detineantur personis, cuiuscumque sint dignitatis, gradus vel excellentie, liberari procures personas huiusmodi ad liberationem eorum per censuram ecclesiasticam, si oportuerit, appellatione postposita compellendo non obstante, si cui vel aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod excommunicari, suspendi vel interdicti non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam de indulto huiusmodi mentionem, vel alia quavis eiusdem sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, etiamsi de ipsius toto tenore in nostris litteris plena et expressa mentio sit habenda. Quod si forsan tibi ad nostram presentiam accedenti inter Montem Flasconem et Urbem hee littere fuerint assignate, protinus retrocedas et mandatum nostrum fideliter et viriliter exequaris.

Datum Perusii, IIII Idus Ianuarii, anno I.

139.

Clemens IV. an König K(arl I.) von Sizilien: empfiehlt ihm Bischof (Guy de Mello) von Auxerre und den Ritter P(ierre) le Chambellan als Ratgeber; bittet ihn, auf die Beschwerden König L(udwigs IX.) von Frankreich wegen der Salzsteuer einzugehen.

1266 Januar 11, Perugia

Carissimo in Christo filio C(arolo) regi Sicilie illustri.

Profecturum ad bella principem pacem decet in domo propria solidare, ne, dum pugna domestica lacescente distrahitur, minus ab exteris timeatur. Inter omnia sane prelia illud magis est intimum, id dici debet rectius intestinum, quod sub Dei solius oculis in conscientie secretissimo sinu geritur, que nunc rodit, nunc lacerat, nunc concutit, nunc prosternit et alternis vicibus nunc superior, nunc inferior quietem animi vel prorsus dissicit vel perturbat. Ergo, fili carissime, cum iam manum mittas ad fortia contra fortem fortis et fortiter pugnaturus, vide prius, quid domi agitur. Et, si forsan tumultum faciunt, si tibi movent prelium in eadem non pauca numero, sed nec leves iniurie, quas ecclesiis, quas baronibus, quas militibus, quas plebeis in terris tuis fecisse diceris et usque ad Ytaliam produxisse, prius consule te et tibi. Et, ne tue prudentie contra sapientis consilium innitaris, viris fidelibus et prudentibus et audacibus aperi veritatem, qui profecto velint et valeant, sciant et audeant sanum dare tibi consilium. Et, cum magna sit differentia mentalis examinis ad forense iudicium advocatorum, diffugiis non utaris, quibus tue salutis negotium nullo credideris tempore committendum.

Offert tibi Dominus in hoc tempore viros multa peritia preditos, multa fide pollentes, et specialiter inter illos venerabilem fratrem nostrum Altisiodorensem episcopum et dilectum filium P(etrum) Cambellanum militem, qui te numquam decipient nec ad tuum dispendium tuam faciem verebuntur, quorum consilio si te rexeris, nichil regie magnitudini deperibit, nam te regens et alios et rectitudinis regule te subiciens regis nomen et meritum rectius obtinebis. Verum inter cetera ad id tuam memoriam duximus reducendum, quod sepe ac sepius tuis auribus inculcavimus, de querela carissimi in Christo filii nostri L(udovici) regis Francie illustris, quem gabella, quam percipis de sale terre ipsius, graviter scandalizat, serenitatem tuam rogantes et hortantes attente, quatenus specialiter super illa accedentibus ad tuam presentiam dilectis filiis P(etro) Cambellano predicto et fratre Iohanni de Manso ordinis Fratrum Minorum benignam prebeas audientiam et ad ea, que proposuerint, verbo taliter factoque respondeas, ut et tuam liberes animam et fratris animum pacatum reddas pariter et placatum.

Datum Perusii, III Idus Ianuarii, anno I.

140.

Clemens IV. an König K(arl I.) von Sizilien: bittet ihn, Sieneser und anderen Exilierten sowie den päpstlichen Anhängern in der Mark (Ancona) Militärhilfe zu gewähren.

1266 Januar 11, Perugia

Eidem.

Vexamur a Senensibus et aliis extrinsecis fidelibus et a nostris similiter Marchianis, ut tuam magnitudinem excitemus ad militiam aliquam dimittendam eis ad tempus, que, prout asserunt, cum eorum auxilio et inimicos Dei confunderet et expeditis amicis eorundem obsequium tibi pinguius ministraret. Verum, cum tu melius longe scias, quid velis et valeas circa ista, serenitatem tuam rogandam duximus et hortandam, quatenus omnibus compensatis, quod utilius esse crederis, exequaris. Et, si forsitan habes aliquos, quibus plene ad presens nequeas de stipendiis respondere, dicunt aliqui, quod, si equos et arma haberent et victum apud eos acquirerent et, unde parare se possent, plenius ad tua prosequenda negotia lucrarentur. In hiis autem et aliis tuas Dominus actiones aspirando preveniat et adiuvando salubriter prosequatur.

Datum Perusii, III Idus Ianuarii, anno I.

141.

Clemens IV. an König K(arl I.) von Sizilien: bittet ihn, Barral des Baux, Podestà von Mailand, auf dessen eigenen Wunsch hin aus seinem Amt zu entlassen.

1266 Januar 12, Perugia

Carissimo in Christo filio C(arolo) regi Sicilie illustri.

Longis attritos laboribus pro loco et tempore recreare volentes eo credimus procedendum ingenio, ut vel quietem prebeant post laborem vel commutato laboris genere laborantes continue sola releventur oneris novitate. Sane dilectus filius vir nobilis Barralus dominus Baucii, sicut nosti, se totum et totaliter tuis dudum obsequiis deputans, ut tenetur, in civitatis Mediolanensis regimine de tuo nuper beneplacito constitutus, licet credat civibus se acceptum et ibidem ad tue serenitatis honorem fideliter egerit, quicquid potuit, prudenter tamen considerans et attendens, quod honestius esset sibi tuam videre faciem et assistere tuo lateri quam diutius inibi sub potestatis nomine commorari, tedio premitur et afficitur, cum amodo tibi credat inutilem moram suam, nisi forsitan illos CC milites illuc mitteres, quos dicta civitas a te petit, quibus si eundem proficeres et necessaria non deessent, tuum ex animo promoveret honorem, quamquam longe magis eligeret tue magnitudinis gloriosis interesse triumphis. Quocirca, fili carissime, quia tu nosti plenius industriam dicti nobilis et prudentiam, quam tibi in precipuis crederemus negotiis fructuosam, serenitatem tuam rogandam duximus ex affectu, quatenus eius satisfaciens desiderio parcas ei nec eum exnunc iubeas fungi officio potestatis, sed in aliis eum exerceas, que sibi placeant et nichilominus tibi prosint, nisi fortasse filii, quem iugiter tecum habes, contentus obsequio patrem ad propria duxeris remittendum, quod tamen, an placeret eidem, penitus ignoramus.

Datum Perusii, II Idus Ianuarii, anno I.

142.

Clemens IV. an Geoffroy de Beaumont, Kanzler von Bayeux, [apostolischer Legat]: warnt ihn vor den Machenschaften der Lombarden.

1266 Januar 18, Perugia

Dilecto filio Gaufrido de Bello Monte cancellario Baiocensi.

Per Raymundum Bertrandi hereticum, prout credimus, et mendacem, qui nos suis aliis circumvenit mendaciis, quedam nobis nuper scripsisti, que, licet in se ardua viderentur, nobis tamen ex vilitate nuntii viluerunt. Verum, si tibi aliunde constaret, quod in eis posses proficere, placeret nobis plurimum. Sed in uno cavendum est tibi, scilicet ne fabulis Lombardorum intendens te ipsorum involvas tractatibus, qui longas *telas ordiri*¹⁰⁴ consueverunt hactenus et tunc demum succidere, cum fructus aliquis expectatur¹⁰⁵.

Datum Perusii, XV Kalendas Februarii, anno I.

143.

Clemens IV. an König Béla (IV.) von Ungarn: fordert ihn auf, Bischof Timotej von Zagreb trotz seiner geringen Herkunft anzuerkennen.

1266 Januar 21, Perugia

Carissimo in Christo filio Bele regi Ungarie illustri.

Rerum omnium providus ordinator omnes homines lege propagandos communi ex similibus nasci seminibus, eodem celo contegi simili que gaudere spiraculo voluit, *nudos in mundum ingredi, nudos egredi*¹⁰⁶ pari ratione decrevit non a servo distinguens liberum, non ab egeno divitem, non a rege plebeium in omnibus supradictis, sed in terra multiplicatis hominibus et eorum nonnullis voluntatis indomite motus agiles et effrenos libertati proprie relinquentibus, aliis autem saniore consilio rationis imperio suas subdentibus voluntates istos illis merito prefici non sola persuasit honestas, sed necessitas etiam publica contulit anteferri, ut, qui suis perfectius dominabantur animis expugnatoribus urbium, meliores exercerent in alios principatum et repressis improborum excessibus societatis humane federa sub iocunde tranquillitatis presidio salvarentur. Non abnuimus, fili carissime, quin alicubi Domino permittente potestatis usurpata presumptio thronum aliquibus dederit principalem, sed illa, quam premisimus, recta fuit occasio, immo causa rectissima, quos natura pares produxerat, sublimitatis fastigio et subiectionis obsequio discernendi, que diversitas statuum nichil habet adversum, si subiectus se meritis imparem et prelatus se natura confitetur et agnoscit equalem. Sic igitur successivis temporibus propagata prelatio splendore morum a patribus acquisita populorum assensu, quem annosa consuetudo firmavit in posteros derivata, nobilitati laudabilem et ab omnibus honorandam dedit originem et eo predotavit effectu, ut ex nobilibus nascantur nobiles et, quod natura nescierat, usus hominum humano generi non mediocriter utilis superaddat. Que res divine gratie non prescribit, quin parvis et magnis, servis et liberis pro sue beneplacito voluntatis illabens nunc hos nunc illos erigat vel deiciat iuxta

¹⁰⁴ Hieron. in Isai. 9,30, 1. Vulg. Isai. 25,7, Plin. 11,80.

¹⁰⁵ Luc. 13,6–9.

¹⁰⁶ Iob 1,21, Eccles. 5,14.

sui dispositionem arbitrii, quod non fallitur, licet eius archana ratio nequeat ab hominibus comprehendi.

Sane, cum venerabilem fratrem nostrum Thimotheum Zagabriensem episcopum a felicitis recordationis Urbano papa predecessore nostro promotum et ab ipso, dum viveret, et a nobis, qui eidem licet immeriti successisse dinoscimur, tue benivolentiae commendatum adeo, prout ipsa se veritas exhibet, abhorrueris, ut nec precibus acquiescens nec consiliis te coaptans nec obtemperans monitis nec mandatis obediens eum duxeris admittendum vel ab apostolica sede et ab eo nicholominus missum fratrem Galterum capellanum et penitentiarium nostrum episcopatus eiusdem permiseris pacifica possessione gaudere, mirati fuimus et miramur et intenditur admiratio, dum attendimus ignorare te non debere *Regem regum et Dominum dominantium*¹⁰⁷, per quem ceteri *reges regnant*¹⁰⁸, sic regibus secularibus rerum regnum secularium concessisse, ut ad spiritualia disponenda manus suas, cum eisdem non competat, non extendant, sed illius hec relinquunt iudicio, qui vicem in terris obtinens Domini Iesu Christi per se vel alios in sollicitudinis partem admissos *spiritualia spiritualibus comparans*¹⁰⁹ ea spiritualiter administrat. Scimus equidem iam diversis temporibus tuos ad apostolicam sedem nuntios accessisse, et, quod primi dixerant, refricabant sequentes, quorum unus, immo novissimus dilectus filius magister Demetrius Strigonien-sis archidiaconus, subdiaconus noster in nostra nuper et nostrorum fratrum presentia a tua magnitudine sibi, ut assererat, iniuncta proposuit, que nisi tuo proposuisset nomine, cum suo non interesset in aliquo, vel nullam vel modicam super eis audientiam habuisset. Pro tua tamen reverentia patienter auditus et sicut vir eloquens et peritus pulchre proponens turpia et decenter inserens indecentia, personam episcopi multipliciter asserens contemptibilem tum defectu consilii tum originis vilitate, quin immo condicione servili tum ex causis quibusdam aliis indignum tuo latere multiplice ratione conclusit, sed et magnatum regni tui litteras nobis reddidit, quas tamen legi publice non permisimus, quia nec tuam nec alterius poterant causam instruere sine iuris suffragio solam iniuriam continentem.

Verum, si retines, que premisimus, frustra certas de condicione persone, cui suam Dominus infundere potest gratiam et infudit, cum sibi placuit, qui *non est personarum acceptor*¹¹⁰, sed nec ei posset obesse originalis servitus, etiamsi de ipsa constaret, quam dignitas episcopalis absorbit et elisit, nec iniuriam lateri tuo faciet pauper a dextris assidens vel sinistris, si non assidentis originem, sed sacerdotii dignitatem attenderis, si reminisci volueris summi Regis, qui commensales et socios operisque sui vicarios et, quod est amplius, coheredes in regno habere voluit pauperes piscatores. Demum, si ad tui culminis gloriam tue providentie direxeris aciem, quis, quesumus, honor est tibi excellentie tante regem adversus pauperem dimicare, *stipulam siccam persequi*¹¹¹ et contra virum simplicem potentiam tuam ostendere? Leones scimus contra vermiculos non armari, ad passerem aquilas non volare. Et tu, vir atque princeps magnificus, tanta sudabis instantia ad unius deiectionem episcopi, cui, quod obicis, dato per omnia, quod sit verum, imputare non potes, qui, cum se ipsum non fecerit, sed a Domino factus fuerit, nec parentes eligere nobiles sibi potuit nec peccavit, si illos habuit, quos Dominus ei dedit. Si qua tandem obicienda contra consecratum episcopum viderentur prodeunte, qui posset obicere, non esset ei possessio deneganda, sed ea sibi concessa primitus exinde forsitan esset de meritis inquirendum, quantum iustitia pate-retur. Ceterum, si super hoc negotio varie tibi scripsimus, non mireris spiritualem quidem medicum nunc levibus, ut decet, nunc asperis et iuxta parabolam evangelicam vinum vel oleum vel

¹⁰⁷ 1. Tim. 6,15.

¹⁰⁸ Prov. 8,15.

¹⁰⁹ 1. Cor. 2,13.

¹¹⁰ Act. 10,34.

¹¹¹ Iob 13,25.

simul vel alternis infundere vicibus sauciati vulneribus¹¹², ut nec aspera nimis exasperent nec levia plus, quam oporteat, blandiantur.

Si igitur, quod vix credimus, nec predicti fratris Galteri nec venerabilis fratris nostri Strigoniensis archiepiscopi, cui secundo scripsimus, acquievisti monitis salutaribus, excellentiam tuam per aspersionem sanguinis tui et omnium Redemptoris multiplicatis precibus obsecramus in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatenus tua nunc saltem indignatio conquiescat et eundem episcopum admittens ad gratiam rerum episcopalium atque iurium possessionem eidem liberam cum fructibus facias assignari, ut et anime tue consulas et fame provideas et sedem apostolicam, quam in omnibus habuisti propitiam, amplius non offendas. Scire quidem te volumus, quod illius inherentes vestigiis, quantum scimus et possumus, qui defendens christianos suos *non reliquit eis nocere hominem, immo reges corripuit pro eisdem*¹¹³, omittere non poterimus, quin causam pauperis, qui relictus est Domino, prosequamur. Nec te turbet aliquorum suggestio clericorum, qui, prout dicitur, episcopatum potius quam episcopum insequentes ad viventis successionem aspirant, quam profecto nobis viventibus per hanc viam vel verius iniuriam non habebunt.

Datum Perusii, XII Kalendas Februarii, anno I.

144.

Clemens IV. an König K(arl I.) von Sizilien: unterrichtet ihn, daß die Sieneser Kaufleute das angeforderte Geld bereithielten.

(1266 nach Januar 1, Perugia)

Carissimo in Christo filio C(arolo) regi Sicilie illustri.

Non negamus, quam arguis, Senensium mercatorum desidiam nec malitiam excusamus, sed potius et minis et terroribus frangimus, prout possumus, et continuis increpationibus perurgemus. Sane congregaverunt, ut dicunt, pecuniam, quam paratam invenient tui nuntii, quos expectant. Statum tuum et profectum negotii, quod prosequeris, nobis frequenter non desinas intinere. Nec te frangat laboris asperitas, quam divina consolatio levigat et hic tibi gloria triumphali disposita et *reposita corona iustitie*¹¹⁴ in futuro.

145.

Clemens IV. an König K(arl I.) von Sizilien: beteuert, daß er über keine Möglichkeiten mehr verfüge, ihm zu helfen, und möchte nicht weiter belangt werden.

(1265 Dezember, Perugia)

Eidem.

Nec montes nec fluvios habemus aureos nec tuo desiderio possumus satisfacere et, quantumcumque necessitas urgeat, nichil possumus ultra posse. Fecimus autem liberaliter, quod

¹¹² Vgl. Luc. 10,25–37.

¹¹³ Ps. (G) 104,14.

¹¹⁴ 2. Tim. 4,8.

potuimus, et, quod poterimus, commode faciemus. Sed exhaustis iam viribus et mercatoribus fatigatis cur nos ulterius inquietes, videre non possumus, nisi forsitan requiras miraculum, ad quod nobis nequaquam merita suffragantur, ut in aurum terram vel lapides convertamus. Sane frater Arnulphus Templarius nostras tue magnitudini litteras presentabit, que, si tue necessitati non consulunt, nostram saltem impotentiam excusabunt.

146.

Entgegnung auf einen Brief M(anfreds von Sizilien), ehemaliger Fürst von Tarent: Widerlegung von Aussagen und Vorwürfen gegen König Karl (I.) von Sizilien und Papst (Clemens IV.); Absage an die Forderung von Verhandlungen; grundsätzliche Bereitschaft, Sünder aufzunehmen.

(1265 November / Dezember)

Nobili viro M(anfredo) quondam principi Tarentino

Lecta nuper epistola viri magis magniloqui quam magnifici stilum sapiens nec favorem promeruit veritati contraria nec timorem incutere potuit homini timorato. Dico autem hominem timoratum, qui singulariter Deum timet, de quo recte, quod scriptum est, intelligitur: „*Qui timet Deum, nihil trepidat*¹¹⁵.“ Sicut enim singulariter vult Deus diligi, sic etiam et timeri, ut quemadmodum nichil est diligendum nisi Deus et, quod est diligibile propter Deum, sic nec timendum est aliquid nisi Deus et, quod est formidabile propter ipsum. Unde etiam in evangelio docet *homines non esse timendos, qui, cum corpus occiderint, ultra non habent, quid faciant. Illum solum docet esse timendum, qui corpus et animam potest mittere in gehennam*¹¹⁶. Sane veritati contrariam epistolam esse diximus, quia comparationes prosequitur odiosas et quadam narratione profusa nunc impotentiam nunc superbiam nunc alia imponit preter verum viro nobili, quem potentem et humilem nemo dubitat et de potentissima et humillima domo natum. Et, si potentie probatio queritur, videbit omnis oculus in processu negotii non solum, quid homo valeat, sed quid in homine possit Deus. Venit igitur Carolus Deo et hominibus totus carus – olon enim totum significat lingua Greca –, non ut sibi ius rapiat alienum, sed ut ecclesie iura prosequens et honorem eius promoveat et suum pariter inquirat commodum iuxta providentiam sibi factam ex indulgentia apostolice largitatis. Quod si viarum difficultas obicitur, si terrarum marisque conclusio, si Sarracenorum et excommunicatorum promiscua multitudo, si cuiuslibet barbare nationis amixtio, *potens est Deus*¹¹⁷ et aperire conclusa et colligata dissolvere et in paucis multos subigere, qui de celo contra Sisaram dimicavit¹¹⁸, qui hostes innumerabiles in manu fidelissimi Machabei cum inermi et modica comitiva subegit¹¹⁹. Et, ut preveniam obiurgantes, si permisit Deus contrarium datus in manus hostium isto cum fratribus et baronibus regni Francie tempore retroacto, brevis est huiusmodi obiectionis solutio, quia Deus eos probare voluit et captos casu flebili eventu iocundissimo subito liberavit. Nec est sperandum hostibus, ut contingant similia, sed potius formidandum, immo potius obnixie tenendum, quod *omnium Dominus*¹²⁰ afflictionem non iteret, sed pro suo semel contritis nomine sui reddat letitiam salutaris. *Non enim irascetur Dominus in*

¹¹⁵ Ecclus. 34,16.

¹¹⁶ Matth. 10,28.

¹¹⁷ 2. Cor. 9,8.

¹¹⁸ Vgl. Iudic. 4,1–24.

¹¹⁹ Vgl. 1. Macc. 3,10–26.

¹²⁰ Sap. 8,3.

*perpetuum nec comminabitur in eternum*¹²¹. Verum sciat M(anfredus), quod fuit tempus, in quo gratiam repulit, cui parata per omnia videbatur, et que postmodum haberi non potuit tempore minus oportuno quesita. *Omnia siquidem tempus habent*¹²², sed tempus non habet omnia. Scriptum est enim: „*Tempore placito exaudivi te*¹²³.“ Non est res integra nec integrari possibilis. Iam in publicum prodiit *fortis armatus*¹²⁴, *iam ad radicem posita est securis*¹²⁵. *Nunc mundi iudicium imminet, ut foris eici debeat princeps mundi*¹²⁶. Et, si secus Deus disposuerit, quod non creditur a fidelibus, qui Dei sunt ad omnia *parati flagella*¹²⁷, quicquid ei placuerit, equanimiter tolerabitur. Viluit enim terra hiis, qui celum animo concupiscunt. Unum scio, quod, qui Romanam regit ecclesiam in Domino figens *ancoram spei*¹²⁸ sue, neminem vult decipere, nullius delectatur excidio nec in sanguinis effusione letatur, sed pacem, sicut potest, inquirat et, quam in se quesitam invenire non potuit, in suo querit opposito, sed coactus. Stabilium quidem a suo predecessore negotium promovens, sicut debuit, eundem Carolum sublimavit in regem, quoniam *sanctum et terribile nomen eius*¹²⁹ et regio diademate dignum. Sed propter hoc hodie non dimitteret, quin filios quantumlibet a salute propria elongatos ad sinum misericordie letus exciperet, si iuxta formam sacrorum canonum salutare remedium postularent. Demum Dei negotium agitur, in cuius manu regnum est, immo sunt omnia iura regnorum. Eius ergo iudicium expectetur, et, quod *in ipsius oculis bonum erit*¹³⁰, suscipiatur ab omnibus et a singulis approbetur.

147.

Clemens IV. an (Giangaetano Orsini, Kardinaldiakon von San Nicola in) Carcere Tulliano: äußert sich über den Sinn von Sprichwörtern (Stilübung).

O. D.

Scribit piscator custodi Carceris Tulliani.

Verba sunt iurisconsulti¹³¹: „*Mandatis adicitur, ne presides provinciarum in ulteriorem familiaritatem provinciales admittant, nam ex conversatione equali contemptus nascitur dignitatis.*“ Et infra¹³²: „*Et summatim ita ius reddi debet, ut auctoritatem dignitatis ingenio suo augeat.*“ Item poeta dicit¹³³: „*Principiis obsta, sero et cetera.*“ Et idem¹³⁴: „*Nam neglecta solent incendia sumere vires.*“ Et idem alibi¹³⁵: „*Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.*“ Negotietur ergo circa ista vir prudens nec iudicet levia, que promptum habent transitum, in exemplum memor Ecclesiastici dicentis¹³⁶:

¹²¹ Ps. (G) 102,9.

¹²² Eccles. 3,1.

¹²³ Isai. 49,8.

¹²⁴ Luc. 11,21.

¹²⁵ Matth. 3,10.

¹²⁶ Joh. 12,31.

¹²⁷ Ps. (G) 37,18.

¹²⁸ Hebr. 6,18–19.

¹²⁹ Ps. (G) 110,9.

¹³⁰ Isai. 38,3 und öfter.

¹³¹ Johannes von Salisbury, Policraticus, V 15, ed. WEBB 1, S. 575.

¹³² Ebd.

¹³³ Ov. rem. 91. WALTHER, Proverbia 3, S. 956 Nr. 18.

¹³⁴ WALTHER, Proverbia 1, S. 1027 Nr. 36.

¹³⁵ WALTHER, Proverbia 2, S. 47 Nr. 52.

¹³⁶ Ecclus. 19,1.

„*Qui spernit modica, paulatim decidet.*“ Et dictum aliter ad hunc transferat intellectum¹³⁷: „*Vitasti grandia, cave, ne obruaris arena.*“

Circa hec et maiora verbis opus est potius quam scriptura, et argumentosis apibus ad flores colligendos emissis, si vento quatiuntur aut imbribus, non melius potest consuli, quam quod acceleratis passibus ad suum alveum revertantur. Sed in hiis omnibus, cum particularium consideratio certa lege limitari non possit, negotiatoris prudentie plurima relinquuntur.

148.

Clemens IV. an König K(arl I.) von Sizilien: mahnt ihn, einigen Adligen aus Avignon und Arles, die in Rom in Armut geraten seien, die Heimkehr zu ermöglichen.

1266 Februar 16, Perugia

Carissimo in Christo filio C(arolo) regi Sicilie illustri.

Quia iuxta sapientis sententiam *firmatur clementia thronus regis*¹³⁸, decet te, fili carissime, pietatis abundare visceribus et presertim ad illos, qui tibi fideliter obsequentes semet ipsos dederunt periculis continuare parati, quod ceperant, si paupertas extrema non premeret, quam non induxit incuria, non prodiga rerum consumptio, sed potius casualis eventus, qui nec vitari potuit nec humano consilio previderi. Cum igitur quidam Avinionenses et Arelatenses boni et nobiles sint in Urbe, qui equis, quos adduxerant, vel morte sublatis vel ob vite necessitatem distractis res suas alias necessario vendiderunt et hodie, ut didicimus, sua distrahunt vestimenta, serenitatem tuam rogandam duximus et hortandam, quatenus eis compatiens, si, quod credimus, eis subvenire non potes, des saltem redeundi licentiam, ne cogantur cum suo et suorum opprobrio tueque maiestatis iniuria mendicare.

Datum Perusii, XIII Kalendas Martii, anno II.

149.

Clemens IV. an König (Jakob I.) von Aragón: schlägt die Bitte aus, seine Ehe mit Teresia aufzulösen.

1266 Februar 17, Perugia

Carissimo in Christo filio regi Aragonum illustri.

Quanto personam tuam affectu sinceriore diligimus, tanto familiarius te corripimus illius sententie memores, qua monstratur *diligere pater filium, quem salubriter corripit*, et *odire* convincitur vice versa, qui corripienda dissimulans *parcit virge*¹³⁹. Sane, cum inter alios mundi principes, quos litteralis scientia non instruxit, te Dominus excellenter ingenio naturali dotaverit et experientia multa didiceris et libenter audieris sapientum sententias et tenaci memorie commendaveris, miramur plurimum, qua licentia, quo instinctu nobis petitionem obtuleris Deo contrariam, abominabilem angelis et hominibus monstruosam. Non enim credere debuisti, quod verum matrimonium vellemus dissolvere vel coniunctionis illicite pollui participio ex consensu. Scire quidem

¹³⁷ Petrus Cantor, Verbum abbreviatum, II 35, ed. BOUTRY, S. 738.

¹³⁸ Prov. 20,28, 29,14.

¹³⁹ Prov. 3,12, 13,24.

ab olim te credimus, quod, cum nobilem mulierem Terisiam per verba de futuro, prout tua littera continet, desponsasti, licet verum non fuerit matrimonium, sic tamen initiatum extitit, ut verum et consummatum fieret carnali copula subsecuta. *Quos ergo Deus coniunxit*, Dei vicarius quomodo *separaret*¹⁴⁰? Absit a nobis hoc scelus, ut leges Domini violemus et, ut hominibus placeamus, creatorem et redemptorem hominum offendamus. Quod si inter te et ipsam matrimonium nullum esset, istam, quam superinducere tibi placuit, aut in uxorem aut in pelicem elegisti. Si uxorem habere volebas, quam spuriam confiteris, et hanc in tua gloria ponere maculam minime verebaris, numquam credere debuisti, quod ad tui culminis tam vile, tam ignobile precipitium impenderemus suffragium dispensando. Quod si tibi concubinatum ipsius elegeras, nec colorem habuit nec saporem regia postulatio, cum sperare non debeas auctorem fieri turpitudinis Iesu Christi vicarium omnia turpia detestantem. Si queris forsitan, quid tibi faciendum incumbat, cum sine corporis tui periculo prime cohabitare non possis, satis est in promptu responsio: „Sustine manum Domini et, quod fortuitus casus induxit, culpe non imputes patientis.“ An credis, quod, si omnes regine per mundi climata constitute leprose fierent, daremus regibus ob hanc causam licentiam cum aliis mulieribus contrahendi? Scias pro certo, quod omnes et singuli parerentur repulsam, etiamsi domus regie nulla prole superstita in radice prorsus arescerent et in ramis.

Eapropter, fili carissime, Deum habens pre oculis et illum benignissimum regem Francie, cum quo tuam amicitiam copulasti, tibi statuens in exemplum vide, quantum in diebus tuis processeris, vide beneficia, que de manu Altissimi recepisti, vide crucem, quam tuis humeris affixisti, vide bellorum discrimina, quibus te multum animose committis. Et, ne addas incestui adulterium, cum ex hoc et bona, que agis, tibi reddas sterilia et iram Domini in die iusti iudicii thesaurizes, nec te dicas continere non posse, nam dudum perempta est hec querela. Quomodo enim iustus et rectus Dominus indiceret omnibus ab illicito coitu continentiam, si vel unus posset obicere preceptum impossibile non debere servari? Sed mos est omnium peccatorum, sicut dicit beatus Ieronimus, ut *ad sui excusationem erroris non posse* ponant in causa, cum sit nolle tantum in culpa¹⁴¹. Iuste igitur tuum in hac parte desiderium implere nolumus contra Deum, qui in licitis et honestis, cum necessitas vel utilitas exigit, tibi nos reddimus favorabiles et benignos.

Datum Perusii, XIII Kalendas Martii, anno II.

150.

Clemens IV. an König (Jakob I.) von Aragón: erlaubt ihm, den Kirchenzehnten ein Jahr über seinen Krieg gegen die Mauren hinaus einzuziehen.

1266 Februar 17, Perugia

Eidem.

Cum crassantibus in Yspanos christicolos perfidis Sarracenis accensus zelo fidei pro negotio laboraveris et labores continue Crucifixi multis ob hoc oneratus expensis, quas bellice res desiderant, que nonnumquam regum thesauros exhauriunt, quantumcumque fuerint opulenti, volumus et concedimus, ut concessam tibi in certis regionibus decimam ad triennium, si tantum protraheretur negotium, habeas integre per annum insistendo negotio, etiamsi ulterius minime tenderetur, in omnibus aliis litterarum nostrarum forma servata, quas ad venerabiles fratres

¹⁴⁰ Matth. 19,6.

¹⁴¹ Vgl. Hieronymus, Commentarii in Malachiam 2, ed. MIGNE PL 25, Sp. 1552.

nostros archiepiscopum Terraconensem et episcopum Valentinum direximus super decima memorata.

Datum *ut supra in proxima*.

151.

Clemens IV. an S(imone Paltinieri,) Kardinalpriester von San Martino, Rektor der Mark Ancona und des Herzogtums Spoleto, apostolischer Legat: hält ihn an, darauf zu achten, daß ehemaligen Gegnern der römischen Kirche, die Einsicht gezeigt hätten, von ihm oder den Machthabern in der Mark Ancona keine unangemessenen Bedingungen auferlegt würden.

1266 Februar 20, Perugia

Dilecto filio S(imoni) tituli sancti Martini presbytero cardinali, Marchie Anthonitane et ducatus Spoleti rectori, apostolice sedis legato.

Nosti, fili, quantum expenderit nostro et predecessoris nostri temporibus ecclesia Romana in volubili Marchia quibusque fuerit oneribus aggravata, quamobrem in hoc *tempore acceptabili*¹⁴² vigilandum est nobis et tibi, ut et nostra procuretur indempnitas et malorum edometur audacia et in paucis fidelibus fides quantumlibet modica nutriatur. Sane postulantibus Marchianis, ut et perfidi punirentur et fidelibus super dampnis eis illatis provisio fieret, oportuna nostra fuit responsio, quod sciremus per te prius condicionem provincie culpasque delinquentium et, prout equitas suaderet nec misericordiam prorsus evacuans nec iustitiam usquequaque dissolvens, cum tuo et aliorum fratrum nostrorum consilio viam Deo acceptam et universis utilem sequeremur. Tu ergo, quem experientia docuit de negotii circumstantiis, caute in omnibus ambulans vide, ne condiciones reversuris aut reversis concedas, que nostram contrahant libertatem. Et, cum universa diligenter apprehenderis, certiorabis nos de singulis et nostram postmodum vel recipies per epistolam vel per nuntium audies voluntatem. Illud quidem placere non potest, quod ad beneplacitum Marchianorum, quantumcumque fideles fuerint, in puniendis procedatur excessibus, sed simpliciter redeuntes recipias absque pacto. Nec permittas ab ipsis fidelibus in personis vel rebus dampnificari reversos, sed nostrum in omnibus expectetur iudicium circa ista, quod de tuo consilio pre omnibus aliis volumus et proponimus moderari.

Datum Perusii, X Kalendas Martii, anno II.

152.

Clemens IV. an S(imone Paltinieri,) Kardinalpriester von San Martino, Rektor der Mark Ancona und des Herzogtums Spoleto, apostolischer Legat: gebietet ihm nach Unterrichtung über die Ladung Manfreds (von Sizilien) und des Markgrafen Oberto Pelavicini seinen Rat zu erteilen, wie im Falle Manfreds zu verfahren sei.

1266 Februar 21, Perugia

¹⁴² 2. Cor. 6,2.

Eidem.

Vidisti pariter et audisti multos processus habitos predecessorum nostrorum tempore contra viros licet genere nobiles, tamen moribus pestilentes M(anfredum) quondam principem Tarentinum et Ubertum Pelavicinum marchionem eiusdem socium et sequacem. Nos sane licet immeriti ad apicem apostolatus assumpti dictis processibus evolutis, quamvis eorundem evidens contumacia multis solidata contemptibus non tam humanitatis gratiam quam vindicte rigorem exposceret, experiri tamen volentes, an fidei radix aliqua in dictis contumacibus remansisset, terminos eis dedimus competentes, in quibus se nostro conspectui per se vel per procuratores idoneos presentarent super hereseos crimine, de quo dudum suspecti fuerant, iustam sententiam audituri, nisi forsitan infra eosdem terminos suam possent et vellent innocentiam congrua purgatione monstrare, quod si velle et posse se dicerent, eisdem personaliter venientibus obtulimus securitatem plenariam ad nostram presentiam accedentibus, morantibus inibi et exinde recedentibus, et specialiter de carissimo in Christo filio nostro C(arolo) rege Sicilie illustri, dum tamen eam requirerent tempore oportuno. Verum in novissimo termino dicto Manfredo prefixo, scilicet in festo Purificationis beate Virginis proxime iam transacto, vel infra eundem terminum dictus M(anfredus) non venit, sed misit duos procuratores ad offerendam purgationem, quam alias per se fecerat, et suam absentiam excusandam et predecessoris nostri processus per quasdam calumpnias impugnandos. Et tandem nobis ac nostris fratribus exitit manifestum dictum M(anfredum) in novam contumaciam incidisse. Dicitur vero Ubertus in huius initio Quadragesime termino peremptorio sibi dato nec venit nec procuratorem misit nec excusatorem simplicem utpote contemptor notorius sedis huiusmodi. Cumque de ferenda contra eos sententia ageretur et omnes concorditer dicerent dictum Ubertum posse et debere pro meritis velut hereticum condempnari, cum ex iustis causis diu fuerit de heretica pravitate suspectus et forma generalis concilii servata fuerit circa ipsum, de Manfredo ceperunt aliqui dubitare, an scilicet ex eo, quod multo tempore ecclesie claves contempserat, orta sit illa suspicio, de qua concilium loquitur generale. Unde variis varia sententibus, aliis omnibus iam auditis tuum consilium expectamus discretioni tue per apostolica scripta mandantes, quatenus, quod tibi videbitur, nobis rescribere non postponas. Hiis autem questionibus respondebis, an scilicet excusari possit M(anfredi) absentia personalis propter hostem in ianuis constitutum, quem posset non hostem facere, si, quod male possidet, bene dimitteret et consulte, item, cum petierit ad se mitti cardinales vel alios, coram quibus purgare se debeat, an sit ei hec gratia facienda, item an ex hiis, que acta sunt contra ipsum te in curia existente, possit amodo condempnari, item an expediat, etiamsi liceret, item, si licet et expedit, qualis sententia sit ferenda.

Datum Perusti, IX Kalendas Martii, anno II.

153.

Clemens IV. an S(imone Paltinieri,) Kardinalpriester von San Martino, Rektor der Mark Ancona und des Herzogtums Spoleto, apostolischer Legat: gebietet ihm erneut, eigenmächtige Übergriffe der Machthaber in der Mark Ancona auf ehemalige Gegner der römischen Kirche zu unterbinden; gebietet ihm weiterhin, die Unterwerfung von Fossombrone ohne Rücksicht auf Fano anzunehmen.

1266 Februar 24, Perugia

Eidem.

Audimus cotidie, que non placent, vel, si vera sunt, quia mala vel, si mendacia sunt, quia falsa, que tamen in dubio tibi scribimus, ut advertas, quid te facere deceat et expediat et quid nobis debeas respondere. Dicitur quidem nobis, quod sic te in manus aliquorum de Marchia contulisti, ut ex eorum arbitrio pendeat tui tota censura iudicii, qui, quos volunt, occidunt et spoliant, vulnerant et affligunt, redemptiones ab eis recipiunt, nec prodest tui tutela presidii, cui illi non deferunt, in quos volunt, quantum et qualiter, dampnabili libertate crassantes. Sane nuper tibi scripsimus et nunc scribimus id expressius, quod fidelibus Marchianis nec in fidei sue pretium nec in sue devotionis premium sanguinem dari volumus vicinorum, qui, licet mali fuerint et rebelles, non sunt ab ipsis, sed a Romana ecclesia puniendi, nec sub nostri favoris nomine procedentes ex odio fieri volumus ultiones. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus hec vel similia a nullo penitus attemptari permittas, sed, quos semel receperis, sic ab omnibus aliis tuearis, acsi semper in fide debita perstitissent, prout dictaverit equitas, apostolici censura iudicii corrigendos. Demum volumus et mandamus, ut Forosimphronienses ad nos, sicut asserunt, redire paratos benigne recipias et tam iuramentis quam aliis cautionibus, quas idoneas esse credideris, astringas eosdem de mandatis nostris ac tuis plenarie adimplendis. Nec propter Fanenses vel alios hoc dimittas, non quia iura Fanensium, quibus sumus in gratia debitores, mutilari velimus, sed quia iusto tramite debent prosequi, quod petere iuste poterunt. Nolumus vel ad modicum salutem hominum, qui converti desiderant, impedire. Ad nos autem miserant, sed, ut tuum servaremus honorem, eos ad te duximus remittendos.

Datum Perusii, VI Kalendas Martii, anno II.

154.

König Karl (I.) von Sizilien an Clemens IV.: schildert seinen Sieg über Manfred (von Sizilien) in der Schlacht bei Benevent.

1266 Februar 26, Benevent

Sanctissimo in Christo patri ac domino suo domino C(lementi) divina providentia sacrosancte Romane et universalis ecclesie summo pontifici Carolus Dei gratia *et cetera* cum omni reverentia et honore devota pedum oscula beatorum.

Multum meis reputans successibus adici, si Romana mater ecclesia de felicibus filii processibus, in quibus sua causa provehitur, certa fiat, ecce significo vobis ad gaudium, quod, postquam Manfredus publicus hostis victus olim apud sanctum Germanum a Capua quoque, ubi se iactabat velle resistere, confusus abscessit, accepi, quod idem hostis cum suarum reliquiis virium, que de sancto Germano per fugam evaserant, profugus per Terram Laboris se transtulit Beneventum. Ego autem meas continuando dietas per Alifanos et Thelesinos campos contra hostem ipsum omisso itinere Capue duxi in celestis virtute presidii procedendum. Sicque factum est, quod die Veneris XXVI presentis mensis Februarii quodam desiderio perveniendi citius Beneventum meum meorumque animos stimulante ac viarum et passuum multorum difficultatibus et asperitatibus, quales vix transiveramus antea, superatis ad quendam montem perveni, unde subiectus et admodum patens campus ordinatas iam hostium acies ostendebat. Propter quod ego, licet equos commilitonum meorum pre malitia et longitudine itineris cognoscerem plurimum fatigatos et propterea ad sustinendum pondus prelii minus aptos, instructis tamen meis in illius nomine, cuius agebatur negotium, copiis ex adverso ad pugnam processi. Et, quamvis per magnam horam fuerit utrimque pugnatum, cedentibus tamen divine potentie, non meis viribus duabus

prioribus hostium aciebus omnes alie, cum non confiderent agredientium posse impetum sustinere, se fuge remedio commiserunt. Factaque est in ipso prelio hostium tanta strages, quod celant campum oculis superiacentia corpora occisorum. Nec tamen omnes fugientes fuge remedium salvos fecit, quin maior pars fugientium in gladio nostrorum ipsos persequentium eo copiosius ceciderit, quo dispersius fugiendo, nec unus tuebatur alterum, nec eis locus, ad quem confugerent, apparebat. Magnum ergo numerum captivorum ad carcerem nostrum huiusmodi bellicus eventus adduxit, inter quos Iordanus et Bartholomeus dictus Simplex, qui nomen sibi comitum hactenus usurparant, eorumque fratres nec non et Pierasinus de Florentia perfidissimus Gebelline factionis auctor in vinculis detinentur. De hiis autem, qui de primoribus partis adverse in prelio corruerunt, certam nondum habentes notitiam nichil vobis exprimimus propter festinam presentium missionem, licet Galvanus et Henriguetus dicti comites michi a pluribus asserantur in ipso prelio corruisse. De Manfredo vero, utrum ceciderit in conflictu vel captus fuerit aut evaserit, certum adhuc aliquid non habetur. Dextrarius tamen armatus, cui insedis dicitur et quem habemus, sui casus affert non modicum argumentum. Hec igitur, que de manu Domini me suscepisse cognosco, ideo beatitudini vestre denuntio, ut omnipotenti Deo, qui per ministerium meum ecclesie causam prosequitur, devotas pro tanto triumpho gratias referentes certam spem et fiduciam habeatis, quod eradicatis de regno Sicilie scandalis et seminariis scandalorum illud ad antiquam et consuetam devotionem Romane ecclesie plene reducam, ad laudem et gloriam divini nominis, exaltationem et pacem ipsius ecclesie et incolarum eiusdem regni statum prosperum et tranquillum.

Datum Beneventi, XXVI Februarii die, indictione VIII, regni nostri anno I.

155.

Clemens IV. an S(imone Paltinieri,) Kardinalpriester von San Martino, Rektor der Mark Ancona und des Herzogtums Spoleto, apostolischer Legat: fordert Rechenschaft über den Nutzen eines geplanten Parlaments in der Mark Ancona; stellt das Ende seiner Legation in Aussicht; untersagt ihm, vakante Kirchenämter zu verleihen und Prokuratorien einzufordern; er möge die in Fermo befindlichen Rebellen unter bestimmten Bedingungen aufnehmen; es sei noch unklar, ob er nach dem Sieg König (Karls I. von Sizilien) seinen Aufenthaltsort von Perugia nach Viterbo verlegen werde.

1266 März 6, Perugia

Dilecto filio S(imoni) tituli sancti Martini presbytero cardinali, Marchie Anconitane et ducatus Spoleti rectori, apostolice sedis legato.

Quod scripsisti, dilecte fili, de exactione penarum in octavam Pasche, qua te cum Marchianis habiturum generale colloquium polliceris, quo fructu vel fine scripseris, ignoramus, quia nec aperis, quid in eodem intendas facere parlamento. Sane, si prorsus est aut esse creditur infructuosa dilatio, tempus perdere non est bonum, quod si forsam eam utilem estimas, bonum credimus, quod nobis per litteras vel per nuntium utilitatem exponas, quamvis satis hoc dubium videatur radicatus amovisse felix victoria regis nostri, qui prostratis *equis et curribus Pharaonis*¹⁴³ captisque bellatorum capitibus vel peremptis non solum, que reperit in campo certaminis, sed etiam elata dudum per totam Ytaliam *confregit cornua peccatorum*¹⁴⁴. Tempus quidem imminet amodo, ut ad eum, qui te misit, triumpho iam habito revertaris, quod adhuc tibi precise non scribimus. Sed

¹⁴³ Exod. 14,28.

¹⁴⁴ Ps. (G) 74,11.

tamen volumus, quod a vacantium et vacaturorum beneficiorum collationibus et procurationibus exigendis ab ecclesiis, quas non visitas, exnunc abstineas, cum sint pauperrime et de multis oneribus conquerantur. Demum de nostris proditoribus, qui in civitate Firmana sibi presidium elegerunt, breviter tibi scribimus, quod, si iurare voluerint et dare castrorum suorum idoneas cautiones, eos recipias, quorum aliqui, prout dicitur, iam redissent, nisi tui motum animi presensissent, quod tamen non expedit in hoc tempore, cum omnes, quantumcumque fuerint hactenus cervicosi, ad mandata nostra venire oporteat vel voluntarios vel invitos. Ceterum, que superius super hiis scripsimus, a quibus te volumus abstinere, nulli communicasse nos noveris, sed secretius tibi pandenda decrevimus, ut tibi liceat velut ex compassione dimittere, quod teneris ex superioris voluntate vitare.

Demum a Perusio, quam cito poterimus, recessuri elegeramus nobis de fratrum consilio Viterbii mansionem, sed exaratis condicionibus et iuratis, publicata postmodum regis victoria tam sollempni suspendimus nostrum propositum, cum multis ex fratribus videatur eundem in Campaniam, quod, cum fuerit solidatum, discretioni tue curabimus intimare.

Datum Perusii, II Nonas Martii, anno II.

156.

Clemens IV. an Erzbischof (Maurinus) von Narbonne und seine Suffragane: berichtet vom Sieg König K(arls I.) von Sizilien über Manfred (von Sizilien) in der Schlacht bei Benevent.

1266 März 8, Perugia

Archiepiscopo Narbonensi et eius suffraganeis.

Missam de celo victoriam carissimo in Christo filio nostro C(arolo) illustri regi Sicilie et in ipso ecclesie sancte sue fraternitati vestre ad exultationem et gaudium duximus intimandam. Cum enim rex idem et gloriosus eius exercitus Villam sancti Germani, que inexpugnabilis credebatur, multis nobilibus et potentibus per suas turmas et acies ad ipsius defensionem dispositis, divina favente gratia subactis hostibus potenter intrassent et multis Sarracenis et aliis tam Theutonicis quam Lombardis ibidem occisis versus Capuam properassent, ubi sibi presidium elegisse Manfredum audierant quondam principem Tarentinum, idem M(anfredus) eorum adventum intelligens et viciniam egre sustinens relicta Capua se statim contulit Beneventum. Sane rex dictus eum prosequens e vestigio ad partes protinus Beneventanas se transtulit cum toto suo exercitu viarum asperitate gravatus. Et tandem VI feria ante dominicam, qua cantavit ecclesia „*Oculi mei semper ad Dominum*“¹⁴⁵, exivit ei obviam dictus hostis cum multitudine nobilium et magnatum, equitum ac peditum in multa superbia vexillis erectis et prudenter dispositis aciebus. Sicque facto utrimque congressu iuxta misse introitum ea die cantatum *signum in bonum fecit*¹⁴⁶ Dominus regi nostro dans ei nobilem et felicem de inimico triumphum, in quo Manfredus idem cum Galvano comite multique alii milites et pedites, quorum numerus magnus dicitur, vitam malam morte pessima terminarunt captis ibidem Iordano et Bartholomeo comitibus et fratribus ac nepotibus eorundem et multis aliis, quorum nomina ignoramus.

Persuademus igitur vobis non de strage tot hominum, non de sanguinis effusione gaudendum, sed de prostrata malorum superbia et exaltatione bonorum. Ex hoc enim spoliata restituuntur ecclesie, reducuntur exules innocentes, cadit perfidia, surgit fides, refloret Tuscia, tota demum

¹⁴⁵ Ps. 24,15.

¹⁴⁶ Ps. (G) 85,17.

Ytalia reviviscit, letatur Achaia, Terra Sancta respirat. Huius igitur auctori victoriae Deo vivo, qui tam misericorditer quam potenter, tam magnifice quam benigne suam in hoc negotio respexit ecclesiam, gratias agite et levatis in celum manibus ei devotissime supplicate, ut sue dona continuans largitatis ceptum tam honorifice suum et ecclesie sue negotium consummare dignetur et gentem perfidam de credentium finibus auferat et suis fidelibus barbaras subigat nationes. Ceterum preter commune gaudium, quod in istis successibus vobis offertur, ex honore ecclesie matris vestre in hoc nichilominus vobis credimus esse letandum, quod, quicquid in huiusmodi negotii contulistis subsidium, tam salubriter quam utiliter est expensum, ut nec de persoluta decima murmurare vos deceat nec difficiles reddere vos oporteat in solvenda.

Datum Perusii, VIII Idus Martii, anno II.

157.

Clemens IV. an König L(udwig IX.) von Frankreich: schlägt ihm eine Bitte aus.

1266 März 9, Perugia

Carissimo in Christo filio L(udovico) regi Francie illustri.

Hanc in nobis, fili carissime, habere te volumus confidentiam, quod, quecumque a nobis petieris, ea semper maturitate librabimus, ut, que pia et utilia et tue saluti accommoda et aliis non dampnosa viderimus, tibi sine difficultate qualibet concedamus, quod si perpenso iudicio interdum aliqua non admittimus, certum habeas, quod ad id nostre deliberationis calculus terminatur, ut plus nobis et tibi consulere id negando credamus, quam si daremus libere postulata. Etsi forsant tibi contrarium videretur, non erubescas patris sequi iudicium in hac parte, qui sincere tuam diligit animam et honorem tuum et regni sueque salutis non immemor sic cupit gratus esse principibus et tibi principaliter inter ipsos, ut principum Dominum non offendat, cuius solius iudicio stat aut cadit. Verum, si quid tibi negatum videris, quod tuum mordeat animum aut in aliquam admirationem inducat, scribe nobis, et plenam tibi reddemus de omnibus rationem.

Datum Perusii, VII Idus Martii, anno II.

158.

Clemens IV. an Barral des Baux, Podestà von Mailand: unterrichtet ihn, daß er sich bei König K(arl I.) von Sizilien wegen seines Wunsches, aus dem Amt entlassen zu werden, für ihn eingesetzt habe, und rät ihm, sich selbst an diesen zu wenden.

1266 März 10, Perugia

Nobili viro Barralo domino Baucii potestati Mediolanensi spiritum consilii sanioris.

Carissimo in Christo filio nostro C(arolo) regi Sicilie illustri pro te nos dudum scripsisse noveris, ut vel te ad suam evocaret presentiam vel militie illi preficeret, quam Mediolanum mittere tenebatur, vel aliter, sicut vellet, de te disponeret a civitatis Mediolanensis regimine liberato, qui postmodum per suas nobis rescripsit litteras, quod procurarem dilectum filium nobilem virum Philippum de Monte Forti post te in civitate eadem fieri potestatem et sic tu libere ad eundem posses accedere in suo cum aliis obsequio permansurus. Nos vero diligentius attendentes minus plene nobis responsum, quodque nobis non erat possibile nec ad nos aliquatenus pertinebat talia

procurare, noluimus hactenus tibi scribere sperantes per alios aliquid melius obtinere, quod quia non possumus, discretioni tue consulimus, quatenus hiis pensatis, quid tibi fuerit faciendum, prudenter attendens tu super hiis nuntium proprium ei mittas. Nunc enim post obtentum de hostibus tam insignem triumphum eorum nullo penitus residente contentus esse valeat paucioribus. Dabit tibi fortasse licentiam eo viso ad propria redeundi. Sic tibi scribimus, quia scire te credimus datam sibi de celo victoriam, in qua omnes eius inimici cum capite sunt prostrati, in qua etiam tuus filius in prima acie cum Philippo predicto et marescallo de Mirapisce capitaneus honorem tuum et tui generis dicitur promovisse.

Datum Perusii, VI Idus Martii, anno II.

159.

Clemens IV. an (Alfons von Brienne,) Graf von Eu: berichtet vom Sieg König K(arl I.) von Sizilien über Manfred (von Sizilien) in der Schlacht bei Benevent; lobt ihn wegen seines Beistandes für König (Alfons X.) von Kastilien.

1266 März 12, Perugia

Dilecto filio nobili viro comiti Augi.

A carissimo in Christo filio nostro C(arolo) illustri rege Sicilie nuper habitum de hoste triumphum nobilitati tue duximus intimandum. Cum enim rex idem capta Villa sancti Germani in manu potenti, victis ibidem multis comitibus cum Sarracenis et Theutonicis, qui villam eandem muniverant, versus Beneventum subactis locis mediis processisset, tandem VI feria ante dominicam, qua cantavimus „*Oculi mei semper ad Dominum*¹⁴⁷“, cum hoste predicto M(anfredo), scilicet quondam principe Tarentino, campum intrans certaminis felicem obtinuit Domino favente victoriam ipso M(anfredo) cum multis nobilibus ibidem perempto multisque captis aliis et occisis. Nos igitur de divine gratie beneficiis, non de sanguinis effusione letantes tanti successus gloriam, cuius te facit participem sanguis regius, cuius generosa communio te decorat, eo libentius aperimus, quo te devotius credimus in exaltatione Romane ecclesie et eiusdem regis Sicilie honore victorioso gaudere. Gaudemus et nos, quod in Yspanie partibus te accepimus carissimo in Christo filio nostro regi Castelle illustri fideliter astitisse et nominis gloriam christiani procurasse viriliter et promovisse feliciter cum eodem.

Datum Perusii, III Idus Martii, anno II.

160.

Clemens IV. an Graf (Alfons) von Poitou und Toulouse: schlägt seine Bitten hinsichtlich des französischen Kreuzzugszehnten und der erbetenen Pfründverleihungen aus.

1266 März 12, Perugia

¹⁴⁷ Ps. 24,15.

Dilecto filio nobili viro comiti Pictavensi et Tholosano.

Per dilectos filios I(ohannem) de Nantolio militem et Guichardum clericum tuum petitiones tuas audivimus et exaudivimus, quas potuimus bono modo, si quas autem repulimus vel suspendimus, scire debes viam nos illam in omnibus elegisse, quam magis Deo gratam credidimus nostroque statui et presentis conditioni temporis oportunam. Sane circa tuum subsidium pro negotio Terre Sancte nec videre potuimus nec videmus, quod de decima ecclesie Gallicane provisio fieri tibi posset, ad quam prelati et clerus non invenirentur ultronei nec esset expediens eos cogi. Quibus ita deferimus, quos etiam pro inculcatis eisdem oneribus adeo supportamus, ut ad eorum beneficia conferenda iuxta predecessorum nostrorum consuetudinem minime procedamus. Quo fit, ut moleste ferre non debeas, si pro tuis beneficiandis clericis ad presens dare noluimus litteras postulas, quod quidem presenti tempori minime congruebat. Etsi quid in hoc tuum mordicat animum, amore nostri id ferre te volumus patienter.

Datum Perusii, IIII Idus Martii, anno II.

161.

Clemens IV. an den Großmeister (Hugo Revel) und die Brüder des Johanniterordens in Jerusalem: unterrichtet sie, daß er dem Ferrandus, Prior (des Johanniterhauses) San Egidio, geboten habe, an sein Priorat zurückzukehren.

1266 März 12, Perugia

Dilectis filiis magistro et fratribus Hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani.

Regionum magna distantia, cui non parum adicit immensa pelagi vastitas interiecta, vobis et aliis transmarinis multa de statu personarum occultat, que in hiis partibus conversantur, quo fit, ut plerumque scribere vos oporteat tamquam veritatis ignaros, que minime scriberetis, si expeditum haberet et liberum ad vos veritas ipsa volatum. Sane, cum nuper ad nostrum pervenisset auditum vos dilectum filium fratrem Ferrandum priorem sancti Egidii ad vestram presentiam evocasse, nos diligentius attendentes moram eius in prioratu predicto fuisse et esse vobis et vestre domui fructuosam et expedire credentes eum in suis partibus remanere procuraturum sicut et hactenus ordinis vestri negotia, in administratione sua precipue, quam patenter et laudabiliter ampliavit, considerantes insuper persone sue statum, qui laboris remissionem huiusmodi merebatur, eum duximus retinendum precipientes eidem in nostra presentia constituto, quod ad suum regrediens prioratum et in devotione solita perseverans ad directionem eorum, que ad passagium imminens pertinebant, nec non et alia sibi commissa negotia explicanda opem daret et operam efficacem. Vos igitur, ut benedictionis filii paternum iudicium amplectentes excusatum habeatis eundem, cuius industrie fructum non modicum, sicut probastis pluries, sic et adhuc dante Domino sentietis. Nosque, qui personam eius sincere caritatis brachiis amplectimur, ordinem vestrum, quem semper dileximus, persone ipsius intuitu, si cara vobis fuerit, ut decuerit, magis ac magis favente Domino diligemus.

Datum *ut supra in proxima.*

Clemens IV. an Ferrandus, Prior des Johanniterhauses San Egidio: gebietet ihm, an sein Priorat zurückzukehren.

1266 März 14, Perugia

Dilecto filio Ferrando priori domus sancti Egidii Hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani.

Cum dilecti filii magister et fratres Hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani te ad suam, prout nuper accepimus, presentiam evocassent precepto tibi dato in instantis mensis Augusti passagio transfretandi, nos diligentius attendentes moram tuam in commisso tibi prioratu fuisse et esse ordini tuo admodum fructuosam et nobis in aliquibus necessariam, considerantes etiam persone tue statum, qui laboris remissionem huiusmodi merebatur, te in nostra constitutum presentia in cismarinis partibus duximus retinendum. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandamus, quatenus ad predictum rediens prioratum et in devotione, cura et sollicitudine solita perseverans ad ipsius negotia utiliter promovenda adeo studiose intendas, quod per tuum studium ordo tuus in illis partibus auctore Domino suscipiat incrementum et Dei ac apostolice sedis gratiam proinde uberius merearis. Nec transgressionis vel inobedientie culpam aut notam timeas, a qua te penitus liberum esse volumus in hac parte de plenitudine apostolice potestatis, cui cedit, sicut et subiacet, inferiorum auctoritas prelatorum.

Datum Perusii, II Idus Martii, anno II.

Clemens IV. an Patriarch (Wilhelm) von Jerusalem: trägt ihm auf, die Tochter des Königs (Hethum I.) von (Klein-)Armenien und den Sohn des Balduin von Ibilino zu dispensieren, damit sie trotz ihrer Verwandtschaft im dritten und vierten Grad die Ehe schließen könnten.

1266 März 17, Perugia

Patriarche Ierosolimitano.

Providentia sedis apostolice magnitudinem excellentium personarum advertens et attente considerans, quod earum inclita devotio favoris et gratie plenitudinem promeretur, dignum et congruum reputat, immo potius debitum arbitrat, eis gratiose concedere, quod nonnumquam aliis interdicit, maxime cum speratur, quod gratia, que illis impenditur, ipsas ecclesie Romane devotiores efficiat et quod earum obsequiosa devotio Terre Sancte utilitatis afferat incrementum. Cum itaque, sicut ex parte carissimi in Christo filii nostri regis Armenie illustris et dilecti filii nobilis viri Balduini de Ybilino fuit propositum coram nobis, dilecta in Christo filia puella nata regis eiusdem et dilectus filius natus prefati B(alduini) consanguinitatis et affinitatis quarto et tertio gradibus invicem se contingant, nos eorundem regis et nobilis precibus inclinati fraternitati tue presentium auctoritate committimus, ut, si, quod de gradibus eisdem proponitur, veritate nitatur et alias eiusdem terre statui videris expedire, cum prefatis puella et nato, quod impedimento huiusmodi non obstante possint ad invicem matrimonialiter copulari, auctoritate nostra dispenses.

Datum Perusii, XVI Kalendas Aprilis, anno II.

Clemens IV. an S(imone Paltinieri,) Kardinalpriester von San Martino, Rektor der Mark Ancona und des Herzogtums Spoleto, apostolischer Legat: erteilt ihm Anweisungen hinsichtlich Fermo, eines in der Mark Ancona abzuhaltenden Parlaments, Camerino, Cagli und seiner Legation insgesamt.

1266 März 18, Perugia

Dilecto filio S(imoni) tituli sancti Martini presbytero cardinali, Marchie Anthonitane et ducatus Spoleti rectori, apostolice sedis legato.

Licet nuntii Firmanorum, si vera dicerent, iusta petere viderentur, quia tamen nec eis nec aliis in honoris tui preiudicium credimus, increpatos de factis preteritis et in presentibus non auditos ad tuam presentiam duximus remittendos. Sane dicebant se quodam castro a te contra iustitiam spoliatos, et quod eis mandata dederas sub penis gravibus de quibusdam nobilibus eorum civibus expellendis et quod potestati eorum, qui de tuo beneplacito Firmane civitatis assumpserat regimen, potestariam trium castrorum abstuleras, licet municipes eorundem, quibus, ut asserunt, ex consuetudine competit, eum sibi in rectorem concorditer elegissent. Tu igitur in hiis omnibus diligenter attendens, quid liceat, deceat et expediat, sic iura conserves ecclesie, ut non preiudices iuribus alienis. Dictos autem nobiles, licet dicantur pessimi proditores, ad mandata potes admittere cum idoneis cautionibus et, postquam idonee tibi caverint, si tranquillitati provincie videris expedire, eosdem punire poteris vel multare et a tota provincia vel a certa parte eiusdem relegare perpetuo vel ad tempus, prout tibi videbitur oportunum.

Quia vero nuper scripsisti, quod tibi videbatur expediens condemnationes differri, donec indictum cum Marchianis teneris parlamentum, nullatenus te omittere volumus, quin colligationes inter civitates vel castra vel barones factas casses et irritas et sub multa gravissima inhibeas faciendas. Et volumus, quod vel ante parlamentum vel statim postea unum de tuis iudicibus nobis mittas, qui nobis aperiat, contra quos et in quantum intendas procedere, ut nostro firmatus consilio procedas in omnibus confidentius et ut nos promptius eis silentium possimus imponere, qui processus tuos infringere postea molirentur.

Verum potestatem et ambassiatore Camerinenses monuimus, ut episcopum suum recipiant et honore debito prosequantur, discretioni tue per apostolica scripta mandantes, quatenus tu super hoc ipsum commune moneas, et, si nostris ac tuis monitis obtemperare noluerint, ad id omnes et singulos ecclesiastica censura compellas.

Ceterum egre ferimus plus, quam credas, quod Raynaldus in suis confidens clamoribus in nostram evidentem iniuriam per ignem et gladium cives Callenses molestare presumit et, quamvis super hoc alias tibi scripserimus, tu tamen eum compescere noluisti. Ideoque volumus et mandamus, ut sic eum cohibeas, sic eius confringas superbiam, ut et dampna data restituat et similia non attemptet. Quod si te facere posse negas, cur maiora attemptes aggredi, non videmus, et, si potes, sed renuis, nostra tam patens offensio non satis tibi videbitur esse cordi.

Demum expresse statuas et edicas, ut nulla civitas, nulla privata persona sine nostra vel tua licentia alteri guerram moveat, nullus sibi ius dicat, sed, si quis ab alio iniustum quid patitur, ad iudicium recurrat ordinem ad insolentium compescendam audaciam constitutum.

Datum Perusii, XV Kalendas Aprilis, anno II.

Clemens IV. an den Ritter Alfant von Tarascon: berichtet über den Fortgang des Feldzugs König (Karls I.) von Sizilien in das Königreich; rät ihm aus verschiedenen Gründen ab, an die päpstliche Kurie zu kommen.

1266 März 25, Perugia

Dilecto filio Alfanto de Tarascone militi.

Perempto Manfredo et adherentibus ei partim occisis partim receptis ad gratiam carissimus in Christo filius noster illustris rex Sicilie iam habet Apuliam et in Siciliam misit vicarium nobilem virum Philippum de Monte Forti, et Sarraceni Lucerie civitatem reddiderunt eidem cum omnibus armis suis personas et omnes res suas ipsius beneplacito exponentes.

Ad id autem, quod postulas, ut demus tibi licentiam nostram presentiam adeundi, tibi taliter respondemus: Consideravimus, quod tibi circa nos nullus est status, quia nullum habemus officium, quod tibi possemus committere vel vellemus, nec est nostra cura militum, sed tantummodo clericorum, et, si nos videre desideras, venire poteris protinus rediturus et, si qui aliud tibi scripserint, minime credas eis. Satis quidem deliberavimus in hac parte et, si aliter posset fieri, illud antea scripsissemus. Sed nec Rostagnum ducere te oportet, si veneris, quia eum studere Bononie nolumus, cum ibidem nec ad nostrum honorem nec suum valeret aliquatenus sustentari, unde melius iudicamus, quod apud Montem Pessulanum inceptum studium prosequatur. Illud autem providere te volumus, quod, si forsitan ad nos veneris et regem Sicilie non adieris, offendetur et, si accesseris ad eundem, vix erit, quin aliquo negotio te involvat. Et multa alia super hiis poteris cogitare, que scripto non duximus exprimenda. Per quam vero viam venire valeas, ignoramus, cum transitus Lombardie paucis et incertis Provincialibus non sit tutus eo, quod multi de Lombardia et Tuscia tam in Lombardia quam in Apulie prelio perierunt. De hiis, que ab episcopo Avinionensi recipies, placet nobis elemosinam fieri, quam petisti, filie Dulcie de sancto Georgio, si tamen ipsa filia votum non fecit, quod eam impediatur ad matrimonium contrahendum. Demum consideratis omnibus supradictis credimus esse consultius, quod accedere ad nos differas, donec apertius status terrarum pacificus videatur et videas aliquos de comprovincialibus tuis a regis exercitu redeuntes, per quos possis in omnibus plenius informari. Tue tamen te relinquimus voluntati, qui, si scires, que et quanta a pontificum Romanorum nepotibus exiguntur, cito nostris consiliis acquiesceres, maxime cum nos noveris pompis huiusmodi non gaudere, quas si sequi volueris, non valebis et, si sequi nolueris, contempneris.

Datum Perusti, VIII Kalendas Aprilis, anno II.

Clemens IV. an O(ttono Fieschi,) Kardinaldiakon von Sant'Adriano, apostolischer Legat: berichtet vom Sieg König (Karls I.) von Sizilien über Manfred (von Sizilien) in der Schlacht bei Benevent und über dessen weiteres Vorgehen; berichtet von seinen eigenen Erfolgen in Mittel- und Norditalien; unterrichtet ihn, daß er R(aoul Grosparmi,) Kardinalbischof von Albano, als Legaten in das Königreich Sizilien entsandt habe.

1266 März 25, Perugia

Dilecto filio O(ttobono) sancti Adriani diacono cardinali, apostolice sedis legato.

*Excitatus a sompno Dominus*¹⁴⁸ *mari et ventis imperans*¹⁴⁹ multis concussam fluctibus Petri naviculam pietatis oculo benigno respexit et *confractis cornibus impiorum*¹⁵⁰ multos per erroris abductos invium, quibus dedisse videtur vexatio intellectum, ad ecclesie gremium iam reduxit.

Et, ut tibi omnia ad plenum liqueant, scire te volumus, quod, cum carissimus in Christo filius noster C(arolus) rex Sicilie illustris castrum inexpugnabile, scilicet Roccam Arcis, in regni Sicilie obtinisset ingressu, die Martis post Estomichi Villam sancti Germani invadens, quam Casertanus et Iordanus comites cum multis Theutonicis et Lombardis et Sarracenis munierant, manuali congressu violenter intravit multis ex hostibus interemptis ibidem, capto Manfredo dicto Lancea et dictis comitibus effugatis. Exinde vero profectus et continuato progressu terram acquirens adiit Beneventum, quo se contulerat Manfredus quondam principalis ecclesie persecutor, et tandem die Veneris ante *Oculi mei*, cum utrimque procederent acies ordinate, commisso prelio dictus Manfredus cecidit et fere tria milia cum eodem captis Iordano et Bartholomeo comitibus et nepotibus eorundem. Cumque comes camerarius cum ipsius Manfredi camera aufugisset, postmodum *ad cor rediens*¹⁵¹ cum ipsa camera regi se reddidit sic reconciliatus eidem. Uxor vero Manfredi cum liberis a Tranensibus infra castrum tenebatur inclusa nec evadere poterat manus regis. Casertanus et Acerrarum comites pacem cum rege fecerunt. Sarraceni Lucerne civitatem, personas et bona regis eiusdem beneplacito subiecerunt. Soli Galvanus et Conradus de Antiochia in Aprucio remanserunt querentes pacem, quam adhuc obtinere minime potuerunt. Vir nobilis Philippus de Monte Forti vicarius missus est in Siciliam cum venerabili fratre nostro archiepiscopo Cusentino, quem ad ecclesiam transtulimus Messanensem.

Marchia nostra ad nos rediit, quia non invenit adversarium, cui valeat adherere. Florentini et Aretini ad mandata venerunt. Pisani etiam ad idem se offerunt certis modis, quos admittere nolumus, nisi redeant absolute. A Pelavicino recepimus nuntios, qui se nostris mandatis exponit, quem tamen recipere nondum volumus, quia de cautionibus disputamus. In fundo sacci, quod egre ferimus, remanent Ianuenses periculosius ceteris, prout credimus, si diligentius advertatur, quanto possunt subiacere discrimini inter Provinciam et Apuliam constituti. Legatum autem in regnum misimus venerabilem fratrem nostrum R(adulfum) episcopum Albanensem.

Hoc tibi, fili dilecte, scripsimus, ut matri tue congaudeas, que post multiplices tempestates tranquillitate recepta letatur in Domino videns illabi desuper flumen pacis, videns cultum reparari divinum, ecclesias surgere, reduci exules innocentes, *annum placabilem Domino* inchoari, quem si divina largitas consummarit, dici profecto poterit iubilus.

Datum Perusii, VIII Kalendas Aprilis, anno II.

167.

Clemens IV. an König (Alfons X.) von Kastilien und León, erwählter römischer König: beharrt auf seinem Entscheidungsrecht hinsichtlich der Besetzung des Erzbistums Toledo; schlägt seine Bitte um Dispens für die Ehe zwischen seiner Tochter und einem Sohn Kaiser Balduins (II.) von Konstantinopel aus.

1266 März 31, Perugia

¹⁴⁸ Ps. (G) 77,65.

¹⁴⁹ Matth. 8,26.

¹⁵⁰ Ps. (G) 74,11.

¹⁵¹ Isai. 46,8.

Carissimo in Christo filio regi Castelle et Legionis illustri, in regem Romanorum electo.

Mirari possumus, immo cogimur, quod tu, fili carissime, tante urbanitatis existere diceris, ut iniusta petentibus pudeat te negare, quod postulant, et, dum plures diversa desiderant et adversa, ut omnibus satisfacias pro hiis preces porrigens et pro illis, quas, sicut impossibile est concurrere, sic impossibile exaudiri. Hoc quidem probavimus hiis diebus, dum per tue serenitatis litteras preces recepimus pro venerabili fratre nostro episcopo Gebennensi preficiendo ecclesie Tholetane et preces iterum pro dilecto filio S(ancio) nato carissimi in Christo filii nostri regis Aragonum illustris, quas pro utroque pluries inculcasti. Et, cum latores omnium litterarum eius apud nos fidei velles esse, ut super hiis, que viva voce proponerent, crederemus eisdem, qui pro uno instabant, dicebant te scripsisse pro altero non ex animo, sed multa precum importunitate devictum, et, qui stabant pro altero, simile per contrarium viceversa dicebant. Sane, licet in ecclesiis ordinandis non ad affectiones hominum, non ad preces nostrum animum alligemus, dum tamen nostre mentis intuitum ad tue vertimus excellentiam magnitudinis, pro qua, si qua iam fecimus, plura libentius sine nostre discrimine conscientie faceremus, volumus, consulimus et rogamus, quatenus varietatem huiusmodi, que non splendorem, sed *maculam in gloria tua*¹⁵² ponit, a te prorsus abicias et numquam alicui, sed presertim vicario Iesu Christi, pro illorum promotione supplices, quos non desideras promoveri. Verum circa dicte provisionem ecclesie, quod acceptum Deo et ipsi ecclesie tibi ac regno tuo utile crediderimus, multorum meritis evolutis, qui et intra et extra nostram curiam nostre considerationi se offerunt, de fratrum nostrorum consilio faciemus. Ceterum, quia patrum sanctorum canones in ea sunt soliditate fundati, ut ab eis nullatenus recedi deceat aut oporteat, nisi magna id suadeat utilitas aut necessitas iusta compellat, quorum neutrum videre potuimus in filie tue et carissimi in Christo filii nostri B(alduini) imperatoris Constantinopolitani nati copula, pro qua nostre dispensationis gratia petebatur, egre non feras, quod eam negavimus, quam nec Deo placere credimus nec tibi etiam expedire. Larga siquidem in hac materia retroactis facta temporibus diversarum effusio gratiarum multos reddidit sub spe venie faciles ad incestum tantum crimen eo levius licet temere iudicantes, quo facilius ante coniunctionem vel postea dispensationis gratia poterat obtineri.

Datum Perusii, II Kalendas Aprilis, anno II.

168.

Clemens IV. an S(imon de Brion,) Kardinalpriester von Santa Cecilia, apostolischer Legat: gebietet ihm, unter Einsatz aller zur Verfügung stehenden Mittel, auch der Exkommunikation König K(arl I.) von Sizilien, für die Zufriedenstellung der römischen Gläubiger zu sorgen, an die die Apostolische Kammer sowie stadtrömisches Kirchengut verpfändet worden seien; dabei seien die Ansprüche der römischen Kreditgeber gegenüber denen aus Siena vorrangig zu behandeln.

1266 März 22, Perugia

Dilecto filio S(imoni) tituli sancte Cecilie presbytero cardinali, apostolice sedis legato.

Excitati ab intimis et anguste sollicitudinis instantia propulsati, ut negotium carissimi in Christo filii nostri C(aroli) illustris regis Sicilie, quod utique nostrum est et sancte matris ecclesie, prosperum divina favente clementia sortiretur effectum, dum inter ipsa naufragari videretur initia deficientibus ob inopiam bellatoribus et ipso rege, unde sibi vel ipsis succurreret, non habente,

¹⁵² Ecclus. 47,22.

maluimus nos exponere discrimini quam electum confundi pugilem et perire negotium, in quo tanto fuerat labore sudatum, et ideo conspicientes olim eundem regem in illius necessitatis articulo constitutum, ut exhaustus expensis in suis processibus non proficere, sed potius deficere videretur, decrevimus ipsum apostolici manu sustentare presidii, ut nec eum debilitari mente vel viribus neque tantum negotium, quod prosequendum assumpserat, contingeret in aliquo deperire. In subsidium itaque dicti regis a nonnullis mercatoribus et civibus Romanis diversis et gravibus debitis certis locis et terminis persolvendis, prout urgens imminebat necessitas nostra, per quosdam nuntios ad hoc deputatos a nobis auctoritate <nostra> contractis cameram nostram et bona eiusdem ecclesie nec non possessiones et iura quamplurium ecclesiarum, monasteriorum et aliarum domorum religiosarum Urbis, sine quibus idem contractus expediri non poterant, tolerantibus potius illa quam eundem regem vel statum eius periculo subici sub ea forma fecimus creditoribus obligari, quod, nisi predicta debita fuerint eisdem locis et terminis secundum legem contractuum persoluta, possessionem bonorum ecclesiarum et monasteriorum eorundem prefatis mercatoribus statim elapsis terminis liceat occupare certis aliis diris et duris condicionibus in detentionem dictorum bonorum et eorum onus adiectis, prout omnia patent publicis documentis. Rex autem prefatus huiusmodi mutuum pro necessitatibus suis et ad suam utilitatem contrahi recognoscens et volens tam eiusdem camere quam ecclesiarum, monasteriorum et domorum eorundem indemnitati cavere sponte ac expresse promisit cameram, ecclesias, domos et monasteria prefata infra dictos liberare terminos ab eorundem oneribus debitorum et ad maiorem cautelam premissa omnia et singula prestito super hoc corporaliter per quendam familiarem ipsius in animam suam et in eius presentia de speciali quoque mandato suo iuramento firmavit nichilominus expresse consentiens, ut nos in eum excommunicationis et in omnes terras suas ferremus interdicti sententias ita, quod, si non servaret huiusmodi iuramentum et auctoritate apostolica monitus de predictis non satisfaceret infra mensem, ipso facto dictam excommunicationis sententiam incurreret et predictae terre sue interdicto ecclesiastico subiacerent. Cum autem rebus prospere succedentibus, hoste principali perempto eiusque lateribus omnibus excepto Galvano et comite camerario, qui se fuge dedere presidio, captis in prelio vel occisis vel pace facta sub regia potestate curvatis iam sine qualibet resistantia sit regni negotium expeditum capiendis in proximo Sarracenis in Lucerie civitate conclusis, superest, ut et nobis et predictis provideamus ecclesiis, que si semel in fauces caderent creditorum, esset nimis difficilis ereptio earundem.

Ideoque discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus provide pensans et attenta meditatione considerans supradictum periculum, quod plus, quam valeamus exprimere, formidamus, presertim cum preter dampna ecclesiarum enormia nedum aliis, quin et nobis horribile videretur regem novum excommunicationis et terras eius interdicti sententiis alligari, ut de perurio, quod est gravissimum, taceamus, in hoc studeas, hoc attendas, hoc postpositis universis negotiis prosequaris, in hoc tua sollicitudo versetur tuique vigilant affectus et ferveant, ut non transeat dies nec, quantum in te fuerit, hora pretereat, quin prescriptis locis et terminis de iam dictis debitis creditoribus integre satisfiat, et, si forsan, quod non credimus, de decima dicto regi concessa plena satisfactio provenire non poterit, contrahas omnino mutuum a prelatibus tam cathedralium quam aliarum ecclesiarum regularium et secularium tue legationis vel etiam a fenestatoribus, si non posses aliter pecuniam invenire, quia minus dampnose tolerari poterit in hac parte pecuniale dispendium quam periculum, quod ex predictis condicionibus immineret. Ut autem de intentione nostra et totius negotii qualitate certior habearis, ecce formam contractuum et receptas mutuo quantitates per latorem tibi presentium destinamus, ut omnibus prudenter et diligenter inspectis ad executionem eorum, que tue sinceritati mandantur, melius et efficacius habita plena super singulis instructione procedas. Nec te retrahat a premissis, quod scripsimus tibi nuper de nostris Senensibus mercatoribus in L milibus librarum Turonensium Romanis et omnibus aliis preferendis. Hoc enim intelleximus, nisi Romani ipsi vel alii sicut tempore sic et

iure fuerint potiores, cum intentionis nostre non fuerit, quicquam statuere in iuris preiudicium alieni. Verba demum multiplicare non expedit, sed scire te volumus sic in isto discrimine nos et fratres nostros ac tuos esse perplexos, ut ecclesiarum multarum ruine nullum prorsus inveniamus remedium, nisi per tuam industriam prudenter et utiliter occurratur eidem.

Datum Perusii, XI Kalendas Aprilis, anno II.

169.

Clemens IV. an R(aoul Grosparmi,) Kardinalbischof von Albano, apostolischer Legat: gebietet ihm, den päpstlichen Vikar in Benevent zu unterstützen und König K(arl I.) von Sizilien zu mahnen, die Schäden, die seine Truppen in der Stadt verursacht hätten, wiedergutzumachen.

1266 April 6, Perugia

Venerabili fratri R(adulfo) episcopo Albanensi, apostolice sedis legato.

Antequam a nobis recedens proficisceris in regnum, mentem nostram non leviter perturbaverat vix credibilis, turpis tamen et exaggerata crudelitas, quam male christianus exercitus in hac parte in civitatem effuderat Beneventi. Nec possumus omnino silere, quod carissimus in Christo filius noster C(arolus) illustris rex Sicilie, qui iura Romane ecclesie se nuper promiserat servaturum et proprio iuramento firmaverat, si provide voluisset advertere, quid et quantum matri debebat et domine, civitatem predictam, in qua nichil penitus iuris habet, quam in conventionum nostrarum principio prenotavimus singulariter nostram esse, non tam immaniter invasisset. Nec potest illa ratione causari in furore vel belli impetu factum esse, quod diebus VIII perseverans ibidem et per singula momenta continuans multorum boum et ovium dominus oviculam nostram unicam peregrinis suis apposuit et exposuit proprio gregi parcens, ut aperte iam eum teneat illa Nathan prophete parabola, quam David regi proponens ab eodem extorsit sententiam, qua se ipsum rex nesciens condempnavit. O quam detestandus cruce signatorum excessus, qui data sibi de celo victoria manus nepharias innocentium sanguine cruentarunt spoliis ecclesiarum et hominum nostrorum impleti, que in suarum perniciem detinent animarum. Quis enim nesciat Beneventanos ab olim Frederico quondam et eius successoribus usque ad sanguinem restitisse et omni tandem destitutos auxilio portasse in angaria usurpatum dominium eorundem? Quod si Manfredus venerat Beneventum et inde forsitan progressus in campum ex eis aliquos secum duxerat, quod tamen non poterit, prout fertur, de decem inveniri personis, constat omnibus, quod muro carentes et vallis nec resistere poterant nec audebant. Etsi rei fuissent, etiam non a non domino, sed a nobis erant previa ratione plectendi. Si bona fuerant publicanda, non regi, non aliis quam Romane ecclesie poterant publicari. Unde, frater, quod scribimus, et apud te diligenter observa. *Non est abbreviata manus Domini*¹⁵³ nec humanis iudiciis alligata. Erigit enim et deprimit. Et, sicut *exaltat humiles*¹⁵⁵, sic et *frangit cornua superborum*¹⁵⁶. Etsi videbitur aliquibus, quod a nulla sit parte timendum, habet utique multas muscas, habet etiam apes aliquas¹⁵⁷, quibus si forsitan sibilare voluerit, facile deducet in publicum, quod humane considerationis oculis est occultum. Ecce, dum hostis publicus gentem nostram assidue devorabat, Dei prestolabamur auxilium in silentio.

¹⁵³ Luc. 23,31.

¹⁵⁴ Isai. 59,1.

¹⁵⁵ Luc. 1,52.

¹⁵⁶ Ps. (G) 74,11.

¹⁵⁷ Vgl. Isai. 7,18.

Et, quesitum pro nobis pugilem quot honoribus prevenerimus, quibus auxiliis fulciendum duxerimus, quale regnum et quantum ei dederimus, ipse nosti. Et hec est retributio, quam recepimus in principio, mala quidem, peior et pessima, premens innocios, terrens devotos et nostros letificans inimicos.

Quocirca, quia *principiis est obstandum*¹⁵⁸ et ne *vires neglecta sumant incendia*¹⁵⁹, providendum dilectum filium, quem in civitate predicta et districtu ipsius seu territorio et pertinentiis nostrum vicarium constituimus, tue benivolentiae, quanto propensius possumus, commendantes fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus consilio et auxilio eum prosequens oportunis ipsum et iura nostra defendas viriliter et potenter et regem moneas specialiter et omnes de exercitu in communi, ut hiis exceptis, que in victu suo vel equorum suorum, cum essent Beneventi, consumpserunt ibidem, cetera, que extant, tibi restituant nostro nomine et pretium non extantium infra terminum, quem eis duxeris statuendum, eis denuntians, quod, nisi ad nostrum vel tuum arbitrium satisfecerint de ablatis, eos ad id per censuram ecclesiasticam, sicut expedire viderimus, compellemus.

Datum Perusii, VIII Idus Aprilis, anno II.

170.

Clemens IV. an Graf (Alfonso) von Poitou und Toulouse: mahnt ihn, die Belästigungen von Bischof und Domkapitel von Vaison durch seine Baillis zu unterbinden.

1266 April 6, Perugia

Dilecto filio nobili viro A(lfonso) comiti Pictavensi et Tholosano.

Quanto sinceriori personam tuam suadentibus tue devotionis laudabilibus meritis prosequimur in Domino caritate, tanto studiosius ab hiis te cupimus abstinere, que saluti tue vel fame possint quomodolibet derogare. Sane, sicut ex parte venerabilis fratris nostri episcopi et dilectorum filiorum capituli Vasionensis nostris est auribus intimatum, ipsi a nonnullis ballivis tuis illarum partium super suis et ecclesie Vasionensis iuribus multas frequenter molestias et iniurias patiuntur. Cum igitur idem episcopus et capitulum multo graventur onere paupertatis nec tuam magnitudinem deceat huiusmodi gravamina eis per tuos illata sub dissimulatione transire, qui eos debes potius ab oppressionibus aliorum tueri, nobilitatem tuam rogandam duximus attentius et hortandam, quatenus ob reverentiam divini nominis et apostolice sedis ac nostram nec non et tui honoris intuitu predictos episcopum et capitulum vel eorum ecclesiam in suis iuribus et specialiter super hiis, de quibus inter te et ipsos ordinavimus olim in minori officio constituti, non permittas a dictis ballivis vel ab aliis subditis tuis aliquatenus molestari preces nostras super hiis taliter impleturus, quod prefati episcopus et capitulum tue protectionis presidium in hac parte sibi sentiant affuisse et nos devotionis tue promptitudinem dignis exinde in Domino laudibus merito commendare possimus.

Datum Perusii, VIII Idus Aprilis, anno II.

¹⁵⁸ Ov. rem. 91.

¹⁵⁹ Hor. epist. 1,18,85.

Clemens IV. an König K(arl I.) von Sizilien: mahnt ihn unter schweren Vorwürfen, die durch seine Truppen in Benevent verursachten Schäden wiedergutzumachen.

1266 April 11, Perugia

Carissimo in Christo filio C(arolo) regi Sicilie illustri.

Ex grandi ac gloriosa victoria tam apud sanctum Germanum quam in Campo Dominico prope civitatem Beneventanam celitus tibi data inexplicabilis munus iocunditatis iam pridem suscepimus, quod quidem quodammodo minuit repentina turbatio ex ipsius subsecuta continuo excidio civitatis ita, quod ex ipsa risus conceptus victoria mixturam protinus meroris accepit et luctus gaudii extrema graviter occupavit. Cum enim suffragante procul dubio beato Bartholomeo, qui eiusdem civitatis patronus existit, de suis et tuis hostibus incredibiliter triumphasses, erat profecto eius ecclesia regiis decoranda muneribus, erat et ipsa civitas honoranda, ut, ubi regni Sicilie bravium finaliter percepisti, tante vigerent victorie munimenta et fieret triumphi fama perennis in posteros tue largitatis munere prorogata, ad quod tuorum laudabilia provocare te poterant progenitorum exempla. Sed te in considerationem regiam id minime deducente in contrarium, quod dolentes referimus, preter spem hominum est res versa ex eo, quod tuorum etiam sacratis personis mucro non deferens, sed tam ipsarum quam aliorum civium civitatis eiusdem sine delectu sexus, ordinis et etatis inebriatus cruore, tamquam sui non coercitus principis aliqua iussione in vaginam non rediit, heu, nimis exertus ad effusionem sanguinis innocentis. Et, quod ad cumulum tante magis transgressionis accedit, non cupiditatis nec luxus tanta crudelitas execrabili caruit comitiva, cum dilectum filium electum Beneventanum, monasteria, ecclesias et civitatis eiusdem personas rebus propriis iidem tui prorsus nudare presumpserint et virgines, prodolor, rapere, prout fertur, flagitiosa, tamquam divinum non timerent iudicium, libidine deflorandas. Quodque indevotionis et omnis irreverentie quodammodo fomentum habuisse videtur, ligneas sanctorum imagines ipsorum consideratione a Christi fidelibus venerandas nec non trabes et alia ecclesiarum lignamina aliorum lignorum tamquam positi iuxta silvas non patientes defectum, heu, ignis incendio nequiter deputarunt vasis et indumentis sacris divino cultui dedicatis manu subtractis avara ita, quod iam propter ipsorum defectum non possunt in ipsis missarum sollempnia ecclesiis celebrari.

Ecce, qua Deo, qui tamquam *bellator fortis*¹⁶⁰ ipsos victores tunc fecerat, gratitudine responderunt. Ecce, quibus ipsum honorarunt obsequiis quibusve respexerunt impendiis, qui ipsos prostratis hostibus non absque grandi miraculo incolumes preservavit. Non enim tantum civibus hactenus obfuit iniqui Cesaris immanitas supradictis, quia, etsi ad demolitionem eiusdem civitatis processerit ipsius edictum, ut aratrum passa nec nomen nec titulum resumeret civitatis, personis tamen ex humanitatis imperio censuit ignoscendum eis octo dierum indulto spatio, ut, quocumque mallent, interim res suas sine mutilationis dispendio seu impedimento deferrent. Porro non talibus erat prosequenda stipendiis eiusdem devotio civitatis, que ad eiusdem regni perventurum fastigium te iamdudum ex intimis affectavit innatam pectori tuo illam sperans clementiam, qua in Dei conspectu et hominum tui progenitores consueverant redolere. Sed quid? Etsi premissorum consideratio te non movit, si ad misericordiam pietas te non flexit, cur saltem ad ecclesiam Romanam non habuisti respectum deferens matri in filia, que ex omnibus eiusdem regni civitatibus ipsam civitatem sibi decrevit tamquam precipuam filiam reservandam, sicut in conventionibus inter te et ecclesiam ipsam initis, ad quarum observationem, quanto potuimus,

¹⁶⁰ Ier. 20,11.

artius te astrinximus, plenius et expressius continetur? Sed utinam, sicut iam multi ex talibus indiciis seu auspiciis informati presagiunt, istud eidem non officiat civitati, asserentes illud occasionem et causam ei pro firmo fuisse tantorum discriminis et iacture, quod sub tuo non erat dominio remansura, quod non levi firmare videtur indicio, quod in civitates et loca alia tui iuris non sic ira tue gentis exarsit. Et ut demum propheticam resumamus parabolam: Tu multarum dominus ovium, quibus parcere voluisti, singularem nostram oviculam peregrinis tuis apponere et exponere minime formidasti. Dicent forte, qui blandiri tibi voluerint: „Et quid egimus? Beneventum hostes receperat, inde prodierunt in campum. Quo pacto igitur eundem cum hostibus calicem bibere non debebant?“ Sed elidit obiectionem huiusmodi rei veritas omnibus manifesta. Urbs quidem patens et absque murorum ambitu Beneventum hostilem militiam et malitiam nec intransantem repellere nec ingressam poterat superare. Quid ergo demeruit grex pusillus, si non repulit irruentem exercitum Manfredinum, cuius pars minima totam posset evertere civitatem? Sciunt omnes regnicole, sciunt et incole adiacentium regionum, quantum et qualiter hec nostra civitas domui restitit viri magnifici pariter et malefici Frederici, quam nec potentia tanti principis frangere nec blandimenta seducere nec dampna personarum et rerum a devotione apostolice sedis avertere potuerunt, donec cives omni consilio et auxilio destituti, attenuati fame gravissima, iugum eius subire compulsi diram eius tyrannidem diu quidem, sed in angaria portaverunt. Non hoc, fili carissime, in exercitus impetu, non in belli furore, quod, etsi culpam non prorsus excluderet, tamen attenuaret excessus, dignoscitur esse factum, sed quasi consulto et ex proposito ad id processisse convincitur male libratum iudicium invasorum, cum moram ibidem te per dies octo continuam contrahente interim non decreverit. Utinam aucta non fuerit nec aliquam interruptionem receperit molestia tanti mali, quin immo, quanto apud ipsos tua fuit mora protractior, tanto perniciosior extitit ipsi terre, que quidem non afficienda dispendiis, sed recreanda favoribus extunc merito fuerat, cum ipsius ecclesie censeatur camera specialis, regie presentia maiestatis, ut fracto iugo et compede servitutis contrito ei in tuo iocundo adventu libertatis prosperitas, quam dudum optaverat, arrisisset. Sed cur, pro Deo, dum tanti mali moles te presente fidelibus nostris ingruerit, regius preco delituit? Cur prohibitionis edictum non processit in publicum flagitiorum huiusmodi voce valida repressivum? Insultant igitur nostri et tui emuli sumpta materia ex premissis et dicunt: „Ecce, qualis ex tam aspero potest initio sperari prosecutio in futurum. Ecce, qualem ecclesia delegit filium, qui matrem in hiis, que amplius diligit, taliter amaricare conatur.“ Sicque congratulantur emuli, turbantur amici, et patris viscera tot concussa relatibus graviter quatuntur. Et tamen propter hoc erga te non omittimus, que sunt patris, immo benivolo mentis affectu sollicite cogitamus, ut te, quem preelegimus filium singularem et dextrum ecclesie brachium in ipsius necessitatibus advocandum, possimus in Dei timore pariter et amore, qui mira in presenti, ut te sublimem efficeret, operari dignatus est, conservare ad tui nominis gloriam et illorum gaudium, qui tuam magnificentiam salubriter amplectuntur.

Ut igitur voce paterna per corporis aures suscepta et in tuum animum salubriter inde deducta nostris super hoc desideriis satisfiat, serenitatem regiam rogamus et hortamur attente per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus tue saluti consulens et honori eidem civitati de dampnis datis, ut preter tuam conscientiam videantur esse illata, satisfieri facias condecenter nec tantum in prosperitate tua confidas, quin coram Deo, a quo bona cuncta procedunt, semper humiliter temet ipsum et illius, quem vicarium habet in terris, monita, que tibi pro tua porriguntur salute, adimpleas reverenter sciturus, quod, sicut per ecclesie auxilium honoris titulum accepisti et nomine inter magnos suscepto ad honorem et gloriam es perductus, sic in prosecutione et conservatione ipsorum, que ab eadem ecclesia obtines, ipsius ecclesie fulcimento auxiliium iugiter indigebis. Et propterea ipsius non parvipendas correctiones et monita, presertim cum in hiis omnibus non tam suum quam tuum intendat prosequi interesse ac, sive blandiendo insistat sive disciplinam correctionis inferat, semper erga te actura sit, que sunt matris.

Datum Perusii, III Idus Aprilis, anno II.

172.

Clemens IV. an R(aoul Grosparmi,) Kardinalbischof von Albano, apostolischer Legat: gebietet ihm, Konrad von Antiochia zu zitieren und ihn über die Umstände seiner Befreiung aus Montecchio zu befragen.

1266 April 10, Perugia

Venerabili fratri R(adulfo) episcopo Albanensi, apostolice sedis legato.

Interpellati sepius, ut absolutionem Corradi de Antiochia committere personis aliquibus dignaremur, neminem, fratrem etiam supplicansem audire voluimus, sed id tue prudentie duximus reservandum fraternitati tue per apostolica scripta mandantes, quatenus, cum idem Corradus noster fuerit et ecclesie instantissimus persecutor in Marchia, tu ab eodem sufficientem et idoneam recipias cautionem de mandatis nostris plenarie observandis et eidem certum prefigas terminum, quo se nostro vel personaliter vel per procuratorem idoneum conspectui representet mandata nostra auditurus humiliter et fideliter impleturus. Sane, quia, ut nosti, captus olim in Marchia apud Monticulum extitit, prout creditur, non sine corruptione aliqua liberatus, eum iuramento astrictum cum solo abbate sancti Iohannis et auditore tuo et notario secretissime requirere non omittas super modo liberationis ipsius, quorum consilio et conscientia, ope etiam extitit liberatus et apud quos inde exiens declinavit et quid et quantum dedit aut promisit et quibus pro sua liberatione complenda vel etiam procuranda, et specialiter, an Ballonus civis Perusinus tunc rector Monticuli conscius fuerit liberationis eiusdem et an aliquid inde habuerit vel ei promissum fuerit, et super hoc non solum cum eodem, sed etiam cum aliis, qui cum eo erant et eum comitati sunt, veritatem inquiras. Et, quod inveneris, sub sigillo tuo per fidelem nuntium nobis remittere non postponas.

Datum Perusii, IIII Idus Aprilis, anno II.

173.

Clemens IV. an S(imone Paltinieri,) Kardinalpriester von San Martino, Rektor der Mark Ancona und des Herzogtums Spoleto, apostolischer Legat: bezieht Stellung zu Informationen, die ihm der Kardinal über die Verhältnisse in der Mark Ancona zugeschickt hat.

1266 April 12, Perugia

Dilecto filio S(imoni) tituli sancti Martini presbytero cardinali, Marchie Anthonitane et ducatus Spoleti rectori, apostolice sedis legato.

Tam memoriale quam scripta cetera per tuos nuntios nobis oblata diligenter inspeximus, sed, an meritis pene respondeant, tu magis scire potes, qui condiciones hominum et locorum in scola experientie didicisti. Unum scias, quod equanimius toleramus etiam in perversis misericordia emolliri rigorem quam in austeritatis excessu culpas rebellium ex condigno puniri. Placet sane, quod provide, prout credimus, ordinasti tam circa statuta, que legimus, quam circa condemnationes universitatum et singularium personarum, in quarum exactione non simul multos aggredi te oportet, sed executionem dispensare prudenter, ne dispersus terror in plurimos colligationibus

viam aperiat et conglobatis rebellibus audaciam prebeat resistendi. Tu igitur, vir consilii, vir providus, vir fidelis, procede prospere Deum semper habens pre oculis, et, dum congruum tempus habes, nullo modo pretereas otiosum, sicque colligere, que iuste poterunt haberi, procures, ut et nostra releveretur paupertas ex debito et tue simul consulere valeamus. Verum de privilegiis et libertatibus reddendis rebellibus, quibus pro meritis sunt privati, tenere te volumus, quod tenendi sunt in suspenso, donec id solverint, in quo fuerint condempnati, et, si humiliter obedierint, tunc demum de tuo consilio, quod equum videbitur, faciemus. De muris certorum locorum et turribus diruendis adhuc credimus differendum, non tamen omittendum in tempore oportuno.

Datum Perusii, II Idus Aprilis, anno II.

174.

Clemens IV. an König Karl I. von Sizilien: berichtet über seine Erfolge in Florenz und in anderen Städten Tusziens; empfiehlt ihm Ottaviano Ubaldini, Kardinaldiakon von Santa Maria in Via Lata.

1266 April 13, Perugia

Carissimo in Christo filio C(arolo) regi Sicilie illustri.

Dudum floruerat, sed effloruit postmodum civitas Florentina, nunc tamen per Dei gratiam refluere desiderans, ut videtur, ab erroris invio rediens viam salutis aggreditur super hiis, pro quibus excommunicationis et interdicti sententias contumacia sustinuerat indurata, nec non et super pace inter intrinsecos et extrinsecos reformanda se nostris subiciens beneplacitis et mandatis datis cautionibus sufficientibus et ex facilitate conveniendi idoneis et opulencia facultatum. Ecce, fili carissime, ianua panditur ad salutem totius Tuscie. Iam namque viam tenet eandem Pistorium, eandem Aretium, sed et Pise, si tamen idonee cavere voluerint, quod probabimus, sed an facturi sint, ignoramus. Hoc igitur tibi scribimus, ut *congaudentibus* nobis *congaudeas*¹⁶¹ de recuperatione gratissima tot pereuntium animarum, in quo tibi precipue credimus esse gaudendum, quia provisum ab ecclesia, per tuum ministerium adimplendum populi christiani subsidium nuper initiatum in regno Sicilie ad partes iam alias longe lateque diffunditur fine favente Domino tam optato quam debito consummandum, si victorie titulus non hominibus, sed invincibili, prout decet, honorum omnium ascribatur auctori. Sane in hiis omnibus, que facta sunt et continue fiunt in Tuscia, providum promotorem et fidelem prosecutorem habuimus dilectum filium nostrum Octavianum sancte Marie in Via Lata diaconum cardinalem, quem utique cum domo sua, consanguineis et amicis tue benivolentie commendamus, paratum ad omnia, que apostolice sedis et tuum respiciant commodum et honorem, quod profecto cognoscere poteris, cum id volueris experiri. Verum non solum suos, sed et omnes cives et singulos civitatis eiusdem habeas commendatos nec eosdem in tuis finibus patiaris offendi. Nos enim dilectis filiis et fidelibus nostris Guelfis Florentie et locorum aliorum confinium pacem querimus fructuosam, de cuius consummatione felici per concordiam partium spem habemus, qua si, quod absit, nos frustrari contingeret, potestatem habemus ex nobis et voluntatem accommodam potestati eam salubriter et utiliter faciendi.

Datum Perusii, Idibus Aprilis, anno II.

¹⁶¹ Rom. 12,15.

Clemens IV. an S(imone Paltinieri,) Kardinalpriester von San Martino, Rektor der Mark Ancona und des Herzogtums Spoleto, apostolischer Legat: erörtert die Haltung der päpstlichen Untertanen in der Mark Ancona und erteilt ihm Verhaltensmaßregeln zur Ausführung seiner Legation.

O. D.

Dilecto filio S(imoni) tituli sancti Martini presbytero cardinali, Marchie Anthonitane et ducatus Spoleti rectori, apostolice sedis legato.

Quia linguis locuntur variis Marchiani, quibus nostras et fratrum nostrorum aures eorum aliqui iam multis acclamationibus impleverunt, ex quibus perpendimus evidenter, quod, qui via pari non ambulant, parem sibi finem prestituunt et diversas habentes facies caudas habent invicem colligatas¹⁶², aliqua tibi scribenda duximus, que prudentie tue nostram intentionem aperient et te nichilominus dirigent in agendis.

Quosdam siquidem ex eis invenimus, qui, cum bene se olim habuerint et modernis tandem temporibus plura commiserint execranda, compensationis auxilio saragunt excusare commissa. Sunt et nonnulli, quibus nulla temporis ratio suffragatur, sicque petunt misericordiam invalescere, ut prostrata cadat iustitia. Sunt et alii, qui suas insolentias et excessus excusare nituntur ex defectu subsidii et impotentia resistendi. Sunt et quidam, qui dei pondus portaverunt et estus et in fidei sue premium, quicquid habent de bonis ecclesie, sibi iure perpetuo reputant acquisitum. Nos sane circa primos attendimus, quod infidelitatis et fidei nulla recipitur compensatio, alioquin illa sententia Domini reprobata videretur, per quam voce prophetica diffinivit virum *iustum se a sua iustitia avertentem*¹⁶³ sic eterne supplicio mortis obnoxium, ut in oblivionem transeant omnes eius iustitie precedentes. Infitiari tamen nolumus, quin cum tali agendum sit mitius, si de pene iudicio temporalis agatur, nisi facti posterioris enormitas bene gestis in tantum preponderet, ut iudex iustius ad rigorem quam ad clementiam moveatur. De secundis vero tenemus, quod sancte memorie magnus doctor ecclesie et in numero sanctorum non modicus prelatorum providus eruditor edocuit scribens inter cetera, sicut nosti, quod *disciplina vel misericordia destituitur, si una sine altera teneatur*¹⁶⁴, nec oportet repetere singula, que subnectit sacre scripture fidelissimis testimoniis roborata. Illos autem licet forsitan a tanto, non tamen a toto credimus excusabiles vel in totum, quos in tertio nostre distinctionis loco posuimus, cum sit patens illa canonice veritatis auctoritas, qua cavetur melius esse mala omnia tolerare quam malo cuilibet consentire, quamvis multi excusationes in peccatis querentes ponere consueverint in causa non posse, cum sit verius in occasione non velle. Verum de nostris fidelibus hoc concludimus, quod, licet fecerint, quod debuerunt, quia tamen non ab eis eam perfectionem exigimus, ut iuxta Domini nostri Iesu Christi doctrinam *servos se debeant inutiles*¹⁶⁵ reputare, dignos fatemur gratia, dignos premio. Sed de spoliis matris sue ac domine eos omnino non credimus impugnandos, cum quibus satis agitur gratiose, si eorum, que multis temporibus perperam usurpata cum suarum animarum discrimine possederunt, dimissis fructibus iam perceptis et occupationis iniuste nichilominus culpa remissa ad ecclesie nostrumque dominium nuda possessio revertatur. Hiis igitur instructus regulis nost-

¹⁶² Vgl. Iudic. 15,4.

¹⁶³ Ezech. 18,24.

¹⁶⁴ Gregorius Magnus, Registrum epistularum 1,24, ed. CCSL 140, S. 30; Moralia in Iob 20,5,14, ed. CCSL 143 A, S. 1012.

¹⁶⁵ Luc. 17,10.

reque non inscius voluntatis procede viriliter et potenter iustum te omnibus exhibens, misericordiam non omittens, iudicem equum omnibus et, cum expedire id videris, benemeritis gratiosum.

Ad hanc tamen gratiam inclinari te nolumus, ut apostolice sedis castra vel loca alia quibuscumque personis quorumcumque meritorum obtentu concedas vel etiam ab eis usurpata dimittas. Si qui tamen referunt controversiam et de iure suo confidunt, tu sicut fidelis et prudens ex officio sine figura iudicii et de plano cum omni mansuetudine ius examina possidentium et decerne, quod iustum fuerit, habens pre oculis solum Deum. Demum, si qui non iuribus innituntur, sed viribus, et tu vires ecclesie viceversa non differas experiri privans prius omnibus privilegiis contumaces, et utroque gladio ius nostrum proseguere, quod tanto tempore neglectum extitit vel oblitum. Nec te terreant clamores appellantium, sed nec munerum delatores. Quotquot enim ad nos accesserint proclamantes iniuste, sicut vacui venient, et vacui revertentur et, si suas voluerint iactare pecunias, eis utique eas dabunt, quorum preces, quorum presidia sibi comperient non prodesse.

176.

Clemens IV. an S(imon de Brion,) Kardinalpriester von Santa Cecilia, apostolischer Legat: gebietet ihm, nach dem Sieg König (Karls I.) von Sizilien nicht selbst weiterhin das Kreuz zu predigen, sondern seine Hilfe für den Kreuzzug ins Heilige Land zur Verfügung zu stellen.

1266 April 14, Perugia

Dilecto filio S(imoni) tituli sancte Cecilie presbytero cardinali, apostolice sedis legato.

Qui *verbum* olim *abbreviatum*¹⁶⁶ fecerat super terram, abbreviato iam opere Sicilie regni negotium, quod multis impossibile, cunctis fere difficile videbatur, feliciter, salubriter et utiliter expedivit dato regno in manus carissimi in Christo filii nostri regis illustris cum perempti iam hostis uxore et liberis et thesauro. Cum sit igitur amodo ad Terre Sancte subsidium laborandum, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus a crucis predicatione desistens predicantes crucem in eiusdem terre presidium et obsequium favore debito prosequaris eisdem totiens consilium et auxilium prebiturus, quotiens fueris requisitus, quibus nichilominus eos prevenias, cum id cognoveris oportunum.

Datum Perusii, XVIII Kalendas Maii, anno II.

177.

Clemens IV. an Graf (Alfons) von Poitou und Toulouse: bittet ihn, sich zusammen mit König (Ludwig IX.) von Frankreich und Erzbischof (Aegidius) von Tyros um die Unterstützung des Heiligen Landes zu bemühen.

1266 April 14, Perugia

¹⁶⁶ Röm. 9,28.

Dilecto filio nobili viro comiti Pictavensi et Tholosano.

Novit Altissimus, *cuius oculis nuda sunt omnia et aperta*¹⁶⁷, quod satis anxiamur in nobis, quia viam invenire non possumus ad subsidium competens pro Terre Sancte presidio tue nobilitati, quam sincere diligimus, ministrandum. Circumspeximus etenim regiones *nec invenimus*, ubi *pedem* figere valeamus¹⁶⁸. Nam Angliam regi suo multis attritam molestiis, multis exhaustam sumptibus dudum decrevimus subvenire. Francia vero, ut nosti, pro regno Sicilie triennali gravata decima nec gratuita preces reciperet nec preceptum, si fieret, equanimiter toleraret. Yspania suis regibus distributa nec sibi nec eis sufficit. Alamannia variis lacerata scissuris languet et deficit et, cum magni sit supercilii, nec tibi nec alii extere nationis aliquatenus subveniret. Inspeximus iterum congregatam pecuniam de centesima multipliciter esse distractam et quibusdam certam partem pecunie iam solutam, aliis in tempus promissam, aliis per sedem apostolicam reservatam. Unde quid habeat in residuo, ignoramus. Tu tamen cum carissimo in Christo filio nostro illustri rege Francie fratre tuo et venerabili fratre nostro archiepiscopo Tirense diligenter inquiras, an inde tibi posset aliquod amminiculum ministrari. Quod cum scierimus, libentissime faciemus, quod Deo gratum et utile tibi videbimus, si proponis in brevi succurrere dicte terre, quam timeamus vix posse subsistere, nisi sibi celeriter succurratur. Non igitur nobis imputes, si tuis petitionibus non annuimus, quas sine gravi scandalo nequaquam exaudire possemus, quod utique probatione non indiget, cum omnibus se exhibeat rei veritas manifesta.

Datum *ut supra in proxima*.

178.

Clemens IV. an Erzbischof (Aegidius) von Tyrus: erlaubt ihm, seinen Lebensabend an seiner Kirche zu verbringen; fordert ihn auf, eine geeignete Person zu bestimmen, die seine Aufgaben hinsichtlich des Heiligen Landes übernehmen könne.

1266 April 14, Perugia

Archiepiscopo Tirense.

Dum labores attendimus, quos subisti, dum evolvimus onera, quibus humeros subiecisti, ut Terre Sancte necessitatibus subvenires, prout a felicis recordationis Urbano papa predecessore nostro et a nobis postmodum receperas in mandatis, et tuis congaudemus profectibus et fragilitati compatimur, quam licet ex primaria complexionem contractam laborum succedentium aggravasset instantia, auxit tamen, ut tue pretendunt littere, quartana superveniens, que, prout scribis, vires tuas exhaustans te minus idoneum efficit ad ea, que ceperas, prosequenda. Sane, quia postulas tamquam emeritus a nobis tibi liberaliter indulgeri, ut onere tanto deposito ad Tirensem possis ecclesiam remeare diem ibi, si Deo placuerit, clausurus extremum, nos tuis, ut decet, desideriiis annuentes fraternitati tue, quod petis, duximus indulgendum tali tibi prius substituta persona, que ad exequendum tibi commissum officium tam tibi quam carissimo in Christo filio nostro regi Francie illustri ad id idonea videatur. Quam cum elegeris, protinus nobis scribas et tibi datas indulgentias, que contingunt negotium, nobis mittas, nosque protinus negotio providebimus de eadem. Tu vero interim, sicut poteris, saltem per alios Dei negotium exequaris.

Datum Perusii, XVIII Kalendas Maii, anno II.

¹⁶⁷ Hebr. 4,13.

¹⁶⁸ Gen. 8,9.

Clemens IV. an den Ritter Ermenganus de Melgorio: antwortet ihm auf seine Frage, ob er in den Dominikaner- oder den Franziskanerorden eintreten solle, daß er selbst keine Präferenz hege.

1266 April 19, Perugia

Dilecto filio Ermengano de Melgorio militi.

Queris a nobis consilium, quod apud te rectius poteris invenire, si enim tibi Dominus inspiravit relicto seculo vite frugem appetere melioris. Dei spiritum, sicut nec possumus, sic nec volumus prohibere, presertim cum filium habeas bene disciplinatum, ut credimus, qui tue sciet domui providere. Quod si proposito non mutato sciscitaris ulterius, quem tibi ex Fratrum Predicatorum et Minorum ordinibus preeligendum credamus, id precipue conscientie tue relinquimus. Magis enim tu scire potes utriusque ordinis observantias, que non sunt pares in omnibus et in diversis articulis excedentes sunt et exesse. Alteri quidem istorum ordinum lectus est durior, nuditas gravior et, ut nonnulli iudicant, paupertas profundior et alteri cibus parcior, longiora ieiunia et, ut quamplures autumant, severior disciplina. Neutrum ergo neutri preferimus. Sed in una et illa altissima paupertate fundatos ad unum tendere credimus, salutem scilicet animarum. Et ideo, sive hunc sive illum elegeris, *artam viam aggredieris et per portam intrabis angustam*¹⁶⁹ *ad terram mellifluam et pre ceteris spatiosam*¹⁷⁰. Unde hoc apud te pondera, hoc diligenter adverte, quis magis animo tuo placeat quemque te speres melius portaturum. Et sic uni conversatione adhereas, ut amore ab altero non recedas. Frater enim Predicator est reprobus, qui Minores non diligit, et execrabilis Frater Minor, qui vel odit Predicatorum ordinem vel contempnit.

Datum Perusii, XIII Kalendas Maii, anno II.

Clemens IV. an Petrus Raymbaldus de Carumbo: empfiehlt ihm, den Rittergürtel vom Herren von Narbonne oder von König (Jakob I.) von Aragón in Empfang zu nehmen.

1266 April 19, Perugia

Dilecto filio Petro Raymbaldo de Carumbo.

Iam secundo super tua militia, a quo scilicet cingulum militare recipias, nostrum consilium requisisti. Et, licet ab huiusmodi questionibus nostrum dudum animum averterimus, utpote qui posteriorum obliti in anteriora protendimur et maiora, ne tamen reputes te contemptum et iam penitus oblivioni traditum, tibi breviter respondemus, quod inter vicinos nobiles tibi crederemus utilius a domino Narbone recipere. Quod si *in magnis ambulat*¹⁷¹ et ad regum aspiras palatia, quod magne prudentie non ascribimus, esset tibi consultius, ut putamus, ad illustrem regem Aragonum declinare. Ad nullum tamen nostras expectes litteras sive preces. Questum enim, quem pro nobis non facimus, pro aliis, quantumcumque nobis coniuncti fuerint, minime faciemus.

Datum Perusii, XIII Kalendas Maii, anno II.

¹⁶⁹ Matth. 7,13–14.

¹⁷⁰ Exod. 3,8.

¹⁷¹ Ps. 131,1.

Clemens IV. an R(aoul Grosparmi,) Kardinalbischof von Albano, apostolischer Legat: unterrichtet ihn von seiner Übersiedlung nach Viterbo; gebietet ihm, am Hof König K(arls I.) von Sizilien von Robertus de Baro in Erfahrung zu bringen, wer von den päpstlichen Untertanen Geld von Manfred (von Sizilien) empfangen habe; gebietet ihm, dafür zu sorgen, daß Rom nicht von den Truppen K(arls) belästigt werde; der an einem Nierenleiden erkrankte (Giangaetano Orsini,) Kardinaldiakon von San Nicola in Carcere Tulliano, sei auf dem Weg der Besserung.

1266 April 24, Orvieto

Episcopo Albanensi, apostolice sedis legato.

Statum nostrum et fratrum prosperum per Dei gratiam esse noveris, et iam egressi Perusium venimus Urbem Veterem cito favente Domino Viterbium ingressuri et, si cum creditoribus nostris Romanis convenire poterimus, ad Urbem vita comite hieme proxima transferemur.

Sane, quia nobis utile multum esset subditorum nostrorum non tam vultus quam voluntates agnoscere saltem exterioribus coniecturis et carissimus in Christo filius noster C(arolus) illustris rex Sicilie, prout fertur, in quaternis suis inveniatur, qui fuerunt in Patrimonio et in Tuscia et in aliis Ytalie partibus auri Manfredini retroactis temporibus receptores, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus cum dilecto filio Roberto de Baro super hoc familiariter conferas et, si quid invenire potueris, presertim de Patrimonio nostri aut Marchie nostre hominibus, quid et quantum et per cuius manus receperint, rescribere non postponas. Verum, quia sepe experti sumus eorum, qui pro eodem rege in Urbe morantur, improbitatem in nostros, ex quo presumimus, quod Beneventanos facile molestant, volumus et mandamus, quatenus eorum quieti provideas et a rege, suis ballivis et iustitiariis omnibus inhiberi procures, ne quicquam sibi auctoritatis aut iurisdictionis aut precepti cuiuslibet in eis usurpent, et tu nichilominus contrarium attemptantes excommunicationis protinus mucrone percillas, nam, *qui eos tetigerit, pupillam oculi nostri tanget*¹⁷². Nec equanimiter tolerabimus, si hoc nostrum modicum patrimonium contra tantarum conventionum federa molestetur.

Dilectus filius noster I(ohannes) sancti Nicholai in Carcere Tulliano diaconus cardinalis adhuc in renibus suis patitur, sed melius habens solito subiacere discrimini non censetur.

Datum apud Urbem Veterem, VIII Kalendas Maii, anno II.

Clemens IV. an R(aoul Grosparmi,) Kardinalbischof von Albano, apostolischer Legat: gebietet ihm nachzuforschen, ob Bischof (Gerardus) von Fermo Beziehungen zu Manfred (von Sizilien) unterhalten habe.

1266 April 25, Orvieto

Eidem.

Nosti, frater, gravem infamiam dudum contra Firmanum exortam episcopum, qui tamen super universis et singulis, super quibus infamatus existit, *ponens mendacium*, ut videtur, *spem*

¹⁷² Zach. 2,8.

*suam*¹⁷³ negat omnia sigillatim. Unde fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus cum comitibus et aliis familiaribus M(anfredi) quondam principis Tarentini diligenter inquiras, an idem episcopus in curia fuerit personaliter dicti nobilis et an nuntios vel litteras ei miserit, et, que invenire potueris, scribas nobis. Oneri enim est nobis, et multum turbabimur, si veritas de tali homine tanto tempore publicata ex solo probationum defectu succumbat, quem si possemus credere innocentem, dimitteremus cum gaudio absolutum.

Datum apud Urbem Veterem, VII Kalendas Maii, anno II.

183.

Clemens IV. an S(imone Paltinieri,) Kardinalpriester von San Martino, Rektor der Mark Ancona und des Herzogtums Spoleto, apostolischer Legat: überläßt es seinem Ermessen, wie mit Ancona zu verfahren sei.

1266 April 28, Montefiascone

Dilecto filio S(imoni) tituli sancti Martini presbytero cardinali, Marchie Anchonitane et ducatus Spoleti rectori, apostolice sedis legato.

Licet interdum materiam opus superet, in operibus tamen iustitie sic videtur materie qualitas attendenda, ut intra reorum merita ex equitatis interdum moderatione subsistat potius, quam ultra conatibus liberis evagetur, nisi forsan multis crassantibus sit opus exemplo et rigor in aliquibus inflexibilis ausum in aliis reprimat delinquendi. Harum autem varietatem causarum ille solus examinat plenius et discernit, qui sensibilibus palpat negotium et corporaliter intuetur, quem experientia factorum erudit, cui nulla doctrina similis, quibuscumque vive vocis vel mortue adminiculis adiuvetur. Tu ergo, dilecte fili, sicut alias tibi scripsimus, qui sensisti Anchonitarum aculeos, qui probasti eorum insidias, longe potes procedere confidentius, quam nos tibi consulere, quid vel qualiter agere debeas cum eisdem. Et idcirco tue prudentie te committimus, de qua plene confidimus, quod personarum et rerum circumstantiis evolutis et servabis iustitiam misericordia non contempta et flectetur misericordia nec calcata iustitia nec sepulta.

Datum apud Montem Flasconis, IIII Kalendas Maii, anno II.

184.

Clemens IV. an O(ttaviano Ubaldini,) Kardinaldiakon von Santa Maria in Via Lata: gebietet ihm, nicht zuzulassen, daß Graf Guido Novello die Söhne des Petrus Tholomei und die zum Reich gehörigen Kastelle in der Diözese Lucca aus der Hand gibt.

1266 April 30, Viterbo

Dilecto filio O(ctaviano) sancte Marie in Via Lata diacono cardinali.

Licet comitem Guidonem Novelli ad mandata nondum duxerimus admittendum, qui gravior ceteris nos offendit et illius hominis pestilentis, quem subduxit Deus de medio, principalius vices gessit, quia tamen ei finaliter sinum paterne non clausimus pietatis, credimus expedire, quod ex parte ipsius nil fiat, quo ad gratiam difficilius admittatur. Quocirca discretioni tue per apostolica

¹⁷³ Isai. 28,15.

scripta mandamus, quatenus, prout honestius poteris, satagas et procures, ut filios Petri Tholomei, castra etiam, que tenet in Lucana diocesi, ad imperium pertinentia in aliam manum non transferat, ut, quod suis non obtinet meritis, assequi valeat alienis adiutus.

Datum Viterbii, II Kalendas Maii, anno II.

185.

Clemens IV. an (Giangaetano Orsini,) Kardinaldiakon von San Nicola in Carcere Tulliano: fordert ihn auf, sich in seiner Krankheit helfen zu lassen, und wünscht ihm auch im Namen der Kurie gute Besserung.

1266 Mai 2, Viterbo

Dilecto filio I(ohanni) sancti Nicholai in Carcere Tulliano diacono cardinali.

A Perusio venientes Viterbium, cum de tuo statu requirimus, quem quanto desiderio fore prosperum multo tempore cupiamus, novit ille, qui cordium non ignorat occulta, varia nobis referunt, non quod aliter de te sentiant, hii et illi, sed quod tu medicis operantibus, tu fratribus assistentibus, tu pueris obsequentibus et de tua convalescentia valide presumentibus, licet in omnibus bene sentiant et consentiant, non assentis. Et quamvis poeta scripserit: „*Et sum quam medico notior ipse michi*¹⁷⁴“, ubi tamen exterius prominent manifesta seque sensui offerunt proxime sanitatis indicia, non oportet infirmum sic sequi proprie estimationis arbitrium, ut morbum adiuvet naturamque debilitet, cum plerique, dum estimant, faciant se infirmos. Tu ergo, fili carissime, diligenter advertens, quanta sit nobis tuisque fratribus, immo verius toti curie tuarum communio passionum, tuam Domino preordinanti salutem cooperato assiste. Et quia, quod letanter accepimus, in ipsis afflictionibus corporalibus propter Dominum hilarescis, gaudeas nichilominus, si, ut ei diutius milites, Deus prorogat dies tuos, qui quamvis bonorum tuorum non egeat, eget utique eius vicarius, indigent et cum ipso, qui in partem sue sollicitudinis sunt vocati, quam tu cum aliis prosequendo et maius meritum in presenti et in futuro premium assequaris. Vivificet te Dominus et conservet¹⁷⁵, fili carissime, diesque tuos in tempora multa producat ad gloriam sui nominis et patris et fratrum gaudium et profectum ecclesie sancte sue.

Datum Viterbii, VI Nonas Maii, anno II.

186.

Clemens IV. an (Jacques Gantelme), Vikar (des Senators Karl I. von Anjou, König von Sizilien), und den allgemeinen Rat von Rom: widerruft die Lösung einiger Orte im Patrimonium Petri aus ihrer Treueidbindung an das Volk von Rom, die Guido de Pileo, Archidiakon von Soisson und Rektor des (Fuszischen) Patrimoniums, eigenmächtig angeordnet habe.

1266 Mai 12, Viterbo

¹⁷⁴ Ov. Pont. 1,3,92.

¹⁷⁵ Vgl. Ps. 41,3.

Dilectis filiis vicario Urbis et consilio generali.

Dilectus filius Guido de Pileo Sussionensis archidiaconus et Patrimonii nostri rector commissam sibi nuper provinciam visitans in aliquibus municipiis ab eorundem incolis fidelitatis, quam Romane debent ecclesie, iuramenta recepit et ex zeli cuiusdam fervore, quodcumque aliud iuramentum Romano populo vel cuilibet alii prestitissent, abiurare fecit eosdem. Licet autem, si hoc ipsum, quod fecerat, ad iudicii traheretur examen, posset iustitia mediante defendi, nos tamen diligentius attendentes, quod a nobis receperat in mandatis nichil prorsus insolitum aggredi sine nostra licentia speciali, illiusque memores sanctionis, que non laudat industriam militis, *qui rem fecit a duce prohibitam, quantumcumque rem bene gesserit*¹⁷⁶, sic presumptam abiurationem huiusmodi ratam habere nolumus, immo ex causa predicta eam duximus revocandam eos, qui eam fecerant, quoad dicte abiurationis articulum a iuramento prestito absolventes.

Datum Viterbii, IIII Idus Maii, anno II.

187.

Clemens IV. an die Frati Gaudenti Loderengo (degli Andalò) und Catalano (dei Malavolti): gebietet ihnen, die Regierung von Florenz zu übernehmen.

1266 Mai 12, Viterbo

Dilectis filiis fratribus Lotharingo et Cathalano ordinis Militie Virginis Gloriose.

Si secularibus implicari negotiis abhorretis, qui quondam seculo, sed nunc Domino militatis, laudamus propositum et religiosum commendamus affectum. Scire tamen vos volumus, quod religio non deseritur, sed fovetur, si ad eius, qui iubere potest, imperium a mundanis tumultibus avulsus animus ad eosdem pro tempore non amandos, sed potius tolerandos pro salute reducitur proximorum. Cum igitur civitas Florentina, que dudum peccatis exigentibus effloruerat, reflorere nostris temporibus videatur, ne, quod absit, novi flores emarceant ex defectu regiminis non suspecti, multorum iudicio tam intrinsecis quam extrinsecis civitatis eiusdem civibus utile videatur vestro regi consilio civitatem eandem vestraque saltem ad tempus aliquod providentia gubernari, discretioni vestre per apostolica scripta precipiendo mandamus et in remissionem vobis iniungimus peccatorum, quatenus dicte regimen civitatis assumentes ad presens in pace et iustitia gubernetis eandem, donec ei, quam ad antiquam reducere favente Deo disponimus unitatem, provideatur aliter inter cives pace salubriter reformata.

Datum Viterbii, IIII Idus Maii, anno II.

188.

Clemens IV. an (Giangaetano Orsini,) Kardinaldiakon von San Nicola in Carcere Tulliano, (Giacomo Savelli,) Kardinaldiakon von Santa Maria in Cosmedin, und M(atteo Rosso Orsini,) Kardinaldiakon von Santa Maria in Porticu: gebietet ihnen, ihm ihren Rat zu erteilen, wie er sich angesichts des Gesuchs König K(arls I.) von Sizilien um die Verlängerung seiner römischen Senatorenwürde verhalten solle.

1266 Mai 15, Viterbo

¹⁷⁶ Dig. XLIX, 16, 3 § 15.

**Dilectis filiis I(ohanni) sancti Nicholai in Carcere Tulliano, I(acobo) sancte Marie in Co-
medin, M(atheo) sancte Marie in Porticu diaconis cardinalibus.**

Venientes ad nostram presentiam sollempnes nuntios carissimi in Christo filii nostri C(aroli) regis Sicilie illustris benigne recepimus et audivimus diligenter, qui premissis excusationibus de sua missione dilata tria finaliter petierunt, que communi fratrum consilio indigere ratione multiplici videbantur. Primum fuit, ut, cum non tam ipsi quam imposito sibi negotio et ecclesie Romane per consequens esset omnimode necessarium adhuc Urbis dominium ab eodem rege diutius obtineri, super hoc taliter provideremus eidem, ut sine periurii, excommunicationis et aliarum penarum discrimine posset de gratia speciali ad tempus aliquod obtinere senatum. Secundum fuit, ut de quinquaginta milibus marcharum, ad quarum se solutionem astrinxit, ei gratiam faceremus. Tertium, ut daremus ipsi consilium, qualiter erga Sarracenos Lucerie se haberet.

Cumque vestram causaremur absentiam et ipsi e contrario moram intolerabilem allegarent, nos habita collatione cum fratribus, licet nichil fixum sine vobis respondere vellemus, quia tamen importunitate petentium urgebamur, circa primum articulum eis respondimus, quod via nobis provisionis huiusmodi non patebat. Aut enim rex ipse sibi providerat senatu, ut decuit, resignato aut de hoc non curaverat. In primo casu, cum senator esse desisset et senatum resumere salvo iuramento non posset, nichil ei nostra prodesset dilatio, cum, etiamsi liceret resumere, esset denuo eligendus et, si eum eligi iterato contingeret, iuramentum, quod de non resumendo presterat, obstaret eidem. Quod si nondum senatum dimiserat et ex hoc in reatum periurii et sententiam excommunicationis inciderat, non fuisse, quod fuerat, minime facere poteramus. Hiis autem auditis concorditer adiecerunt, quod, cum ad nos de iure pertineret senatus, ipsum ad tempus secreto concederemus eidem. Ad quod respondimus, quod, cum Romanus populus in possessione iam sit et dudum fuerit ordinandi senatum, a possessione huiusmodi, quantumlibet sit iniusta, causa non cognita nec interpellatione premissa deicere non debebamus eundem nec nostram decebat nec etiam regiam honestatem pro Romanis eum tenere publice, quod a nobis accepisset occulte, ut de periculis taceamus, que ex duplicitate huiusmodi tam nobis quam ipsi poterant provenire. Post hec vero eiusdem regis litteras nobis et nostris fratribus ostenderunt, quas ad Romanum populum destinabat, inter cetera continentes, quod, cum Romana ecclesia ad se de iure diceret dispositionem pertinere senatus, nec scandalizare matrem volebat, senatum resignabat eundem rogans ipsos, ne et ipsi matrem scandalizarent, sed hoc potius haberent acceptum. Et, quamvis series litterarum provocativa magis quam repressiva scandali videretur, tamen per verba huiusmodi et super resignatione senatus et super inductione civium Romanorum, quam ipse promiserat, ad plenum satisfacere se credebat, quamvis dicti nuntii moram aliquam Rome traxerint et adhuc officiales regis in suis officiis perseverent. Et nos nuntiis patenter diximus, quod verbalis resignatio facto manente contrario regem a penis et a periculis minime liberabat. Scireque vos volumus, quod post resignationem predictam diversas litteras nobis misit, in quibus se more solito alme Urbis senatorem appellat.

De primo igitur articulo facto transitu ad sequentes sub obtentu vestri habendi consilii respondere distulimus discretioni vestre per apostolica scripta mandantes, quatenus tam super hiis, que circa primum supplenda, quam super hiis, que in duobus aliis duxeritis consulenda, quod vobis visum fuerit, per latorem presentium sine more dispendio rescribatis. Expectant enim responsum nuntii, ut sciant, quid oporteat regem agere in premissis.

Datum Viterbii, Idibus Maii, anno II.

Clemens IV. an den Abt des Klosters Saint-Gilles: gebietet ihm, nach seiner Erhebung zum Abt auf Disziplin zu achten.

O. D.

Dilecto filio abbati monasterii sancti Egidii.

Si vocationem tuam attenderis, si vocantis intuitum et affectum, grandem tibi prospicies necessitatem incumbere sic commisse tibi regimen abbacie non ad oculum, sed sincere tractare, ut in abbatis officio nominis impleas intellectum patrem te subiectis exhibens et pastorem. Satis equidem hactenus lumen videre consueveras et notare magnos et multos in monasterio tuo defectus circa monastice discipline censuram. Vide nunc gradum altiolem adeptus, ne forsitan ea non videas, que videbas, vel non videre te simules, que videbis, nec te putes in certis articulis non iudicari ab aliis, in quo alios iudicasti. Sicque te oportet in omnibus agere, ut et prudentibus nullam scandali ministros materiam et ignorantiam facias obmutescere hominum imprudentum. Generaliter igitur religionem servabis et ab aliis facies observari diligentius provisurus, ut, qui ordinem voluntarie non tenuerint, saltem ab ordine teneantur inviti. Semper tamen in corrigendis excessibus et iuste misericors et misericorditer iustus eris. In ecclesie tue superiori parte, que caput est omnium platearum, dispergi lapides sanctuarii minime patiaris, quod profecto contingeret, si tuos monachos iuxta morem illuc ascendere sine causa, ibi currere et discurrere, videri pariter et videre, nugis et fabulis, cachinnis et risibus occupari permitteres, quod quantum causa malorum extiterit, quante fuerit diffamationis origo, sciunt, qui confitentium examinant conscientias, sciunt, qui audiunt mala quam bona libentius publicantes. Ut sane brevior sit epistola, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis illis, quos in tuo credideris monasterio zelum vere religionis habere, collige, que videris cum eisdem ad reformationem eiusdem sufficere, collige nichilominus constitutionibus legatorum inspectis, que non sine animarum periculo negliguntur, si qua sunt ibi, que non expediat observari. Et, cum hec omnia nobis miseris, et statuenda firmabimus et, que viderimus resecanda, ne sint in laqueum et ruinam, tollemus. Demum ad iustitiam in villa tenendam communibus oculis vigila nec te des in partem parti, ubi de iure tractabitur, preferendam, sed ad omnium labora concordiam et coge spirituali gladio renitentes. Illos tamen semper plus diligas, quos a Deo plus diligi, quos plus Deum diligere certis indiciis extimabis.

Quid plura? Imple tibi creditum ministerium ad honorem divini nominis et sui sanctissimi confessoris et nostrum, ut, qui te tuis fratribus tibi forsitan non imparibus in honore hac vice pretulimus, tuis actibus comprobantibus nostrum de vultu Domini prodiisse iudicium gaudeamus. Pudet autem inserere tam sollempni materie, quam nostro patrimonio longo iam tempore tuus fecit predecessor, iniuriam, cum tamen nec in monasterium nec in eum nos meminimus adeo deliquisse, ut nobiscum pro meritis tam crudeliter ageretur, quod Iudeo forma iustitie non neganda sepe nobis extiterit denegata. Videre tamen volumus, quid tu facies, et, si duxeris continuandam iniuriam, remedium aliud forsitan durius, iustum tamen per omnia apponemus, cum ius nostrum dare non deceat nos ingratis.

Clemens IV. an S(imone Paltinieri,) Kardinalpriester von San Martino, Rektor der Mark Ancona und des Herzogtums Spoleto, apostolischer Legat: gebietet ihm, dem Adeligen von Cagli Raynaldus

(Sicardi) zu untersagen, nach Übergriffen auf seinen Besitz von sich aus gegen die Stadt vorzugehen, und ihm zu gebieten, das anstehende Rechtsverfahren abzuwarten.

O. D.

Dilecto filio S(imoni) tituli sancti Martini presbytero cardinali, Marchie Anthonitane et ducatus Spoleti rectori, apostolice sedis legato.

Quam sit impudens et imprudens vel excessus vel conatus illorum, qui post lapsum ad matrem piissimam Romanam ecclesiam revertentes ausu proprio vel concutiunt vel molestant, nulli veniret in dubium, qui vigorem iudicarium idcirco in medio intelligeret constitutum, ne quis sine iudicio sibi sumeret ultionem. Sane dilectus filius vir nobilis Raynaldus a civitate Callensi exasperatus ab olim cives civitatis eiusdem, postquam ad matris gremium redierunt, bonorum suorum incendiis et rapinis cum nonnullis suis complicibus sepe fertur aggressus, super quo, cum iam pluries tibi scripserimus, nostre tamen non extitit paritum voluntati. Cum igitur te non deceat, que pro nostra et Romane ecclesie reverentia fieri vel servari mandamus, prosequi perfunctorie vel totaliter preterire, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus tam eidem Raynaldo quam aliis districte precipias, ne civitatem dictam aut cives auctoritate propria molestare presumant, sed id patienter expectent, quod circa indemnitatem eorum iustitia suadebit, que celerius poterit expediri, cum factam inquisitionem pro ipso et sibi adherentibus ad stateram reduceris equitatis inquirendo similiter contra ipsum, ut utriusque partis excessibus vel alterius innocentia plenius intellectis vel pax fiat liberius vel eo securius, quo et certius ius dicatur. Quod si tuis parere noluerint monitis vel mandatis, pena subiecta doceat in nostris iniuriis te offendi teque presumptione dampnabili laborantibus in aliorum preiudicium non blandiri.

191.

Clemens IV. an Barral des Baux: teilt ihm mit, daß er ihn, solange er mit dem exkommunizierten Mailänder Francesco della Torre und dessen Anhängern verkehre, nicht empfangen könne.

1266 Mai 21, Viterbo

Nobili viro Barralo domino Baucii spiritum consilii sanioris.

Nosti, fili, quod, si temporibus retroactis in minori officio constituti excommunicatorum colloquia fugimus, quantum licuit, nunc ad sublimem proveci gradum eos artius evitare debemus. Cum igitur Franciscus de Turri clericorum incarcerator et sanguinis innocentis effusor ex factis propriis multis et gravibus sit excommunicationum sententiis variis innodatus et tam ipse quam alii Mediolanenses propter illatas cum dampnis iniurias Mediolanensi ecclesie et eiusdem archiepiscopo nichilominus sint ligati, nec te nec ipsum nec alios plurimos venientes, ut deceret, possemus recipere nisi forsan ad mandata ecclesie cum iuramentis et cautionibus redeuntes. Quamquam autem tuam libentius videremus personam, maluimus tamen, quod aliunde transeas quam ad nos non, sicut tuam nobilitatem deceret, recipiendus accedas. Cum vero a consortio contagioso recesseris, te letanter videbimus et honorabimus, cum licebit.

Datum Viterbii, XII Kalendas Iunii, anno II.

Clemens IV. an Erzbischof (Florentius) von Arles: mahnt ihn, die Adlige Lauduna und ihre Kinder Bertrandus und Karolus nicht mit Zehntforderungen zu bedrängen.

1266 Mai 24, Viterbo

Archiepiscopo Arelatensi.

Cum dilectam in Christo filiam nobilem mulierem Laudunam et eius liberos Bertrandum et Carolum diligamus et dilexerimus caritate sincera, quos etiam fraternitati tue specialiter commendavimus in minori officio constituti, tu, prout audivimus, te eisdem nunc blandum nunc asperum exhibens occasione decime possessionum suarum quarundam, quam, prout legis censura deposcit, solvere noluerunt, alternis vicibus et dimisisti quietos et graviter concussisti. Sacris sane canonibus non detrahimus nec legem destruimus, sed statuimus, iura insuper ecclesiarum evertere nolumus, ad quorum erectionem intendimus ex affectu, sine iuris tamen offensa nonnumquam volumus et consulimus iustitie temperari rigorem, ut familiaris rei dispendium repressione scandali compensetur. Ideoque fraternitatem tuam rogandam duximus, quatenus ob nostram reverentiam et precum nostrarum obtentu iuxta venerabilis fratris nostri episcopi Avinionensis consilium sic agas cum dicta Lauduna et eius liberis in premissis, ut et nostro desiderio satisfacias et ius tuum suspensum ad tempus maneat, non subversum.

Datum Viterbii, IX Kalendas Iunii, anno II.

Clemens IV. an Bischof (Bertrand de Saint-Martin) von Avignon: gebietet ihm, sich darum zu bemühen, daß der Streit zwischen Erzbischof (Florentius) von Arles und der Adligen Lauduna wegen des Zehnten beigelegt werde.

1266 Mai 24, Viterbo

Episcopo Avinionensi.

Ecclesiarum iura, que debemus defendere, non evertimus, sed pro tempore et ad tempus prosecutionem eorum suspendi nonnumquam volumus, ut liberius et utilius oportunitate captata ad statum debitum reducantur. Vetus sane de decimis inter Arelatensem ecclesiam et parrochianos eius querela, ad quam pacifice sopiendam sepe dedimus operam in minori officio constituti, licet effectus affectui non responderit tunc optatus, fuit tamen utcumque mediantibus aliis eorundem arbitrio terminata, sed venerabilis frater noster Arelatensis archiepiscopus civibus Arelatensibus eam non refricans, cuius laudamus prudentiam, si dans aliquid tempori pecuniario commodo repressionem scandali anteponit, dilectam in Christo filiam nobilem mulierem Laudunam et eius liberos super consimili questione nunc quietos et in pace dimittit nunc concutit graviter, prout libet. Quia vero multum dileximus et diligimus matrem et filios supradictos, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad pacem super hiis perpetuo reformandam Deum habens pre oculis partes tuas cum omni diligentia interponas. Quam si facere forte nequiveris, ad hoc demum archiepiscopum eundem inducas, ut eosdem ea, qua cives Arelatenses tractandos duxerit, humanitate pertractans in aliqua tranquillitate supportet, sic tamen, ut, si quando cum civibus supradictis sue condicionem ecclesie fecerit meliorem, dicti Laudune liberi censure paris exitum sortiantur. Quicquid autem super hiis feceris, nobis rescribere non omittas.

Datum Viterbii, IX Kalendas Iunii, anno II.

194.

Clemens IV. an Barral des Baux: unterrichtet ihn, daß er ihn aus der Exkommunikation lösen und daß König K(arl I.) von Sizilien ihn bei sich behalten wolle; rät ihm, von seinen Bemühungen um die Herrschaft in der Lombardei abzulassen.

1266 Mai 28, Viterbo

Nobili viro Barralo domino Baucii spiritum consilii sanioris.

Pro absolute tua scribimus venerabili fratri nostro Albanensi episcopo, apostolice sedis legato, quam cum receperis, extunc tibi, sicut cupis et cupimus, stilo poterimus scribere pulchriori. Sane, quia per fidedignos accepimus, quod carissimus in Christo filius noster C(arolus) rex illustris Sicilie fixum habet propositum et immobile te secum tuo remisso filio retinendi, scribendum ei non duximus, ut petisti. Non enim delectat nos multum pati repulsam, licet eam apud nonnullos, quos multum honoravimus, sepius patiamur, sed in regis eiusdem debes confidere bonitate, quod tuorum obsequiorum non immemor ea condignis premiis compensabit. Tu vero proseguere, quod cepisti, et in eius fide, quam hactenus multorum operum testimonio comprobasti, cum ea diligentia persevera, ut tam tibi quam tuis obnoxius sue nobilitatis obtentu erga te faciat, que desideras et decent regie preminentiam maiestatis. Illud tibi consulimus bona fide, quod a regimine Lombardorum et omnium, quos includit Ytalia, prorsus abstineas, nisi superioris imperium urgeat. Quod etiamsi instaret, crederemus tibi consultum non contumaciter ei resistere, sed discrimen imminens multiplicatis precibus declinare.

Datum Viterbii, V Kalendas Iunii, anno II.

195.

Clemens IV. an (Raoul Grosparmi,) Kardinalbischof von Albano, apostolischer Legat: gebietet ihm, Barral des Baux aus der Exkommunikation zu lösen, in die er wegen der Belästigung der Mailänder Kirche gefallen sei.

1266 Mai 28, Viterbo

Episcopo Albanensi, apostolice sedis legato.

Nota est nimis oppressio Mediolanensis ecclesie et archiepiscopi spoliatio, nota cleri gravamina cum multo preiudicio ecclesiastice libertatis, que in Mediolano sub Uberto Pelavicino incepta, sub aliorum continuata regimine in diem hodiernum dampnabiliter perseverant. Sane, cum vir nobilis Barralus dominus Baucii licet huiusmodi malorum non auctor, successor tamen predonum huiusmodi extitit in regimine sicque non pari culpa, sed pari cum eis sententia extitit involutus, volentem nunc saniore consilio administratione, ut dicit, deposita sue providere saluti fraternitati tue committimus absolvendum receptis ab eo iuramento litterisque patentibus, quod nostris parebit in omnibus, pro quibus excommunicationis incurrit sententiam, beneplacitis et mandatis, ad que audienda prefiges ei terminum competentem, quo se nostro conspectui personaliter representet.

Datum *ut supra in proxima.*

Clemens IV. an Bischof (Raoul de Chevry) von Évreux: verwarht sich dagegen, die französischen Kirchen allzusehr belastet zu haben.

1266 Mai 31, Viterbo

Episcopo Ebroicensi.

Nec te nec alios ecclesie Gallicane prelatos nos gravasse meminimus, immo verius, nisi fallimur, plus eisdem detulimus, quam a longis retro temporibus sit delatum. Sane interdum compellimur et te rogare et alios pro clericis benemeritis et nonnumquam ad instantiam venientium, quod precipue nobis contigit in occurso exercitus euntis in Apuliam et de Apulia redeuntis, cogimur scribere etiam pro ignotis. Licet autem preces Romani pontificis apud sollicitudinis sue participes habere debeant vim precepti, is tamen, cui scribitur, si forsan habet aliquid, quod scribentem movere debeat ad preces omnino tollendas vel in tempus aliud deferendas, debet hoc ipsum ei scribere reverenter, ut cesset omnis contemptus suspicio, a qua non penitus excusatur, si nec impleverit, quod rogatur, nec, cur distulerit, duxerit intimandum. Tuam igitur commendantes prudentiam gratum habuimus, quod scripsisti quodque nostro satis est conforme consilio. Plene instructum te credimus, qualiter in huiusmodi deceat te versari.

Datum Viterbii, II Kalendas Iunii, anno II.

Clemens IV. an (Giangaetano Orsini,) Kardinaldiakon von San Nicola in Carcere Tulliano: freut sich über die Besserung seines Gesundheitszustandes; bittet ihn um Rat, wie er hinsichtlich der neuzufassenden Regel des Klarissenordens verfahren solle.

1266 Mai 31, Viterbo

Dilecto filio I(ohanni) sancti Nicholai in Carcere Tulliano diacono cardinali.

De statu tuo audivimus prospera expectantes cotidie meliora, de illius misericordia confidentes, qui opus imperfectionis non novit et, quoniam in sui dispositione non fallitur, *sicut mortificat, sic vivificat et, sicut percutit, sic medetur*¹⁷⁷. Tu ergo a Domino ad salutem, non ad exitium verberatus nosti, ut credimus, *sugere mel de petra*¹⁷⁸ immensam colligens ex penarum acerbitate dulcedinem, quibus assatus egisti gratias contra Deum nec murmure nec querimonia resonante. Sane, ne in ipsa tue convalescentie novitate membra tenera laboribus repentinis exposita relabantur, cavendum est tibi plus solito, et quieti, ut credimus, oportune propensius indulgere te convenit, cum sit melius vires lassati corporis in domo propria cum domesticis experiri quam itineris laboriose discrimini se committere, donec corporis partes omnes, ille tamen precipue, que gravius passe fuerant, plene fuerint solidate.

Verum sorores ordinis sancte Clare venerunt Viterbium pro multarum terrarum sororibus, quarum mora in curia nec olim tibi placuit nec hodie nobis placet, et sunt omnes in hoc proposito, quod tuam regulam non recipiant, sed vel statum observent pristinum vel, si ille videtur dubius, vivendi formam, quam habet dilecta in Christo filia soror regis Francie, acceptabunt.

¹⁷⁷ 1. Reg. 2,6, Deut. 32,39.

¹⁷⁸ Deut. 32,13.

Super quo intentionem tuam ad plenum nobis per tuas intimes litteras, aut, si malueris, ad tuam eas mittemus presentiam, ut tu celeriter eas expedias tua ipsis saltem per alium exposita voluntate. Super quorum alterutro tuam scire volumus voluntatem.

Datum Viterbii, II Kalendas Iunii, anno II.

198.

Clemens IV. an den Abt von Saint-Jean-d'Angély: fordert ihn auf, R(aoul Grosparmi,) Kardinalbischof von Albano, weiterhin zu unterstützen.

1266 Juni 5, Viterbo

Dilecto filio abbati monasterii sancti Iohannis Angeliacensis.

Studium diligens et diligentia studiosa, quibus te occupas in venerabilis fratris nostri R(adulfi) episcopi Albanensis obsequiis, augent tibi gratiam, quam apud nos dudum ratione multiplici meruisti, in quo nobis eo servitur acceptius, quo eundem sincerius exequi novimus magni quidem meriti, sed non levis laboris officium multis perplexum involucris, multis perplexitatibus involutum. Certus igitur, quod, si tribulationum es socius, in consolationibus emolumentum societatis habebis, collabora, sicut bene cepisti, viro fideliter laboranti et inter homines profundi pectoris constituto, cura pervigili sue comes peregrinationis assiste, ne, quod absit, involvi vicinorum astutiis vel precibus aliunde transmissis sua frangi vel flecti valeat rectitudo. Si qua sane quarumlibet personarum in repulsa precum huiusmodi formidanda videtur offensa, volumus, quod secure nostrum obtendatur imperium, nostris totum humeris imponatur. Pauci siquidem ad eum venient interventus, qui a nobis explicite repulsi non fuerint vel honestis et curialibus responsis elusi. Unde totum una claudit responsio, quod dandum rogantibus non crediderit aut simpliciter deneget aut ad nos saltem insinuata veritate remittat. Ex hiis enim, que patimur, satis novimus, quanta illuc oporteat eum pati. Grata nobis tua fuerunt munera, sed non credas, quod hactenus pigrum calamum excitaverunt ad scribendum, immo verius, que palpamus cotidie nos sub compendio, que premisimus, scribere compulerunt.

Datum Viterbii, Nonis Iunii, anno II.

199.

Clemens IV. an R(aoul Grosparmi,) Kardinalbischof von Albano, apostolischer Legat: teilt ihm Anweisungen und Auskünfte hinsichtlich des Klosters (San Vincenzo al) Volturmo, des Giovanni di Procida und anderer übergelaufener Anhänger Manfreds von Sizilien mit.

1266 Juni 5, Viterbo

R(adulfo) episcopo Albanensi, apostolice sedis legato.

Si pro aliquibus tibi scribimus sapidiores litteras, quam oporteat, habet hoc stilus dictantium, non scribentis intentio, quamquam, si bene recolimus, si quid habet excessus narratio, conclusio provida moderetur. Quod si forsitan omissum fuerit, semper tua fraternitas fixum teneat nostri numquam fuisse propositi, postquam tantum tribunal ascendimus, honorare personas reprobas vel indigne polluere dignitates indignis. Per hoc sane soluta est questio de Iacobo monasterio de Volturmo, nescimus, cuius precibus, preferendo, quem maluimus deprimi quam levare, si eius

merita hoc requirunt. Per hoc tollitur, quod miraris, de Iohanne de Procida, cui nullam recolimus gratiam nos fecisse, nisi quod ad fratrum nostrorum quorundam instantiam regi et tibi scripsimus satis, ut credimus, temperate. Cui quidem ad nostram presentiam accedenti pedes et tibias nostras ostendimus, sed recipere nobis non placuit, quam dictaverat, medicinam. Et summo medico nos commisimus, qui nobiscum misericorditer nimis agens non, quantum meruimus, voluit nos torquere. Dicitur autem magister Iohannes dilecto filio nostro I(ohanni) sancti Nicholai in Carcere Tulliano diacono cardinali assistit, quem in convalescentia positum sanum cito speramus recipere Domino concedente.

Virum sanguinum comitem Acerrarum ad nos venire nolimus, non ut parceremus eidem, sed nobis potius, quia gravis nobis existeret ad videndum. Et haberet vel sibi faceret aliquos amicos in curia, qui Diabolo cras assisterent cum muneribus venienti. Petrum Sarracenum olim fratrem, nunc adversarium teneri facias in cathenis. Illum quondam archidiaconum, qui de nostro effugit carcere, addicas carceri sempiterno. Nullius te preces moveant ad gratias Deo contrarias faciendas, non regis, non cardinalium, sed nec nostra quantumcumque precisa mandata, nisi plene credideris talem esse condicionem negotii, ut facti plene cognita veritate verisimile iudicetur nos ad talem misericordiam facile inclinari. Libros, quos remisisti, recepimus et tibi mittimus, quem petisti. Ora pro nobis¹⁷⁹.

Datum Viterbii, Nonis Iunii, anno II.

200.

Clemens IV. an R(aoul Grosparmi,) Kardinalbischof von Albano, apostolischer Legat: trägt ihm auf, diejenigen Geistlichen zu maßregeln, die während des Feldzuges in das Königreich Sizilien ihre Kompetenzen überschritten hätten.

1266 Juni 5, Viterbo

Eidem.

Ad exercitus christiani solacium tunc in regnum Sicilie profecturi quibusdam fratribus laborantibus cum eodem et dandi in sermonibus indulgentiam et aliquos redeuntes ad ecclesie gremium absolvendi, donec esset negotio delegato provisum et eiusdem in regno haberetur presentia, nos dedisse meminimus potestatem. Usurpatum igitur esse noveris, quicquid post tuum in prefatum regnum ingressum dicti fratres in predictis articulis attemptarunt, quorum simplicitati parcere poteris vel punire stultitiam, si presumptionem inveneris. Tuam tamen decet mansuetudinem in hoc dubio viam eligere tutiorem, sic tamen, ut id eis inhibeas, cum potestas eorum fuerit limitata. Quam nunc etiam revocamus salva gratia, quam hiis fecimus, qui predicant in presentia carissimi in Christo filii nostri regis illustris Sicilie, quam manere volumus illibatam.

Datum *ut supra* in proxima.

201.

Clemens IV. an S(imone Paltinieri,) Kardinalpriester von San Martino, Rektor der Mark Ancona und des Herzogtums Spoleto, apostolischer Legat: gewährt ihm die Möglichkeit, der Stadt Ancona ihre

¹⁷⁹ Vgl. 1 Thess. 5,25; 2 Thess. 3,1; Hebr. 13,18.

Geldschuld teilweise nachzulassen, und gebietet ihm, Nachforschungen über den durch Konrad von Antiochien angerichteten Schaden anzustellen.

1266 Juni 11, Viterbo

Dilecto filio S(imoni) tituli sancti Martini presbytero cardinali, Marchie Anchonitane et ducatus Spoleti rectori, apostolice sedis legato.

Scriptimus tibi nuper de gratia limitata Anchonitanis civibus, prout tibi videbitur, facienda. Sed, quia plures murmurant, extimantes agendum mitius cum eisdem non tibi precipimus, quod remittas, sed remittendi alia V milia concedimus facultatem, si dignum estimaveris et negotio videris expedire. In uno tibi cavendum credimus, ne te mediatoribus in hac parte committas, qui te nesciente fortasse venderent, quod ex nostro mandato seu beneplacito liberaliter indulgeres. Sed et illud attendas, ne de iure transigas Anibaldi, quod, licet sit minus, quam predicet, multa tamen petit et magna, que non parum magnificent aliqui fratres nostri. De penis seu multis aliis, quas locis aliquibus indixisti, placet nobis in parte etiam perfidorum consuli paupertati. Sane Corradus de Antiochia per venerabilem fratrem nostrum R(adulfum) episcopum Albanensem absolutus cavit idonee apud eum de stando nostris beneplacitis et mandatis. Unde diligenter inquiras, que dampna data nobis nostrisque fidelibus per eundem magis notoria magisque dicere possumus notabilia, ut ex hiis formare congrua valeamus mandata, que per ipsum Albanensem episcopum proferri faciamus in regno. Et super hiis certiores nos reddere, quam cito poteris, non omittas.

Datum Viterbii, III Idus Iunii, anno II.

202.

Clemens IV. an Erzbischof (Guillelmus de Vicedominis) von Aix: gebietet ihm, den Konflikt zwischen den Franziskaner-Inquisitoren Maurinus und Guillelmus Bertrandi und einigen Dominikanerbrüdern aus Marseille beizulegen.

1266 Juni 12, Viterbo

Archiepiscopo Aquensi.

Paupertatis altissime professoribus et divine preconibus voluntatis eo parat subtiliores insidias humani generis inimicus, quo eosdem conspicit ceteris animosius spiritualis ingredi campum certaminis a rerum temporalium sarcinis expeditos, *scuto* protectos *fidei* et evangelice *gladio* predicationis accinctos¹⁸⁰ et non sue tantummodo prosequentes salutis negotium, quin etiam *molus iniqui contere et de faucibus eius predam eripere*¹⁸¹ satagentes. Hoc autem sibi studium elegisse noscuntur dilecti filii Minorum et Predicatorum ordinum fratres, quos licet ab invicem discernat habitus et distinguat professio regularis, voto tamen consimili pari cursu finem istum sibi prestituunt, ut tam clerum quam populum verbis edificent et exemplis et evulsis in agro Domini heretice sentibus pravitatis pro tam pie servitutis obsequio grande fenus in premium prestolantes carnis demum solutis vinculis onereque deposito iustum et equum iudicem et propitium sibi sentiant et inveniant liberalem. Quantam sane concordiam, quantam pacem, quam fundate,

¹⁸⁰ Eph. 6,16–17.

¹⁸¹ Iob 29,17.

quam solide vinculum caritatis esse deceat inter ipsos, et perfectio status indicat et salubris propositi sancta conceptio eiusdemque sedula prosecutio, labor insuper et finis operis manifestant. Quo fit, ut inter eos seminante discordiam hoste publico colubro tortuoso miserabili se committant discrimini, qui procul dubio demonum adiutores accensum ignem eorum studio tamquam lignis nutrientes iniectis inter eos exorta scandala verbo vel facto solidant, illi vero precipue, qui ex altero dictorum ordinum vel utroque, quod extinguere deberent, incendium fovere temere non verentur.

Hinc est, quod dolentes accepimus in Provincia partibus dictos ordines ad illud devenisse dissidium, ut se lacescentes iniuriis invicem se mordere, invicem diffamare presumant eo usque prolapsa tante temeritatis audacia, ut dilectum filium fratrem Maurinum ordinis Fratrum Minorum inquisitorem in illis partibus heretice pravitatis Fratres aliqui Predicatores, ut fertur, Massilie publice diffamaverint in multorum presentia prelatorum et fidelium multitudine inibi congregata eidem fratri tamquam excommunicato persuaserint non parendum. Sed et alii eiusdem ordinis subsequenter, subprior scilicet domus Predicatorum Massilie et frater Iohannes Guidonis de conventu eiusdem, contra eundem inquisitorem tunc apud sedem apostolicam constitutum coram non suo iudice apud Massiliam et, quod est durius, coram laico testes duos iniquos presbyteros recipi procurarunt, qui deponere presumpserunt falso aliqua contra eum super turbatione civium civitatis eiusdem, immo potius aversione ipsorum a fide debita carissimo in Christo filio nostro C(arolo) regi Sicilie illustri et conversione dampnabili ad persecutorem ecclesie Manfredum olim principem Tarentinum ab eodem inquisitore predictis civibus persuasis, que si forent veritate subnixa, dictus frater M(aurinus) non excommunicatus dumtaxat, sed et Dei ac noster proditor merito censeretur. Ad hoc vero dilectus filius frater Guillelmus Bertrandi eiusdem Minorum ordinis et coinquisitor fratris Maurini predicti ex fraterna, ut dicitur, provocatus iniuria dictos cepit presbyteros, qui publice sunt confessi se falsa testimonia protulisse a dictis fratribus invitatos, et ideo fratres ipsos, qui testes huiusmodi recipi procuraverant, sui reputans perturbatores officii et ad presentiam suam evocans ac iuramento de veritate dicenda, prout creditit iustum, astringens super predictis requisivit eosdem. Et, cum ad quasdam interrogationes ipsum negotium suo iudicio contingentes interrogati sepius ab eodem nullum vellent dare responsum eo, quod eas dicerent impertinentes penitus ad predictum officium, sicut de peritorum consilio se habere dicebant, ipse frater G(uillelmus) ex hoc eos reputans contumaces excommunicationis sententiam in eos protulit sapientum communicatis consiliis, prout asserit, et eandem fecit Massilie publicari, quamquam iidem Fratres Predicatores eum, ut asserunt, appellatione legitima prevenissent. Propter quod ad sedem apostolicam venire compulsi provideri sibi a nobis instanter et humiliter petierunt.

Nos igitur attendentes, quod, licet dicti fratres subprior et Iohannes Guidonis graviter excessissent, appellationi tamen eorum, si legitima extitit, idem frater G(uillelmus) deferre suadente iustitia et, etiamsi non fuerit legitima, contra fratres illius ordinis non tam cito procedere, sed nos potius vel dilectum filium nostrum I(ohannem) sancti Nicholai in Carcere Tulliano diaconum cardinalem consulere debuisset, dictos fratres, subpriorem videlicet et Iohannem, absolvi fecimus ad cautelam. Porro tot malorum materiam a radice precipere cupientes fraternitati tue per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatenus personaliter ad civitatem Massiliensem te conferens in die festivo clero et populo convocatis coram omnibus auctoritate nostra decernas omnibusque denunties receptionem dictorum testium iniquorum contra dictum fratrem Maurinum non sine notabili pariter et dampnabili temeritate presumptam nullius penitus extitisse momenti, sed et sequenti depositioni testium eorundem contra dictos Fratres Predicatores vel alios, quos sui sceleris asserunt conscios vel actores, nullam fidem penitus adhibendam, cum evidenter appareat eos esse periuros, qui suam turpitudinem propalantes duo prorsus opposita deposuere iurati. Sed quoad se in hoc ipsis iniquis testibus nocere <nolentes> volumus, quod fatentur, ut

beneficiis, si qua habent, auctoritate nostra prives eosdem et ad habenda redditos prorsus inhabiles et perpetuo ab omnium sacrorum ordinum executione suspensos in aliquod monasterium acturos penitentiam eadem auctoritate detrudas vel, si tibi melius visum fuerit, assignes ordinario suo penam carceris decennalis, nisi cum eis per sedem apostolicam misericorditer actum fuerit, portaturos. Dictos autem fratres, subpriorem scilicet et Iohannem, quibus pro suarum qualitate culparum iniungi fecimus penitentiam salutarem, facias nichilominus te presente et aliis, quos vocare volueris, in capitulo Fratrum Minorum Massilie ad pedes eorundem inquisitorum vel alterius, qui presens fuerit, vel eisdem absentibus gardiani seu locumtenentis ipsius cum humilitate prosterni et veniam petere de excessu. Ceterum, ne similia presumantur in posterum et scissura dictorum ordinum augeatur, inhibemus omnino, ne Frater Predicator contra Fratrem Minorem vel Frater Minor contra Fratrem Predicatorem ex commisso vel committendo sibi in posterum inquisitionis officio huiuscemodi, quantumcumque sciat aut extimet eum reum, aliqua ratione procedat, sed eiusdem superiori denuntiet, quod crediderit corrigendum, vel sedi apostolice referat, si maluerit et viderit expedire, et, si secus fuerit attemptatum, processum huiusmodi decernimus non tenere. Ne tamen ex hoc detur malis audacia clam vel palam inquisitionis officium perturbandi, omnes fratres utriusque ordinis, qui scienter hoc fecerint, ab omnium sacrorum ordinum executione suspendimus et immediatum prelatum eorum similiter, si hoc sciens punire neglexerit, et, si affectaverit ignorantiam, pena simili teneatur. Volumus etiam et mandamus, quod ad tuum preceptum frater Benedictus eiusdem Predicatorum ordinis, qui publice os suum aperuit in predicti fratris Maurini non modicam contumeliam, quem ab obiectis immunem in omnibus et per omnia reputamus, publice coram cleri et populi multitudine convocata Massilie petat prostratus veniam ab eodem vel, si idem frater M(aurinus) absens fuerit, a dicto fratre Guillelmo Bertrandi coinquiretore ipsius vel a te nostro nomine, si contigerit hos abesse, et petitam veniam assequatur confessione prius ibidem emissa, quod in ipsum peccavit graviter et quod eum penitet eorum, que dixit, et quod, quicquid aliquando inconsulte crediderit de eodem, nunc credit eum ab obiectis fuisse et esse innoxium et immunem, cum hoc a nobis audierit et ad nostram sententiam suam velit et debeat conscientiam informare. Hiis autem satisfactionibus, quas dictis inquisitoribus ratione officii fieri volumus, sic expletis nichilominus dictis fratribus, subpriori videlicet et Iohanni ac Benedicto, precipias, quod ad domum Fratrum Minorum accedant et in capitulo prostrati petant veniam ab eisdem, in quantum ordinem in ipsis fratribus offenderunt, et hec omnia in tua presentia compleantur. Quod si quis ex dictis fratribus tibi parere contempserit in predictis, eum statim excommunicationis mucrone percillas. Quibus sic rite peractis, utriusque ordinis fratribus constitutis ibidem in suorum remissionem peccatorum suadeas et iniungas, quod ad solitam redeant unitatem et tam ibi quam alibi suis viribus ad reformationem caritatis intendant, inquisitionem adiuvent et consilium et auxilium ad promotionem eiusdem prebeant requisiti scituri, quod, si, quod absit, super istis ad nos pervenerit iterata querela, ferent profecto, qui rei fuerint, onus sententie gravioris. Sed nec illud relinqui volumus impunitum, si tamen dicto veritas suffragatur, quod scilicet officialis venerabilis fratris nostri Massiliensis episcopi receptionem testium predictorum persone laice contra fratrem sepedictum Maurinum dicitur commisisse, quem ex mero inquirens officio, si verum inveneris, suspensum ab officio et etiam beneficio, si quod habet, ab officialatu per eundem episcopum indilate iubeas amoveri prefixo ei termino peremptorio competenti, quo se nostro conspectui recepturus pro meritis representet.

Datum Viterbii, II Idus Iunii, anno II.

Clemens IV. an Magister B(ernardo) Languisselli, Archidiacon von Lanta und päpstlicher Kaplan: gebietet ihm, in Siena den Frieden wiederherzustellen. Beigefügt die Entwürfe zu zwei vom Papst aufgesetzten Abkommen zwischen den Sienesen innerhalb und außerhalb der Stadt sowie zwischen den Kommunen von Orvieto und Siena.

(1266 Mai 24, Viterbo)

Dilecto filio magistro B(ernardo) Languisselli archidiacono Lantarensi in ecclesia Tholosana, capellano nostro.

A longis retro temporibus vidimus in civitatibus et locis aliis populosis extolli aliquos supra merita, qui simplicium et fidelium animis immutatis querunt, quod sibi est utile, non quod multis, et confictis mendaciis ex ingenio pro re publica stare se asserunt, cuius tamen utilitatem impediunt et impugnant. Hii sunt *tauri*, quorum congregatio in vaccis populorum elata eos, qui probati sunt argento, nonnumquam *excludit*¹⁸², dum et sibi ducatus illiciti auctoritatem arripiunt et probate virtutis ad consortium iusti regiminis non admittunt. Sane, si cives Senenses, quorum salutem querimus, diligenter attenderent, quanto iam tempore tenebris involuti a via veritatis erraverint¹⁸³, quantum Deum offenderint et ecclesiam, pie matri sinum eis misericordie offerenti salubriter se committerent nec illatis difficultatibus et frivolis disputationum involucris vite sue negotium impedirent. Quod utique a *cecis ducibus*¹⁸⁴ seducti faciunt, qui ad ea nos aspirare confingunt, que numquam in nostrum animum ascenderunt, et, cum tibi pluries, ut audivimus, iam illuserint, contemptu nuntii non contenti nobis etiam parere laqueum moliuntur. Verum, quia *frustra rete iacitur ante oculos pennatorum*¹⁸⁵ nec nos latent eorum astutie, qui plebem simplicem suis figmentis illiciunt et decipiunt, nolentes te ulterius verbis inanibus detineri discretioni tue per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatenus, si ea complere voluerint et compleverint, que in forma, quam tibi sub bulla nostra mittimus, continentur, rata manente absolutione bona fide licet prepropere a te facta, cuius extrinsecus apostolica supplemus auctoritate defectum, tam eis quam aliis, quos res tangit, assignes terminum competentem, quo se nostro conspectui representent, ut ad pacem inter eos celeriter reformandam invocata Spiritus Sancti gratia procedamus. Quod si formam non acceptaverint supradictam, cui nec addi nec detrahi volumus *unum iota*¹⁸⁶, tu protinus *excusso pedum pulvere*¹⁸⁷ ad nos redeas, ut apostolica benedictio ab eam nolentibus elongetur et ad nos revertatur pax nostra pacis ibidem filiis non inventis. Quo casu pristinas excommunicationis et interdicti sententias innovamus, que de facto ex abundanti gratia per te fuerant relaxate.

Super questionibus Senensium intrinsecorum et extrinsecorum cautio talis fiat: Syndicus communis seu universitatis Senensium promisit per stipulationem sollempnem et sub pena XX milium marcharum argenti magistro Bernardo Languisselli *et cetera* ad hoc misso a domino Clemente papa III et eiusdem domini pape nomine stipulanti se et dictum commune seu universitatem, cuius est syndicus, parituros et staturos universis mandatis et singulis ab eodem domino papa vel ab alio eius mandato una vice vel pluribus proferendis vel eidem universitati seu ipsius rectoribus vel rectori per eiusdem domini pape litteras intimandis super guerris et dissensionibus

¹⁸² Ps. (G) 67,31.

¹⁸³ Sap. 5,6.

¹⁸⁴ Matth. 15,14.

¹⁸⁵ Prov. 1,17.

¹⁸⁶ Matth. 5,18.

¹⁸⁷ Matth. 10,14, Act. 13,51.

inter ipsos et sui comitatus ac districtus homines et fautores eorum ex una parte et Senenses extrinsecos seu exiticios et fautores eorum ex altera dudum exortis et super dampnis et iniuriis irrogatis invicem sive datis et generaliter super omnibus questionibus subortis ex guerris et dissensionibus supradictis. Dicta autem pena totiens committetur, quotiens contra domini pape mandata ex parte Senensium ventum fuerit sive factum, nisi infra mensem post monitionem eiusdem domini pape eis missam vel apud Romanam curiam in audientia publica tam satisfacerint competenter. Promisit etiam idem syndicus eidem magistro B(ernardo) nomine dicti domini pape stipulanti, quod ipse et dictum commune Senensium iuxta eiusdem domini pape beneplacitum treugam, quam mandaverit, et pacem, cum preceperit, cum dictis suis adversariis facient et firmabunt. Et pro hiis omnibus complendis et observandis et pro pena predicta solvenda, quotiens commissa fuerit, omnia bona presentia et futura dicti communis eidem magistro B(ernardo) nomine dicti domini pape idem syndicus obligavit hoc acto expresse, quod dicta pena commissa semel vel pluries et exacta mandata domini pape, que tunc prolata fuerint, in plena remaneant firmitate et potestas alia proferendi penes ipsum remaneat illibata. Ad maiorem autem predictorum omnium firmitatem idem syndicus hec omnia et singula in suam et potestatis ac capitanei et aliorum officialium ac omnium consiliariorum animam in generali consilio ad sonum campane more solito congregatorum ipsis presentibus et sigillatim mandantibus tactis sacrosanctis evangelii iuravit. Et pro hiis omnibus observandis constituerunt se tales fideiussores et principales debitores quisque in solidum renuntiantes *epistole divi Adriani*¹⁸⁸ et constitutioni *de duobus reis debendi*¹⁸⁹ et beneficio, quod fideiussoribus datur *de principali prius conveniendo*¹⁹⁰, et omni alii iuris auxilio, quo se possent defendere vel iuvare contra predicta vel aliquid de predictis. Dederunt etiam et concesserunt omnes et singuli supradicti, syndicus scilicet communis nomine et fideiussores pro se et nomine proprio, eidem magistro B(ernardo) et per eum domino pape predicto plenam et liberam potestatem, si, quod absit, contingeret mandata eiusdem domini pape non servari et propter hoc penam in forma prescripta cum effectu committi, capiendi et capta distrahendi seu alienandi omnia bona eorum mobilia et se moventia et iura seu nomina ubilibet constituta et, quibuscumque voluerit, assignandi. Actum est autem, quod, si Senenses extrinseci pro se et suis obligationem similem domino pape non prestiterint infra mensem, cautiones intrinsecorum quoad ea, que tangunt extrinsecos, casse remaneant et inanes. De hoc fiant publica instrumenta. Item fiat publicum parlamentum, et iuret syndicus, que ad universitatem pertinent, in animas singulorum, et fiant publica instrumenta.

Similis cautio fiat super guerra Urbevetanorum et Senensium, sed addatur hec clausula: Ad-ditum est autem expresse, quod, si de castris vel villis vel terris aliis vel limitibus comitatum seu districtuum questiones alique sint inter ipsos ab antiquo, scilicet ante guerram novissimam, de qua sopienda nunc agitur, parti alterutri competentes, de omnibus huiusmodi dominus papa partes debet audire de iure et easdem concordia, si inter partes intervenire potuerit, alioquin iudicio terminare. De hiis autem castris, villis et aliis immobilibus, que in guerra predicta pars alterutra occupavit, que quidem tempore mote guerre minime possidebat, audito iure partium sine figura iudicii et de plano precise stabitur domini pape mandatis sicut et de aliis dampnis datis.

¹⁸⁸ D. 46.1.26 = C. 4.18.3. Als Vorlage diente vermutlich Inst. 3.20.4.

¹⁸⁹ D. 45.2.

¹⁹⁰ Nov. 4.

Clemens IV. an König L(udwig IX.) von Frankreich: teilt ihm mit, daß er sich über die Entwicklung im Königreich Sizilien, in Tuszien und hinsichtlich des (Markgrafen Oberto) Pelavicino freue, daß er sich über England, Spanien, Deutschland und das Heilige Land aber noch Sorgen mache; mit den Maßnahmen (König Karls I. von Sizilien) in dessen Reich sei er nicht vollauf zufrieden.

1266 Juni 14, Viterbo

Carissimo in Christo filio L(udovico) regi Francie illustri.

Quod de statu nostro certificari desideras, ascribentes prescripte hactenus caritati acceptum habuimus et habemus tue serenitati breviter rescribentes, quod *homo noster exterior, licet cotidie corrumpatur*, satis tamen se habet melius, quam meruerit, iuxta nostre condicionem etatis, quam multis circumveniri oportet incommodis multisque molestiis atteri, cum sit prope interitum, quod senescit. Sane homo noster interior inter diversa fluctuans, nunc videns prospera nunc adversa trahitur et distrahitur et angustiis multis premitur, sed in eo figit *anchoram spei sue*¹⁹¹, qui sperantes in se non deserit et humano consilio destitutos, cum prostrati putantur, elevat merentes erigens sospitate.

Ecce per Dei gratiam regnum Sicilie redivivum nuper a mortuis resurrexit. Ecce Tuscia, ecce Pelavicinus marchio cum Cremonensibus et Placentinis et aliis partis sue nobilibus ad ecclesie rediere mandata, de quorum constantia licet tenuem afferat confidentiam status preteritus eorundem. Quia tamen non est nostrum iudicium de occultis, aperuimus cum gaudio gremium redeuntibus et *gaudentibus angelis de unius penitentia peccatoris*¹⁹² in conversione tot milium congaudemus. Verum in nobis hanc quantumlibet magnam letitiam interruptit periculosus status Anglie, periculosus Yspanie, periculosus Germanie, periculosior Terre Sancte, sicque risus dolore miscetur, sic extrema gaudii luctus occupat, ut flere libeat, gaudere vix liceat, quamquam alternis vicibus tam lacrimis quam letitie contingat et oporteat nos vacare. Ceterum scire tuam volumus magnitudinem, quod, quamvis regnum nobile plenum deliciis et divitiis acquisierit frater tuus, timemus plurimum, ne segnius, quam oporteat, terram custodiat acquisitam. Multos enim abire permisit, quos fuisset expediens tenuisse, qui, sicut teneri non poterant sine donis, sic libenter astitissent eidem feudis decentibus honorati. Nec credas, quod nostra defuerit ammonitio, quam utique et per litteras ei misimus et in ore posuimus magnorum et fidelium nuntiorum.

Tu igitur, fili carissime, ex premissis potes colligere statum nostrum, quem sicut prosperum scire desideras, sic nos tuum, quem conservet Altissimus et ad meliora promoveat nunc et in tempora longiora.

Datum Viterbii, XVIII Kalendas Iulii, anno II.

Clemens IV. an den Prior der Dominikanerprovinz der Provence: gebietet ihm, einige Dominikanerbrüder aus Marseille wegen ihrer Vergehen gegen den Franziskanerinquistor Maurinus aus der Ordensprovinz auszuweisen.

1266 Juni 16, Viterbo

¹⁹¹ Hebr. 6,18–19.

¹⁹² Luc. 15,10.

Dilecto filio priori provinciali Fratrum Predicatorum Provinciae vel eius locumtenenti.

Graves fratrum tuorum excessus, Benedicti scilicet et subprioris domus ordinis tui Massiliensis ac Iohannis Guidonis de conventu eiusdem, in fratrem Maurinum de ordine Fratrum Minorum inquisitorem heretice pravitatis in certis regionibus diligenter et attente discussimus, quos eo gravius tulimus, quo plurimum ministrarunt materiam scandalorum. Quis enim admirari sufficiat Benedictum predictum in tam illicitam prorupisse licentiam, ut coram populo Massiliensi publice convocato sub multorum prelatorum ac clericorum presentia dictum fratrem Maurinum diversis affecerit contumeliis nec religioni deferens nec officio nec proprii etiam ordinis honestati? Quis postremo non stupeat predictos alios duos fratres tam insolite presumptionis audacia contra fratrem eundem absentem et a nullo citatum iudice testes procurasse produci super non levi crimine, sed gravissimo coram laico nullam penitus potestatem habente? Sane, quanto sincerius ordinem tuum diligimus, tanto durius perturbamur, cum ab illis polluitur, qui profitentur eundem, quos si tu, prior, sicut debueras, inter ipsa temeritatis initia correxisses, profecto *perdito nomine Babilonis nec germen nec progenies nec reliquie*¹⁹³ tam dampnabiliter processissent, non fratres in fratres exacuissent ut *gladios linguas suas*¹⁹⁴ versi in cleri fabulam, derisum populi et contemptum.

Verum, licet tribus predictis fratribus tui ordinis iniungi penitentiam salutarem fecerimus, sed occultam, volumus nichilominus et tibi in virtute obedientie firmiter precipiendo mandamus, quatenus dictum fratrem Benedictum in provinciam Francie et duos alios in provinciam Narbonensem mittere non postponas, postquam illa compleverint, que eisdem per venerabilem fratrem nostrum Aquensem archiepiscopum iniungentur, dictoque fratri Benedicto inhibeas, ne in partem aliquam tue provincie infra triennium veniat, dictisque duobus aliis fratribus, ne Narbonensem provinciam exeant infra idem triennium, auctoritate nostra districtius interdicas. Quod si tuum, immo nostrum interdictum huiusmodi violaverint, in eos exnunc excommunicationis sententiam promulgamus, quam tu eis cum exhibitione presentium coram fratribus tuis X ad minus insinues sic singula, que premisimus, peracturus, ne, quod absit, te hactenus a negligentia non immunem de inobedientia quanto iustius tanto severius arguamus.

Datum Viterbii, XVI Kalendas Iulii, anno II.

206.

Clemens IV. an Kaiser B(alduin II.) von Konstantinopel: antwortet auf seine Glückwünsche zur Eroberung des Königreichs Sizilien und hofft auf eine günstige Entwicklung der Lage im Lateinischen Kaiserreich

1266 Juni 16, Viterbo

Carissimo in Christo filio B(alduino) imperatori Constantinopolitano illustri.

Commune gaudium Deum amantium si te, ut asseris, propter Deum et in Deo letificat, reddis te commendabilem in hac parte, quamvis olim notatus fueris, quod cum hoste pestifero nunc prostrato fedus contraxeras amicitie nec Deo nec hominibus gratiosum. Sane, si spondent nobiles, si potentes auxilium ad negotium Romanie, divino muneri congaudemus Dei clementiam deprecantes, ut illorum confirmet consilium ad sui exaltationem honoris. Nos enim illorum promovere

¹⁹³ Isai. 14,22.

¹⁹⁴ Ps. (G) 63,4.

propositum eo possumus confidentius, quo regni Sicilie acquisitio ad inimicos ecclesie proster-
nendos ex omni latere expeditius iter parat, licet, quod implicas, de Theutonie Anglieque subsi-
diis locum hoc tempore sibi non vendicet terris ipsis et adiacentibus intestinis periculis involutis,
sed speramus in Domino, quod assumentibus dictum negotium ad honorem et gloriam sui no-
minis manum Deus non subtrahet adiutricem.

Datum Viterbii, XVI Kalendas Iulii, anno II.

207.

Clemens IV. an O(ttobono Fieschi,) Kardinaldiakon von Sant'Adriano, apostolischer Legat: fordert ihn auf, seine Aufgaben (in England) trotz aller Behinderungen fortzuführen.

1266 Juni 15, Viterbo

Dilecto filio O(ttobono) sancti Adriani diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Dum tuum ac commissi tibi negotii statum dubium per tuas litteras intelligimus et relatu percipimus aliorum, mens nostra rapitur in diversa, et, quid e duobus eligere deceat vel expediat, dubitamus. Patet siquidem universis, quod hoc tempore terram deseri, quam eandem reformaturus intrasti, nichil aliud esset penitus nisi totum everti negotium, regem, reginam ac liberos tradi morti et ecclesie Romane feudum tam nobile sine spe qualibet recuperationis amitti. Rursum te satis pavidum, ut videtur et in castrum receptio, quod inhabitas, attestatur, exponere mortis discrimini vel confusionis extreme non paternum in nobis sapere videtur affectum, sed crudelitati potius ascribetur a multis. Sane, si veritatem sequimur scripturarum, ubi persecutio gravis urget, si persona queritur, dicimus persecutioni cedendum. Si fides impetitur, si iustitia impugnatur, non est fuge captandum presidium, sed veritas tunc instantius predicanda, ne nautam arguat recto iudicio deserta navis in tempore tempestatis. Quod si quis dixerit nautis hanc inesse prudentiam, ut naves deserant, quas salvari non posse perspiciunt, malintque sine ipsis proprie saluti consulere quam cum ipsis pari discrimini subiacere, nobis superest hec responsio, quod navis Symonis in hoc differt ab aliis, quod quantiscumque fluctibus agitata finale naufragium non formidat.

Inter hec igitur tibi, fili, te ipsum committimus. Ipse respice, ipse iudica, quid tibi faciendum immineat, quid vitandum. Si terram deseris et sinistrum, quod absit, emergat, tibi totum ab omnibus imputabitur, sed, qui omnia novit, Deus, et in sua dispositione non fallitur, tecum aget, prout merueris, patiens et misericors, iustus tamen. Si manseris et profeceris, cedet tibi ad meritum, nobis tuisque fratribus ad gloriam et honorem. Si manseris et defeceris, aderit tibi Deus, et, *cum te forsan consumptum putaveris, velut lucifer orieris*¹⁹⁵. Demum non te in partem alterutram moveant verba nostra contra propriam conscientiam. Magis enim diligentia scribimus quam urgentia. Tu vero in igne positus vim flammaram experientie magisterio melius scire potes quam nos, qui longe positi ea forte confidentia de pressuris loquimur alienis, qua *de ieiuniis disputat venter plenus*¹⁹⁶.

Ceterum illud scias, quod ad omnes litteras, quas diversis nobis temporibus destinasti, plene tibi respondimus. An ad manum tuam pervenerint, ignoramus. Episcoporum autem negotia suspendimus, donec de statu tuo et regni plenior certitudinem habeamus.

Datum Viterbii, XVII Kalendas Iulii, anno II.

¹⁹⁵ Iob 11,17.

¹⁹⁶ Hier. epist. 58,2, ed. Migne PL 22, Sp. 580.

Clemens IV. an S(imon de Brion,) Kardinalpriester von Santa Cecilia, apostolischer Legat: äußert seine Befürchtungen wegen der Wahl zweier römischer Senatoren und bittet ihn um Hilfe; unterrichtet ihn, daß sich (Markgraf Oberto) Pelavicino, Cremona und Piacenza der Kirche unterworfen hätten; (Giangaetano Orsini,) Kardinaldiakon von San Nicola in Carcere Tulliano, sei von seiner Krankheit genesen.

1266 Juni 15, Viterbo

Dilecto filio S(imoni) tituli sancte Cecilie presbytero cardinali, apostolice sedis legato.

Ecce Roma sue reddita libertati in sua conversa iam viscera nescit ordinem, nescit legem. Duo facti sunt senatores. Predones et fures intus et extra libere debacchantur. Angimur igitur ab eisdem, precipue propter debita, que tu nosti et pro quibus obligate possessiones ecclesiarum Urbis existunt. Et, nisi subvenias, ad casum labimur graviorem. Si qua ergo tibi compassio, si qua viscera pietatis, patri subveni, matri succurre et *de ore leonum nos libera rugientium*¹⁹⁷. Succedent enim prospere universa, si factum istud fuerit expeditum. Pelavicinus cum Cremona, Placentia et nobilibus pluribus mandata nostra sine condicione qualibet iuraverunt. Dilectus filius noster I(ohannes) sancti Nicholai in Carcere Tulliano diaconus cardinalis gravem et prolixum passus languorem per Dei gratiam iam convaluit extra periculum constitutus.

Datum Viterbii, XVII Kalendas Iulii, anno II.

Clemens IV. an O(ttobono Fieschi,) Kardinaldiakon von Sant'Adriano, apostolischer Legat: gebietet ihm, die Wahl des Wilhelm von Marlborough zum Abt des exemten Klosters Evesham zu bestätigen.

1266 Juni 18, Viterbo

Dilecto filio O(ttobono) sancti Adriani diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Olim nobis in minori officio constitutis post susceptam legationem in Angliam felicitis recordationis Urbanus papa predecessor noster suis nobis commisit litteris examinationem dilecti filii Guillelmi de Maleberge in abbatem monasterii de Evesham ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis electi ac confirmationem eiusdem, si personam inveniremus idoneam ad huiusmodi regimen abbacie, sed precluso nobis per Anglicos legationis ingressu et obitu superveniente mandantis explere nequivimus, quod iniunctum nobis extiterat ab eodem. Compatientes igitur eiusdem calamitatibus et pressuris, angustiis etiam et omnibus, quibus causis ex variis dicitur pregravatum, discretionis tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, cum electionis forma tamquam canonica ab eodem predecessore nostro fuerit approbata, tu personam examinans, si sufficientem inveneris et idoneam, electionem de ipsa factam auctoritate nostra confirmans munus ei facias benedictionis impendi iuramento ab eodem electo recepto iuxta formam, quam sub bulla nostra tibi mittimus interclusam. Alioquin eadem electione cassata de persona idonea, si in ipso fuerit monasterio aut, si ibi reperta non fuerit, aliunde, eidem monasterio studeas providere. Forma autem iuramenti, quam ipse *et cetera*.

Datum Viterbii, XIII Kalendas Iulii, anno II.

¹⁹⁷ 1. Petr. 5,8, Ps. 21,22.

Clemens IV. an (Raoul Grosparmi,) Kardinalbischof von Albano, apostolischer Legat: teilt ihm Anweisungen und Informationen zur Wiederherstellung geordneter Rechtsverhältnisse im Königreich Sizilien mit.

1266 Juni 21, Viterbo

Episcopo Albanensi, apostolice sedis legato.

Casertanum et Acerrarum comites vidimus et recepimus non ut comites, sed ut vere vel fecte conversos, quamquam de comite Casertano propter matris devote consilium opinio melior habeatur. Ammonitionem eis fecimus salutarem, sed nichil iniunximus ex imperio, ignari siquidem, quid eis precipere deberemus. Tua vero fraternitas animose procedat et personis ecclesiasticis ablata reddi faciat, nisi forsitan amicabilem convenerint cum eisdem. Et ne oblivioni dederis venerabilem fratrem nostrum episcopum Aquinatum. Ammonitionem abbatis sancti Petri de Ara gratam habemus et ratam. Provide monasterio eius diffugio non obstante. De episcopis infelicibus, qui misericordiam nostram expectant, magnum macellum exigentibus eorum meritis in proximo faciemus. Provisionem in tua legatione vacantium ecclesiarum cathedralium, quarum numerum nobis scribes, nobis duximus reservandam. In vacaturis autem tam cathedralibus quam aliis collegiatis ecclesiis earundem capitulis et conventibus eligendi liberam reddimus facultatem, nisi specialiter eam nobis duxerimus reservandam. Sane de clericis concubinariis, quorum premeris multitudine, certum tibi non possumus dare consilium, sed credimus expedire, quod aliquos et non paucos a beneficiis prorsus amoveas, illos precipue, qui diutius et impudentius deliquerunt et quorum pena maioris esse terroris poterit et exempli, quos, etiamsi dispensatione indigent, longa tenere te convenit expectatione suspensos. Et cum aliis misericorditer agere poteris, sic tamen, ut ecclesias non retineant propter scandalum, in quibus publice peccaverunt. Sed, cum multas vacare oporteat per alternam translationem rectorum, prout tibi videbitur, consuli poterit talium paupertati. Porro, cum intellexerimus, quod carissimus in Christo filius noster C(arolus) illustris rex Sicilie, quem per litteras et per nuntios sepe direximus in agendis, sua nimis proroget parlamenta non sine plurimorum dispendio, quorum petitiones varie pariter protrahuntur, processus tuos sub spe huiusmodi ultra ne protrahas, cum perpendere satis valeas, quo proposito seu quo fine oppressorum negotia protelentur. Demum preces multas recipere et a multis te credimus et pro multis, quas, si sane intelligis, uno loquendi genere satis potes et debes credere pretiosas, sed nullius tibi sint pretii, sicut Dei gratiam caram habes et nostram. Et in tuam excusationem pretendas id a nobis tibi prohibitum, si vereris faciem aliorum.

Datum Viterbii, XI Kalendas Iulii, anno II.

Clemens IV. an Bischof (Guillelmus de Grez) von Beauvais: weist seine Beschwerde zurück, daß er über Gebühr in die Ämterbesetzungen an seiner Kirche eingegriffen habe.

1266 Juni 22, Viterbo

Episcopo Belvacensi.

Tue litteras fraternitatis accepimus genus mirabile querimonie continentes, tamquam te gravaverimus pro personis preces aliquibus porrigendo nudas prorsus et simplices, cum nec unam in

tua ecclesia prebendam dederimus nec litteras monitorias vel executorias pro eadem. Sane venit et rediit per nos ille gloriosus exercitus, quem sic Dominus honoravit, ut elatam ad nubes superbiam hostis publici in eorum manu prosterneret in momento, et, si factum diligenter attenderes, deberes potius admirari, quod centum prebendas in diversis ecclesiis cum litteris urgentissimis ad petitionem non dedimus redeuntium, quam quod tibi preces porreximus pro duobus. Fateris nichilominus, quod dedisti principibus, et de rogante conquereris, qui suum a te postulat et non tuum. Non sic tecum, ut credimus, in hoc casu nostri predecessores egissent, non sic aget fortasse successor, sed moris est multis portare levius ex imperio procedentes quam in sua simplicitate benivola precibus insistentes, quamquam eas condiciones tacite committentur, si persona videlicet, pro qua fuerit, id meruit, si ecclesie id exposcit utilitas, si ius alterius non offenditur, si profecto melioris provisio non tardatur. Verum de prebenda nostro, ut asseris, collata nepoti fixum habeas, quod de nostra factum non extitit conscientia, quod si facere legato placuit, ut et licuit, res non magni favoris extitit, si luctari contra iustitiam voluisti, sed id ipsum, ne parvipendere videamur, gratiarum prosequimur actione. Ceterum tuas et tue pressuras ecclesie, quas scripsisti, quarum aliquas dudum novimus, diligenter evolvimus et querelis generalibus expeditis, quas nobis dilectus filius archidiaconus Parisiensis et Iacobus Belvacensis canonicus obtulerunt, super illis, que tuam singulariter tangunt et angunt ecclesiam, de fratrum nostrorum consilio omne remedium, quod honeste poterimus, apponemus.

Datum Viterbii, X Kalendas Iulii, anno II.

212.

Clemens IV. an den Franziskanerbruder Roger Bacon; gebietet ihm, eine Handschrift zu schicken.

1266 Juni 22, Viterbo

Dilecto filio fratri Rogerio dicto Bacon ordinis Fratrum Minorum.

Tue devotionis litteras gratanter recepimus, sed et verba notavimus diligenter, que ad explanationem earum dilectus filius G(uillelmus) dictus Bonecor miles viva voce nobis proposuit tam fideliter quam prudenter. Sane, ut melius nobis liqueat, quid intendas, volumus et tibi per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatenus non obstante precepto prelati cuiuscumque contrario vel tui ordinis constitutione quacumque opus illud, quod te dilecto filio Raymundo de Lauduno communicare rogavimus in minori officio constituti, scriptum de bona littera nobis mittere, quam citius poteris, non omittas et per tuas nobis declares litteras, que tibi viderentur adhibenda remedia circa illa, que nobis nuper esse tanti discriminis intimasti, et hoc, quanto secretius poteris, facias indilate.

Datum Viterbii, X Kalendas Iulii, anno II.

213.

Clemens IV. an (Bartholomäus von Breganze), Bischof von Vicenza; fordert ihn auf, sein Amt gegen alle Widerstände weiterzuführen; dankt ihm für die Übersendung eines Buches.

1266 Juni 22, Viterbo

Episcopo Vincentino.

Consideratis omnibus, que scripsisti, prout in te varie sibi cogitationes succedunt et in diversa mens rapitur, consultius tibi credimus *inter maris elationes mirabiles*¹⁹⁸ fluctuanti *inundationes eius quasi lac sugere*¹⁹⁹ et de celo auxilium prestolari quam dimisso navis regimine eam ventis exponere cum tuorum discrimine subiectorum, nec nos movet, quod interdum tuo iudicio *litus aras*²⁰⁰, dum auditoribus predicas obstinatis. Huiusmodi quidem sermonis veritas ab illa parabola multum discrepat, que profectum extollit *seminis etiam inscio seminante crescentis*²⁰¹. Sic et debes presumere, quod et proficit sermo tuus, cum eundem quandoque iudicas otiosum, qui tamen, etsi in aliis non proficeret, tibi saltem fructum salutis acquirit, dum, quod tuum est, faciens mereris premium de contingentibus nil omittens.

Librum vero, quem nobis misisti, letanter recepimus. Magne quidem instructionis est nobis, nec quicquam gratius mittere potuisti. Hanc enim ab olim gratiam contulit nobis Dominus, ut semper discere voluerimus, semper nobis accepta fuerit eruditio sapientum. Demum secretum tuum legimus, quod non credimus publicandum, nisi forsan alicui vel aliquibus id pro certo crederes profuturum vel in mortis articulo vel in vita. Vel, si publice crederes expedire, iuxta Moysi et Iohannis exemplum de te caute quasi de alio loquereris. Carus es nobis, et parati ad ea, que tibi prosint et placeant, nos tuis orationibus commendamus.

Datum Viterbii, X Kalendas Iulii, anno II.

214.

Clemens IV. an Prior und Lektor der Dominikaner sowie an Guardian und Lektor der Franziskaner von Montpellier: gebietet ihnen, im Konflikt zwischen den Dominikanern und den Franziskanern der Kirchenprovinz Arles für Wiedergutmachung zu sorgen.

1266 Juni 24, Viterbo

Dilectis filiis priori et lectori Fratrum Predicatorum, gardiano et lectori Fratrum Minorum in Monte Pesulano morantium.

Egre ferimus et amaro admodum animo recensemus, quod a multis nuper accepimus, quosdam scilicet ex vestris fratribus in tam illicitam prorupisse licentiam, ut invicem se occulte mordere et, quod est gravius, etiam in sermonibus ad clerum habitis vel ad plebem verba effundere presumpserint detractoria in alterutro vestrorum ordinum non levem infamiam et certarum nichilominus personarum. Ut igitur extingatur in posterum seminarium tanti scandali et inter vos fraterna caritas, prout decet, conservetur et maneat illibata, devotioni vestre per apostolica scripta firmiter precipiendo mandamus in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus, si quos ex utroque vel altero vestrorum ordinum fratres in Carcassonensi et Bellicadri senescalliis vel Provincie et Folcalquerii comitatibus, Arelatensi etiam et Avinionensi civitatibus et alibi in Arelatensi provincia reos esse noveritis in predictis, eos ad satisfaciendum personis et ordini, quos verbo scandalizarunt vel facto, eo modo, quem honestiorem esse videritis, efficaciter

¹⁹⁸ Ps. (G) 92,4.

¹⁹⁹ Deut. 33,19.

²⁰⁰ Ov. epist. 5,116.

²⁰¹ Marc. 4,26–27.

inducatis. Et, si qui ex eis se vestre ordinationi pertinaciter opposuerint, exercendi in eos censuram ecclesiasticam ipsorum ordinum vel alterius eorum privilegiis non obstantibus tenore presentium vobis concedimus facultatem.

Datum Viterbii, VIII Kalendas Iulii, anno II.

215.

Clemens IV. an S(imone Paltinieri,) Kardinalpriester von San Martino, Rektor der Mark Ancona und des Herzogtums Spoleto, apostolischer Legat: gebietet ihm, ungeachtet der ablehnenden Haltung des Kardinalskollegiums dem Adeligen (von Rimini), Malatesta (da Verucchio), Geld anzudeisen; empfiehlt, sich bei den ausstehenden Zahlungen der Stadt Ancona vorerst mit einem Teilbetrag begnügen.

1266 Juli 4, Viterbo

Dilecto filio S(imoni) tituli sancti Martini presbytero cardinali, Marchie Anconitane et ducatus Spoleti rectori, apostolice sedis legato.

Dilecti filii viri nobilis Malateste et plurium aliorum de Marchia petitiones accepimus, sed eas nequivimus exaudire, cum de comitatibus, castris et terris aliis ageretur, que nec danda nec confirmanda duximus fratrum concordia consilio repugnante. Verum, quia dictus nobilis familiariter nobis exposuit gravatum se debitis et oneratum expensis, que per nos petiit aliquatenus relevari, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, quamprimum poteris, sexcentas libras Ravennatenses des ei nostro nomine tam secreta, ut te et ipso dumtaxat consciis ad aures non transeat aliorum. Demum circa factum Anconitarum legem tibi non ponimus, sed videtur nobis et aliquibus conscientiam sanam habentibus, quod, cum ab eis X milia librarum habueris, decet et expedit exactionem residui in suspenso manere, donec plenius videamus, quid futura pariant tempora, que ex causis latentibus adhuc credimus estimanda suspecta.

Datum Viterbii, IIII Nonas Iulii, anno II.

216.

Clemens IV. an die Frati Gaudenti Loderengo (degli Andalò) und Catalano (dei Malavolti), Rektoren, sowie an Rat und Kommune von Florenz: erlaubt ihnen, die Bevölkerung in der Stadt, nicht aber jene außerhalb zu besteuern; gebietet ihnen, alle bewaffneten Deutschen aus der Stadt zu vertreiben.

1266 Juli 5, Viterbo

Dilectis filiis fratribus Lotheringo et Cathalano ordinis Militie Virginis Gloriose rectoribus, consilio et communi civitatis Florentine.

Certificati per vestras litteras de reddituum paucitate, qui Florentine perveniunt civitati, discretionem vestram tenere volumus de beneplacito nostro esse, quod pro vestris et vestrorum officialium ac ambassiatorum expensis necessariis et honestis ac castrorum et civitatis honesta custodia collecte civibus interioribus imponantur iuxta vestre prudentie moderamen, sed exterioribus in hoc tempore nichil volumus prorsus imponi, cum satis alias sint afflicti. Sane, quia nec nostre nec vestre convenit honestati nostros et fidei inimicos in vestra civitate teneri dignosque

supplicio ditari stipendiis et infideles obsequiis fidelium honorari, universitati vestre per apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatenus omnes Theutonicos ibidem in armis morantes aut consuetos morari tamquam perfidos et excommunicatos ac persecutores ecclesie manifesto licentietis et a vobis abiciatis omnino ita, quod nec in civitate vestra remaneant nec etiam in districtu nec in vestris stipendiis alibi ubicumque. Et hoc vobis fratribus in virtute obedientie et civibus in virtute precipimus de parendo mandatis nostris prestiti iuramenti vestram per hoc providentiam non artantes, quominus per viros catholicos et fideles ac communionem et gratiam apostolice sedis habentes civitatem vestram faciatis, ut expedierit, custodiri.

Datum Viterbii, III Nonas Iulii, anno II.

217.

Clemens IV. an König (Jakob I.) von Aragon: freut sich über die Rückeroberung von Murcia; mahnt ihm, seine Geliebte zu verlassen.

1266 Juli 5, Viterbo

Carissimo in Christo filio regi Aragonum illustri.

Datam tibi de celo victoriam, quam tuis litteris et tui destinatione vexilli nostris et fratrum nostrorum auribus simul et oculis iniecisti, cum multa cordis exultatione recepimus ei, qui bella conterit et *cornua peccatorum confringit*²⁰², grates debitas exsolventes, qui te sue militie magistrum eligens, inimicos fidei christiane olim in tuis frontariis tua manu pessundans, nunc in terminis etiam alienis Murciam famosam satis inter alias civitates tua cura, tua industria, tuo studio, tua potestate perdomuit et ad carissimi in Christo filii nostri illustris regis Castelle dominium, a quo presumpta recesserat rebellione, reduxit. Sane, quanto victoriosior existis in preliis, tanto humilior esse debes in ceteris, ut divino nomini soli debitam tibi gloriam non ascribas, quoniam in hoc te glorie proprie non deceat zelatorem, ut tecum pugnantem Dominum non impugnes et, qui hostes exteriores superas, ab interioribus minime supereris. Quid enim prodest reges in campo prosternere et ab ancilla vel servo in domo viliter subiugari? Hoc scribimus, fili carissime, quia, quod egre ferimus, tantorum victor hostium a propria carne sic vinceris, ut divino timore postposito illicitam tibi copulam non tue statuens mulieris cum multo scandalo et multorum circumducas adulteram et incestu cumulans adulterium graviter oculos divine maiestatis offendas. O quantam in tua gloria ponis maculam, o quantum sanguini tuo detrahis, quantum honori derogas regie maiestatis, quanto te demum exponis discrimini vivens sub sorte misera, captivatus a muliercula et velut bos ductus ad victimam trahi ad inferos te permittis. Quid tibi proderunt tue victoriae, quid triumphi, quid sanguis regius, quid potestas, si velut *iumentum in tuis fecibus computrescis*²⁰³? Scito, quesumus, et considera, quoniam *advesperascit et inclinata est amodo tibi dies*²⁰⁴ curisque cum ceteris ad finem inevitabilem, quem prefinivit Dominus omni carni. Nec te decet extrema polluere vite tue, quam nisi exitus honoraverit impollutus, ad regnum attingere numquam poteris, in quod nichil coinquinatum incurrit. Quocirca obtentu veteris amicitie et paterne compassionis affectu serenitatem regiam monendam duximus et hortandam, quatenus *ad cor rediens*²⁰⁵ te ipsum contra faciem tuam statuas et, quod inconsulte fecisti, consilio revocans saniori

²⁰² Ps. (G) 74,11.

²⁰³ Ioel 1,17.

²⁰⁴ Luc. 24,29.

²⁰⁵ Isai. 46,8.

mulierem mecham abicias, immo nequam, ut tam salubriter quam pudice in bono compleas dies tuos et de regno, quod obtines, temporali ad regni gloriam venias sempiterni.

Datum Viterbii, III Nonas Iulii, anno II.

218.

Clemens IV. an (Giangaetano Orsini,) Kardinaldiakon von San Nicola in Carcere Tulliano: gebietet ihm, das Testament des römischen Adligen Ricardus Petri auszuhändigen, damit die darin enthaltene Verfügung über das Kastell Collenero erkenntlich werde.

1266 Juli 8, Viterbo

Dilecto filio I(ohanni) sancti Nicholai in Carcere Tulliano diacono cardinali.

Dudum tibi de subscripta materia scripsissemus, si fuisset expediens tuo statui tristia nuntiari, sed, quia credebamus contrarium, cum tuis egimus, quod tecum rectius actum esset. Cum enim ad nostrum pervenisset auditum cives Romanos nobiles Ricardum Petri et Petrum Ricardi tuos sororium et nepotem carnis commune debitum exsolvisse et propter hoc castrum Collis Nigri, quod ad vitam tantum habuerant, prout loci dicebant homines, ad Romanam ecclesiam devolutum, nos timentes, ne Romanorum audacia dictum castrum violenter intraret, unum ex nostris misimus capellanis, qui nostro nomine dicti castri possessionem accepit nobis vel ei, qui ius haberet, in eo pacifice conservandam. Sane postmodum intellecta veritate negotii et, quod dictus tuus sororius rite condiderat testamentum, in quo anime sue consulens iura Romane ecclesie declaraverat, que diu fuerant occultata, quin a nobis possessio peteretur nunc pro sorore tua, que pregnans dicitur, nunc pro filia testatoris, nos demum ad petitionem dilecti filii viri nobilis Neapoleonis fratris tui in manu dilecti filii nostri I(ordani) sanctorum Cosme et Damiani diaconi cardinalis castrum dictum posuimus, quod utique posuissemus in tua, sicut et tunc aperte diximus, si tibi tunc loqui de talibus licuisset, nec credas contra ius aliquid nos fecisse. Vacantem enim possessionem accepimus, quam, etiamsi fuisset proprietas testatoris, donec nascatur postumus, qui a patre dicitur institutus, vel, quod absit, alium finem habeat, filie tradere minime debemus. Sed nec pro tua sorore petita fuit legitime nec testamentum videre potuimus sepius requisitum, ut ex ipso possemus instrui, que deberet provisio fieri, predicto postumo sive matri. Cum igitur minime dubitemus, quin tibi sit cordi et anime defuncti consulere et iura nostra, que lacerata sunt, in Sabinia conservare, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus dictum testamentum, quod scripsit Iohannes Gregorii scriniarius, assignari tibi et nobis exhiberi procures. Nosque de tuo consilio, iuxta etiam votum tuum de ipso castro et eius pertinentiis taliter ordinabimus, quod nec tuo detrahetur honori nec tuorum iustitia deperibit.

Datum Viterbii, VIII Idus Iulii, anno II.

219.

Clemens IV. an S(imone Paltinieri,) Kardinalpriester von San Martino, Rektor der Mark Ancona und des Herzogtums Spoleto, apostolischer Legat: er lasse sich von den Klagen aus Ancona, Fermo und Urbino nicht bewegen; läßt ihm freie Hand hinsichtlich des Baus von Befestigungsanlagen in Fossombrone.

1266 Juli 10, Viterbo

Dilecto filio S(imoni) tituli sancti Martini presbytero cardinali, Marchie Anthonitane et ducatus Spoleti rectori, apostolice sedis legato.

Plus, quam multis placuerit et forsitan adhuc placeat, tibi detulimus, et nichilominus scribis nobis quasi vir pavidus, acsi nostram timeas inconstantiam, quam tamen hactenus non probasti, immo verisimiliter extimare potes et debes, quod, qui clamores Anthonitanorum, Firmanorum tonitrua et aliorum plurium verba comminatoria non timuimus, ad voces non movebimur Urbinatum. Fac ergo viriliter, quicquid tibi faciendum incumbit, sub iustitie tamen regula, cum iratus fueris, misericordie reminiscens. Nos enim pro te stabimus, sicut et stetimus, quantumcumque patietur honestas. De fortalicia apud Forosimphronium facienda tu magis scire potes, quid deceat, quid expediat, et id tue committimus voluntati. Hoc dumtaxat attendas, quod possit perfici et facta utiliter custodiri.

Datum Viterbii, VI Idus Iulii, anno II.

220.

Clemens IV. an den Abt von Saint-Jean-d'Angély: erteilt ihm Anweisungen zur Bezahlung seiner Schuld.

1266 Juli 11, Viterbo

Dilecto filio abbati monasterii sancti Iohannis Angeliacensis.

Si melius estimas Deo et eius vicario complacere, que recta sunt, consulendo quam aliorum favorem querere, qui, ut de circumstantiis non loquamur, ducuntur proprie beneplacito voluntatis, facile timorem abicies, qui tibi sine culpa videtur incuti et etiam sine causa. Nec caret admiratione condigna, quod, qui in talibus apud nos precibus nichil possunt, credunt in locis obtinere remotis, quod a nobis denegatur expresse, presertim cum sciant venerabilem fratrem nostrum R(adulfum) Albanensem episcopum ea nobis affectione coniunctum, ut patri debitam reverentiam non ignorans sciat utique, quid veteri debeatur amico, quid apostolice sedis honori, que, si suos contemptus in hoc tempore vindicare neglexerit, multis dabit audaciam committendi similia vel peiora. *Finem ergo loquendi* recole: „*Deum time et mandata eius observa, hoc est etenim omnis homo*²⁰⁶.“ Verum super tuo debito, de quo scribis, licet olim sponderimus, quod scripsisti, mutavimus tamen sententiam, ut parati ad detrahendum aliqui nichil possint invenire, quod mordeant in eiusdem fratris nostri processibus, nec maculam possint ponere in tante gloria puritatis. Faciemus ergo Franciscum quiescere et datum tibi solutionis terminum prorogare, quod si non faceret, debitum persolvemus, et idcirco non timeas iuramentum. Tu vero cogita, si de tui monasterii prioratibus vacaturis duobus aut tribus retinendis ad tempus tibi consuli bonum esset, vel legationis finem expecta vel, si forsitan honestum aliquod emolumentum ob aliquorum reatum in eadem emergat, unde tibi valeat provideri. Alioquin de nostro servare maluimus te indempnem quam legatum et eius latera peracutis exponere dentibus emulorum.

Datum Viterbii, V Idus Iulii, anno II.

²⁰⁶ Eccles. 12,13.

221.

Clemens IV. an Königin M(argarete) von Frankreich: beruhigt sie in ihren Bedenken wegen der Einsetzung (König Karls I. von Sizilien) in seinem Reich.

1266 Juli 13, Viterbo

Carissime in Christo filie M(argarete) regine Francie illustri.

Inter condiciones ceteras, quibus viro magnifico, quem tu nosti, datus est nobilis principatus, illa pluribus fuit astricta funiculis, quam tua serenitas plus videtur habere suspectam. Unde scire te volumus, quod tanta diligentia tantaque providentia circa illam extitit laboratum, quod nec tibi nec alii superest aliquid ex illa parte timendum. Quod autem de tua littera fecimus, si tibi videbitur, fac de nostra.

Datum Viterbii, III Idus Iulii, anno II.

222.

Clemens IV. an R(aoul Grosparmi,) Kardinalbischof von Albano, apostolischer Legat: empfiehlt ihm den päpstlichen Kaplan Arnulphus, der ins Königreich Sizilien kommen werde.

1266 Juli 15, Viterbo

R(adulfo) episcopo Albanensi, apostolice sedis legato.

Sicut omnes quadam dulcedine natale solum allicere consuevit, sic et terret ad exteras et invisas precipue nationes translatio, nisi forsitan cogat necessitas, quam plerumque sano consilio transfert vir sapiens in virtutem, et ubique sibi Deum adesse confidens patriam sibi iudicat omne solum. Sane dilectus filius Arnulphus capellanus noster ad ea, que nosti, nuper familiariter invitatus a nobis, *spiritum promptum habens, carnem autem infirmam*²⁰⁷ de nostro et dilecti filii nostri G(uillelmi) tituli sancti Marci presbyteri cardinalis beneplacito tuam adit presentiam, ut videat, quod offertur, cum subiecta res oculis reddat fidelius testimonium quam demissa per aures, se fraternitatis tue finaliter, prout credimus et speramus, iudicio pariter et consilio commissurus. Verum, quoniam ex conducto sic ad presens recedit a nobis, ut, si sibi terra non placeat, ad nos redeat gratosus, sic et ipsum ad te transmittimus, ut, si forsitan illic duxerit remanendum, eum benigne promoveas et promotum fulcire non desinas consilio et auxilio oportunis et, si reditum preelegerit, sicut cum nostra sic et cum tua gratia revertatur.

Datum Viterbii, Idibus Iulii, anno II.

223.

Clemens IV. an König K(arl I.) von Sizilien: fordert ihn auf, sich in seinem Reich um Anhänger zu bemühen und sie mit Lehen auszustatten.

(1266 nach Februar 26)

²⁰⁷ Matth. 26,41.

Carissimo in Christo filio C(arolo) regi Sicilie illustri.

Favus paterne dulcedinis erga te, quem anima nostra prediligit, de labiorum nostrorum eloquio cum rore suavitatis emanat, dum ex intimo tibi propinquamus affectu, que tuis inherencia sensibus delectationis augmentum prebeant, fructum salutis germinent et regalis preminentiam nominis sui que magnificos titulos honoris extollant. De plenitudine quidem caritatis talis consurgit affectio mentem patris instantia cotidiana sollicitans, ut amantissimum filium frequenti visitatione letificet ac eum assidue benedictionis aspersione fecundans intenta, vigili et curiosa meditatione provideat, quod laus eius et gloria et apud Deum crescat et in gentibus exaltetur, quod felix status sue celsitudinis preservetur, quod eventus cautela futuros anticipet, ne felicitatis augusta tempora quicquam sub nubilo turbationis vel adversitatis angustet. Profecto, fili carissime, circa conservandam tui status gloriam non indigne pensamus. Tu enim es electus a Domino in sui populi defensionem, tu gentibus, *que ambulabant in tenebris*, serenitatem lucis data tibi divinitus gratia reddidisti, tu quies ecclesie, tu pax fidelium, tu viatorum securitas et tranquillitas regionum. O cum quanta mentis anxietate quesivimus, quam profundis cogitatibus nos et nonnulli predecessores nostri Romani pontifices cum fratribus nostris adhibuimus labores et studia, ut te nobis in adiutorem ipsius ecclesie divina clementia largiretur, quod tuo studio ab innumeris, quibus subiacebat, oppressionibus eadem ecclesia liberata sub gaudio libertatis in Domino respiraret. Et, quia summa providentia nostris desideriis condescendens te nobis pia miseratione concessit tibi que contra hostes de victoria gloriosa providit et regnum Sicilie tuo imperio sic victorioso subiecit, nos et universalis ecclesia tamquam de multiplicium anxietate laborum ad optate quietis votiva solacia redeuntes plenis in Deo nostro gaudiis exultamus in hoc potissime nostrorum plenitudinem cogitatum effundentes, ut sublimia tui solii culmina magnifica semper incrementa suscipiant nullius inquietudinis turbine perturbata.

Videmus igitur multipliciter expedire, ut ad ipsius regni custodiam argumentosa sollertia diligenter intendas, nam, sicut in manu forti extitit acquisitum, sic te non minus forti, sed fortiori decet sollicite custodiri, ad quod oportet et convenit multiplici ratione dexteram regie liberalitatis extendi. Operatus est enim tecum ex alto Dominus et preter communis opinionis iudicium manum gratie celestis aperiens tibi et exercitui tuo extremas quasi patientibus inopias et defectus capite bellatorum prostrato in tuis manibus dictum regnum tam nobile et eius opulentiam inextimabilem cum multis magnatibus et eorum liberis et uxoribus et thesauris sub paucorum dierum brevitate conclusit, quod quadam infert tacita consequentia, ut effundi liberalius, discreto tamen iudicio debeant, que Deo providentia simul ac subito tibi concedenda decrevit. Est et aliud, quod regum precellentia, sicut divitiis affluit, sic ab ipsa requiritur, ut affluentibus liberalitate dispense sue beneficia largitatis. Et est nichilominus advertendum, quod in ipsius acquisitione regni et tui prosecutione regiminis, licet ad omnia te iuste processisse credamus, tamen plurimos offendisti plerique animo tibi sunt hostes et emuli, qui devotum pretendentes aspectum ad tuam offensam forsitan insurgerent, si, quod absit, loci vel temporis oportunitas se offerret. Quid est igitur, quod talibus non pensatis nonnullos ex defectu decentium premiorum abire de tua sequela permittis, quos utiles et valde necessarios tue societati cognoscis? Numquid non merentur consolationis fieri participes, qui penarum et laborum tecum fuere consortes? Numquid tutum reputas, ut solus remaneas inter exterarum nationes, ubi forte plures habes occultos emulos quam amicos? Attende situm, quam obtines, regionis. An enim inter *scorpiones* nunc *habites*²⁰⁸, ignoramus, sed, si latera tua respexeris, hinc Sarracenos, hinc Grecos, hinc civitates maritimas magni nominis, hinc Theutonicos, hinc multos barbaros circumiacere reperies, qui nec te possunt nec tuam diligere nationem.

²⁰⁸ Ezech. 2,6.

Quesumus igitur, ut cumulans tibi potentiam subiectorum tecum plurimos retinere studeas, de quorum probata fidelitate et strenuitate confidis, et etiam de aliis revoces, quos strenuos et fideles tibi que devotos recedere permisisti, nec eisdem bona feuda ac pingua distribuere verearis. Satis enim feliciter abdicantur, que residua maiora conservant, ad quod tui sanguinis exempla te provocant, qui de terris, quas acquisierant, portiones non modicas hiis, qui belli sudores pertulerant, contulerunt. Ne quivis defectus intercidat, quo in eodem regno multis parto laboribus aliquid in tuam contumeliam vel turbationem emergat, sed tamquam rex magnanimus ad Dei laudem et prefati regni munimen liberales manus aperias, nam qui te provexit ad grandia, potens est, ut tuum superexaltet solium et efferat ad sublimioris excellentiam dignitatis.

224.

Clemens IV. an Rat und Kommune von Lucca: mahnt sie, Guido Guerra, Pfalzgraf von Tuszien, die Regierung der Stadt zu übertragen.

1266 Mai 8, Viterbo

Dilectis filiis consilio et communi Lucano.

Quam fideliter, quam constanter dilectus filius noster nobilis vir Guido Guerra comes palatinus Tuscie turbationum tempore se habuerit, que fideles ecclesie multipliciter affligerunt, cum sit notum finitimis et remotis, vobis notius esse potest, inter quos, sicut nostis, diutius conversatus se vobiscum periculis multis exposuit et honorem vestrum, ut credimus, quantum scivit et potuit, procuravit. Sane, cum ad rem publicam gubernandam illi sint aliis preferendi, quorum fides est cognita, quorum industria comprobata, universitatem vestram hortandam duximus et rogandam, quatenus eundem nobilem, quem affectu sincero prosequimur, ad civitatis vestre regimen assumere vobis placeat, qui et utilitati vestre prospicere sciet et poterit, et in apostolice sedis gratia eo propensius conservare, quo in nostris et fratrum nostrorum oculis gratis obsequiis et continuis se magis reddidit gratiosum.

Datum Viterbii, VIII Idus Maii, anno II.

225.

Clemens IV. an O(ttobono Fieschi,) Kardinaldiakon von Sant'Adriano, apostolischer Legat: er habe die Berichte über den Stand seiner Legation in England erhalten; unterrichtet ihn über die Fortschritte König Karls I.) von Sizilien sowie über seine eigenen Erfolge in Mittel- und Norditalien; trägt ihm auf, die Ladung Richards von Cornwall, erwählter römischer König, durchzusetzen, denn in Deutschland werde bereits die Wahl Konradins (von Schwaben) zum König betrieben.

1266 Mai 8, Viterbo

Dilecto filio O(ttobono) sancti Adriani diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Litteras tuas recepimus pluries statum Anglie describentes et has novissime, que multa circa eundem dubia continebant, sed habebant interclusam cedula, que concordie reformande inter regem et maris latrunculos spem aliquam preferebat, sed et processus continebatur in littera, quem habueras contra Londoniensem et Cicestrensem episcopos contra duos alios post Resurrectionem Dominicam processurus. Sane confidimus in Domino et omnipotentia virtutis eius,

quod, qui tibi hactenus astitit, non te deseret in futurum et inchoatum feliciter reformationis terre negotium, ad quam te misimus, licet tua satis amaro animo presentia caruerimus, longe felicius consummabit. Numquam ergo te scandala terreant magna pondere vel multa numero, si te causam non dante consurgant, nam, qui *mari et ventis imperat*²⁰⁹ *fulgura in pluviam faciens*²¹⁰ et *procellam in auram statuens*²¹¹, dabit quieta tempora sublato turbine ac tempestate repressa.

Ecce apud nos ille *maris elationes mirabiles*²¹² siluerunt prostrata superbia, que celum vertice tangere videbatur. Carissimus in Christo filius noster C(arolus) rex Sicilie illustris tenet pacifice totum regnum illius hominis pestilentis cadaver putridum, uxorem, liberos obtinens et thesaurum. Marchia ad nos rediit. Florentini, Pistorienses, Senenses et Pisani ad mandata venerunt. Uberti Pelavicini et Placentinorum habemus nuntios et Cremonensium expectamus, qui volunt facere illud idem, et de Ianuensibus aliquam spem habemus.

Alia tibi non scribimus expectantes Thedisium, quem in proximo scripsisti venturum. Citationem carissimi in Christo filii nostri Ricardi in regem Romanorum electi cum omni diligentia facias. Nam expedit modis omnibus imperii negotium terminari, cum multi laborent ad Corradinum proficiendum eidem, quod, quanti posset esse discriminis, ipse vides.

Datum Viterbii, VIII Idus Maii, anno II.

226.

Clemens IV. an König K(arl I.) von Sizilien: empfiehlt ihm auf Bitten des Patriarchen (Guillelmus) von Jerusalem die beiden gutaussehenden Knappen Rogerius und Grimaldus, die aus ihrem Exil im Heiligen Land zurückkehren wollten.

O. D.

Carissimo in Christo filio C(arolo) regi Sicilie illustri.

Venerabilis frater noster patriarcha Ierosolimitanus Rogerio et Grimaldo regni exulibus nobilibus domicellis de conversatione laudabili eorundem in partibus transmarinis perhibens testimonium nobis recommendavit eosdem et, ut tibi recommendaremus, rogavit. Quocirca tuam rogamus serenitatem attente, quatenus indagata eorum origine et fide parentum pariter et ipsorum, cum persone sint satis amabiles ex aspectu, eis te exhibeas favorabilem, quantum honestas et iustitia patientur.

227.

Clemens IV. an König K(arl I.) von Sizilien: empfiehlt ihm Erzbischof M(atheus de Porta) von Salerno.

(1266 nach Februar 26)

²⁰⁹ Luc. 8,25.

²¹⁰ Ps. (G) 134,7.

²¹¹ Ps. (G) 106,29.

²¹² Ps. (G) 92,4.

Carissimo in Christo filio C(arolo) regi Sicilie illustri.

Accedentem ad tuam presentiam venerabilem fratrem nostrum M(atheum) Salernitanum archiepiscopum natum in regno, probatum in curia, scientia magna peditum et morum honestate conspicuum pro nostra et sedis apostolice reverentia benigne suscipiens fidem ei indubitam habeas super omnibus, que ex parte nostra tibi duxerit proponenda.

228.

Clemens IV. an König K(arl I.) von Sizilien: empfiehlt ihm den Adligen Philippus de Marerio, der sich frühzeitig von Manfred (von Sizilien) abgewendet habe.

(1266 nach Februar 26)

Eidem.

Dilectus filius nobilis vir Philippus de Marerio tamquam ecclesie Romane devotus et regie serenitati fidelis a servitio Manfredi quondam principis Tarentini persecutoris eiusdem ecclesie se retraxit et, priusquam ad partes istas regalis exercitus pervenisset, idem nobilis super excommunicationis sententia, qua pretextu dicti Manfredi tenebatur astrictus, meruit per sedem apostolicam absolutionis beneficium obtinere, nec intelleximus, quod postmodum recidivum passus extiterit adherendo dicto M(anfredo) vel ei favorem aut auxilium impendendo. Unde, cum ipse regia mandata facturus ad presentiam tuam, sicut asserit, venire disponat et nonnullos habeat inimicos, a quibus sibi, cum potentes existant, expedit precavere, celsitudinem tuam rogamus et hortamur attente, quatenus ei de securo conductu provideri facias et alias ipsum, cum tuo se conspectui presentabit, benigne recipias et favore benivolo prosequaris ita, quod in tui aspectus serenitate letatus gaudeat regalem excellentiam sibi propitiam invenisse.

229.

Clemens IV. an Gi(angæetano Orsini,) Kardinaldiakon von San Nicola in Carcere Tulliano: unterrichtet ihn, daß er die (römischen Adligen) Gia(como) und (Matteo Orso Orsini) sowie R., den Mörder des Bussardus, aus der Exkommunikation gelöst habe; er habe ihnen geboten, die Kastelle des Klosters San Paolo (fuori le Mura bei Rom) herauszugeben.

1266 Juli 16, Viterbo

Dilecto filio I(ohanni) sancti Nicholai in Carcere Tulliano diacono cardinali.

Venientes ad nostram presentiam Ia(cobum) Neapolionis et fratrem eius ac R. interfectorem quondam Bussardi de consilio fratrum nostrorum absolvimus iuramentis eorum receptis et fideissoribus idoneis de nostris parendo mandatis super hiis, pro quibus excommunicati erant, et super offensis in nos et te in Sabinia commissis. Ad danda autem mandata non processimus nisi super castris monasterii sancti Pauli, que eidem reddi mandavimus. Super aliis autem, si in adventum suum dilata fuerint, tuum dabis consilium, qui de multis scire poteris melius veritatem. Et, si ante danda fuerint, id nichilominus requiremus.

Datum Viterbii, XVII Kalendas Augusti, anno II.

230.

Clemens IV. an König (Ludwig IX.) von Frankreich: empfiehlt ihm den Kartäuserorden, besonders aber dessen Kloster Vauvert bei Paris.

1266 Juli 18, Viterbo

Carissimo in Christo L(udovico) regi Francie illustri.

Cartusiensis ordinis, cuius sinceritas in sua simplicitate non deficit, sed quasi lux splendens usque ad diem perfectum crescit, Domino promovente oblivisci non possumus et ex nostro affectu alios estimantes, quem amamus tenerrime, amicis specialius commendamus. Hoc probavit tua serenitas, cum minori fungeremur officio, nam, quotiens a te recessimus, nisi fallimur, ultima verba nostra recommendationem eiusdem ordinis continebant. Aucta igitur in nobis ad eundem dilectio pro eo scribere tue celsitudini nos compellit, quam attentius duximus deprecandam, quatenus totum ordinem, sed specialiter domum Vallis Viridis prope Parisius, quam plantasti, pro nostra et sedis apostolice reverentia in tuorum remissionem peccaminum oculo pietatis respiciens sis eis benivulus et beneficus et eisdem defensor assistas consiliis et auxiliis oportunis.

Datum Viterbii, XV Kalendas Augusti, anno II.

231.

Clemens IV. an Magister Helias (Peleti), päpstlicher Kaplan: gebietet ihm, die Pisaner aus Exkommunikation und Interdikt unter der Bedingung zu lösen, daß sie die in ihrer Stadt hinterlegten Güter überstellen und keine Übergriffe auf den Judikat Logudoro (Torres) und andere Gebiete Sardinien unternehmen.

1266 Juli 19, Viterbo

Dilecto filio magistro Helye capellano nostro.

Ad nostram nuper accedentes presentiam viros providos et discretos Gerardum Rubeum, Gerardum Vicecomitem iudicem, Lambertucium Armigossi iuris professorem, Tempanellum iudicem, Guidonem Panclan et Raynerium de sancto Cassiano iudicem, communis Pisani ambassiatores seu nuntios benigne recepimus, et, licet eisdem publicam obtulerimus audientiam, ipsi tamen privata contenti nobis humiliter supplicarunt, ut, sicut aliquae Tuscie civitates datis cautionibus competentibus de nostris parendo mandatis gratiam absolutionis a nobis habuerant, sic et in sua laeta in personas excommunicationis et in terram interdicti sententias faceremus misericorditer relaxari, quod a te obtinere nequiverant, ut dicebant, licet et iuratorias et pignoraticias cautiones, quas exegeras ab eisdem, tibi nostro nomine requirenti non sine suo magno gravamine prestitissent. Sane tuis edocti litteris eisdem respondimus, quod per eos et eorum concives steterat, quominus per tuum ministerium factum esset, quod a nobis decreverant postulandum, cum tu eos velles absolvere, ut a nobis receperas in mandatis, sed aperte predicebas eisdem, quod, si regnum forsitan Turritanum vel alias Sardinie partes invaderent, eo ipso in pristinas relaberentur sententias. Et ipsi absolutionem tuam, licet pura, non condicionalis existeret, cum hac tamen predictione recipere noluerunt, de quo nobis per publicum constitit instrumentum. Tandem ipsi rem gestam sub alio tenore narrantibus et finaliterulantibus, ut nostram tibi scriberemus lucide voluntatem, votis annuentes eorundem discretionis tue per apostolica scripta mandamus,

quatenus, si commune Pisanum et cives transferendi depositi, quod tu Pisis penes aliquas personas ecclesiasticas collocasti, plenam tibi concesserint libertatem, ab excommunicationum sententiis iuxta traditam per primas litteras tibi formam absolvas eosdem et sententiam seu sententias interdicti in civitate Pisana et eius districtu relaxes publice et aperte predicens eisdem, quod, si translationi predicti depositi verbo vel facto se opposuerint vel impedimentum quodcumque prestiterint vel prestari per alios procuraverint clam vel palam vel, cum prohibere possent, non prohibuerint, in pristinas excommunicationis et interdicti sententias ipsi et eorum civitas et districtus eo ipso protinus relabentur. Idem erit per omnia, si iudicatum seu regnum Turritanum invaserint vel in eo ecclesie Romane possessionem turbaverint vel alias partes Sardinie, quas ab olim non possederunt, intraverint animo possidendi vel ius sibi vel auctoritatem aliquam in eisdem sine apostolice sedis licentia acquirendi seu etiam obtinendi. Nos enim in eos et civitatem ac districtum eiusdem, si contra predicta venerint vel aliqua de predictis, dictas excommunicationis et interdicti sententias tulimus contra eos gravius processuri, si, quod absit, hoc exigat contumacia eorundem. Et, si nobis humiliter obedierint, ad ea benivole laborabimus, que ad pacem eorum pertinent et salutem.

Datum Viterbii, XIII Kalendas Augusti, anno II.

232.

Clemens IV. an S(imone Paltinieri,) Kardinalpriester von San Martino, Rektor der Mark Ancona und des Herzogtums Spoleto, apostolischer Legat: erteilt ihm Anweisungen, wie er sich gegenüber der Kommune von Fermo, die sich um den Ausgleich mit dem Papsttum bemühe, zu verhalten habe.

1266 Juli 22, Viterbo

Dilecto filio S(imoni) tituli sancti Martini presbytero cardinali, Marchie Anthonitane et ducatus Spoleti rectori, apostolice sedis legato.

In nostra presentia constitutus Laurentius Theopoli civitatis Firmane potestas multis propositis in summa tria petiit, attenuari scilicet quantitatem, quam petebas a civibus, et tam solutionis terminum quam alium, quem eis dederas ad iura sua tuo exhibenda iudicio, prorogari, quo, prout decuit, de fide veteri commendato et de novis excessibus increpato nichil aliud a nobis habere potuit, nisi quod nostrum tibi beneplacitum scriberemus. Attendat igitur tua discretio pro conditione personarum et temporum, quid tibi cum eis videatur agendum, quod nobis utique melius scire potes. Firmani siquidem, licet retroactis temporibus se interdum bene habuerint, istis tamen a felicis recordationis Alexandro et Urbano predecessoribus nostris tamquam Romane ecclesie proditores et novissime factionis auctores expresse fuerunt et publice excommunicationis vinculo innodati, quos si in gratia Anthonitanis equaveris vel pretuleris, vide, an iustum reputetur, an equum. Totum tamen prudentie tue committimus, quamquam in duobus terminis cum moderate debito prorogandis te possis reddere facile gratiosum. Unum scias, quod nos cum venientibus ex hiis causis ad nullum finem venire volumus, ut et tuo provideamus honori et ut eis negotiandi materiam apud nos auferamus, quam si apud latera tua invenerint et, quod tu debes recipere, alii deglutiverint, nimis egre feremus laturo equanimiter, quod de tua liberalitate procedet.

Datum Viterbii, XI Kalendas Augusti, anno II.

233.

Clemens IV. an (Giangaetano Orsini,) Kardinaldiakon von San Nicola in Carcere Tulliano: überantwortet ihm die Ausführung der rechtlichen Ladung Bischofs (Vivianus) von Rodez.

1266 Juli 26, Viterbo

Dilecto filio I(ohanni) sancti Nicholai in Carcere Tulliano diacono cardinali.

Equanimiter moram tulimus, quam traxisse Perusii noscitur venerabilis frater noster Ruthenensis episcopus sub tue, prout creditur, expectatione salutis, qua ex causa processum suspendimus contra ipsum inchoatum ibidem non sine ecclesie sibi credite discrimine pariter et iactura et continua oblocutione multorum. Sane iam tibi reddita divine providentie munere sanitate crescit contra nos obloquentium murmur, immo verius insultantium obiurgatio manifesta, illa ratione presertim, quia contra Tholosanum episcopum procedi facimus incessanter et contra istum, quem detestabilis turpitudinis urgent indicia, non procedimus, tanquam sit apud nos personarum acceptio, quam in aliis reprobamus. Quocirca nolentes imperfectum relinquere, quod incepimus, ad nostram presentiam eum duximus per latorem presentium evocandum et prefigere ei terminum, quo coram examinatore testium seu inquisitoribus, quos in partibus suis dedimus, personaliter vel per procuratorem sufficienter instructum compareat, prout magis negotio crediderimus expedire. In hoc tamen gerimus tibi morem, quod, si lectis presentibus litteris differri aliquantulum tibi placuerit citationem eiusdem, quod conscientia tibi dictaverit, in hac parte sustinebimus patienter, nam latorem istarum instruximus, quod litteras nostras alias dicto non reddat episcopo, donec tuam super hoc sentiat voluntatem. Tu vero, fili predilecte, considera, quid Deo gratius, quid tue convenientius extimes honestati.

Datum Viterbii, VII Kalendas Augusti, anno II.

234.

Clemens IV. an Bischof (Vivianus) von Rodez: gebietet ihm, sich vor ihm zu verantworten.

1266 Juli 26, Viterbo

Episcopo Ruthenensi.

Cum dilecti filii nostri I(ohannis) sancti Nicholai in Carcere Tulliano diaconi cardinalis diu Perusii moram trahens desideratam a nobis expectaveris sanitatem et iam Deus ipsum respiciens et optate saluti restituens nos ac fratres nostros reddiderit letiores, tempus esse credimus, ut ad nos venias et propositum nostrum intelligas de inquisitionis processu contra te inchoate, quam ad finem, quem Deus dederit, cupimus consummari. Ideoque fraternitati tue in virtute obedientie firmiter precipiendo mandamus, quatenus infra dies VIII post receptionem presentium personaliter coram nobis compareas nostrum super hiis beneplacitum auditurus.

Datum *ut supra in proxima.*

235.

Clemens IV. an König (Karl I.) von Sizilien: tröstet ihn wegen der Flucht des Galvano (Lancia); fordert ihn auf, Überläufer gnädig zu behandeln; unterrichtet ihn, daß er der Kommune von Rieti geboten habe, Galeotto (Lancia) zu verhaften.

1266 Juli 27, Viterbo

Carissimo in Christo filio C(arolo) regi Sicilie illustri.

Si Galvanus factus est transfuga, si de obside transivit in hostem, tua sinceritas non turbetur. *Necesse est enim, ut veniant scandala*, sed ve illis, qui faciunt²¹³. Absit autem, ut illis sit, quibus fiunt. Parata forsitan videbatur eius evasio, cum tua gratia salutaris, sed placuit *cordum inspector*²¹⁴ eum sibi dimittere, ut sue redditus libertati iret volens in precipitium, qui ad pacem ducebatur invitus. Hec sane et similia, si contigerint, sustine patienter sperans semper ex temptatione proventum, dum tamen excessibus nec occasionem prestes nec causas.

De hoc enim te notant aliqui, quod eos, qui voluntarii ad te redeunt et tue gratie se committunt, capis subito eo ipso suspicionem ingerens audientibus, ne ad te veniant penam pro gratia subituri. Non hec, fili carissime, decent principem, quin immo tanta decet etiam inimicos redeuntes ad gratiam prosequi pietate, ut alii provocati laudande bonitatis exemplo benivolentie se committere principali minime vereantur.

Sane tuis receptis litteris nuntium proprium ad civitatem misimus Reatinam potestati et communi mandantes, quod Galiotum et bona mobilia, que secum tulerat, arrestarent et, quid de ipsis vellemus fieri, per nostras eis litteras mandarem. Quem autem res exitum habitura sit, ignoramus. In omnem autem casum proponimus ea facere, que Romane ecclesie iure salvo honori tuo crediderimus expedire.

Datum Viterbii, VI Kalendas Augusti, anno II.

236.

Clemens IV. an Podestà und Kommune von Rieti: gebietet ihnen, Galeotto Lancia, der sich aus dem Königreich Sizilien zu ihnen geflüchtet habe, zu verhaften.

1266 Juli 27, Viterbo

Dilectis filiis potestati et communi Reatino.

Per carissimum in Christo filium nostrum C(arolum) illustrem regem Sicilie intelleximus, quod Galiotus Galvani Lancee filius cum argento et auro et mobilibus paternis aliis a Sicilie regno fugiens ad vos nuper sub spe quadam securitatis habende confugit. Quocirca vobis firmiter precipiendo mandamus, quatenus eundem Galiotum et res predictas visis litteris detinere nullatenus omittatis facturi de ipsis, quod vobis duxerimus intimandum. Ut autem hec eo fiant melius, quo et certius, mittimus ad vos dilectum filium Raynaldum hostiarium nostrum, cui in hiis, que ex parte nostra preceperit, parere vos volumus et mandamus.

Datum Viterbii, VI Kalendas Augusti, anno II.

²¹³ Matth. 18,7.

²¹⁴ Prov. 24,12.

Clemens IV. an König K(arl I.) von Sizilien: kündigt die Entsendung von Geoffroy de Beaumont und Pierre le Chambellan sowie von Gesandten König (Ludwigs des Heiligen) von Frankreich an; mahnt ihn, auf seine Ratgeber zu hören.

1266 Juli 30, Viterbo

Carissimo in Christo filio C(arolo) regi Sicilie illustri.

Dilectum filium Gaufridum de Bello Monte capellanum nostrum, cancellarium Baiocensem, quem ad nostram destinasti presentiam, diligenter audivimus et super multis articulis disserentem verba eius pleno collegimus intellectu, qui responsiones nostras ad singulos, qui ad presens certo claudi consilio potuerunt, una cum dilecto filio P(etro) Cambellano milite de nostro consilio ad tuam presentiam redeunte tibi poterit explicare. Veniunt etiam ad te nuntii carissimi in Christo filii nostri germani tui regis Francie illustris, ad quos, sicut in aliis litteris tibi scribimus, te habebis. Sane, quia predictum P(etrum) Cambellanum ab obsequio germani tui predicti ad presens retrahimus et ad tuum induximus resumendum, serenitatem tuam rogandam duximus et hortandam, quatenus eo et aliis sapientibus, qui suo assistunt lateri, sic utaris, ut te iuxta eorum recta consilia regnum tuum provide gubernante et de fructu laboris proprii et de tui honoris gaudeant incremento.

Datum Viterbii, III Kalendas Augusti, anno II.

Clemens IV. an R(aoul Grosparmi,) Kardinalbischof von Albano, apostolischer Legat: lehnt seine Bitte ab, von der Legation im Königreich Sizilien zurückkehren zu dürfen; unterrichtet ihn, daß er Pierre le Chambellan zu König (Karl I.) von Sizilien geschickt habe; Sancho, der Sohn König (Jakobs I.) von Aragón, sei bei ihm eingetroffen, Kaiser (Balduin II.) von Konstantinopel werde erwartet.

1266 August 2, Viterbo

R(adulfo) episcopo Albanensi, apostolice sedis legato.

Quamvis tuis compatiamur laboribus et inviti tua presentia careamus, quia tamen nec regnum Sicilie multis subiectum defectibus sine legato relinquere possumus nec raptorem expedit tibi substitui, tuis precibus condescendere nostreque consolationi consulere non valemus. Porta igitur propter Christum angustias, labores sustine *nec deficiente animo fatigeris, qui necdum usque ad sanguinem restitisti*²¹⁵. Quod si de personarum, quas credis ad onera necessarias, paucitate conquereris, assume, quos volueris et idoneos esse credideris sapientia, fide, fama.

Nec turberis, si, dum uni vacas negotio, aliqua suspenduntur. Nec enim a te Deus opus requirit miraculi, quod habet fieri in instanti, sed successivis operibus te astrinxit. Nec te reum putaveris, dum vel utiliter unum agis, qui non omnia simul potes. Confortare in Domino, qui tibi astitit et assistit nec in tempore malo te deseret vacillantem consilio muniens et auxilio roborans laborantem.

Demum iuxta nostrum consilium redit ad carissimum in Christo filium nostrum regem Sicilie illustrem dilectus filius Petrus Cambellanus probaturus iterum, quod probavit. Et, si litus arare

²¹⁵ Hebr. 12,3–4.

se viderit, credimus, quod in Franciam revertetur. Ecce venit ad nostram presentiam dilectus filius Sancius filius illustris regis Aragonum valde bene compositus et in nostris ac fratrum nostrorum oculis gratosus. Die Iovis instante illustris viri imperatoris Constantinopolitani prestolamur adventum.

Datum Viterbii, IIII Nonas Augusti, anno II.

239.

Clemens IV. an (Giangaetano Orsini,) Kardinaldiakon von San Nicola in Carcere Tulliano, und M(atteo Rosso Orsini,) Kardinaldiakon von Santa Maria in Porticu: bittet sie um Rat, ob er Sancho, den Sohn König (Jakobs I.) von Aragón, trotz seines jungen Alters zum Erzbischof von Toledo erheben solle.

1266 August 5, Viterbo

Dilectis filiis I(ohanni) sancti Nicholai in Carcere Tulliano et M(atheo) sancte Marie in Porticu diaconis cardinalibus.

A vestra non credimus excidisse memoria, quod, cum olim de provisione ecclesie Toletane vestra et fratrum aliorum nostrorum audivissemus consilia et aliquorum inclinarentur animi ad dilectum filium Sancium natum regis illustris Aragonum eidem proficiendum ecclesie multaque alie nominate persone, nos tandem negotium in suspense dimisimus nec causam expressimus suspensionis huiusmodi, sed habet hoc veritas Deo nota, quod dictum Sancium non vocavimus, sed interim, sicut potuimus, inquisivimus et statum et staturam ipsius nec non scientiam atque mores. Sane, cum venerabilis frater noster Silvensis episcopus remearet ad propria, dictum Sancium extra regnum Castelle ad nostram presentiam properantem invenit et de mandato carissimi in Christo filii nostri regis Castelle illustris per litteras, quas et nobis exhibuit, sibi facto ad nos rediit cum eodem. Licet autem de bonis eius condicionibus, quarum alique se oculis exhibent, laudabile testimonium receperimus de eodem, quia tamen multos trahere poterat specialis affectio, multos retrahere timor sublimium personarum, omissis ceteris litteras vobis mittimus dilecti filii fratris R(aymundi) de Penna Forti presentibus interclusas, quibus fides sincerior, in quantum se vires earum porrigunt, videretur habenda. Verum magnus est in iuvene defectus etatis, quamvis magna sit moles corporis et venusta. Ordinate loquitur et grammaticae, sed non attingit illam scientiam, quam exigeret dignitas, de qua agitur. Suffragatur honestas in moribus et exterior gravitas, que magis grandævum quam iuvenem representat, ut a primeva videatur etate nostra vestigia comitatus.

Auditis igitur fratrum, quos habemus nobiscum, consiliis vestra duximus requirenda discretionis vestre per apostolica scripta mandantes, quatenus per latorem presentium rescribatis, quid nobis consulatis agendum, an scilicet dispensative providendum de illo an eo dimisso ad alium et ad quem vestros oculos dirigatis. Instant enim canonici eiusdem ecclesie discordes in aliis, sed in hoc concordantes, quod in omnem casum expedit ecclesie consuli vel hoc modo vel alio, que a rege Castelle miserabiliter conculcatur.

Datum Viterbii, Nonis Augusti, anno II.

Clemens IV. an König (Jakob I.) von Aragón: befürwortet die in Betracht gezogene Eheschließung zwischen seinem Sohn Jakob und einer Tochter des Grafen von Savoyen, gibt aber zu bedenken, daß sich eine Herrschaftsnachfolge Aragóns in Savoyen schwierig gestalten würde. – Mit entsprechender Formulierung an seinen Sohn Jakob.

1266 August 11, Viterbo

Carissimo in Christo filio regi Aragonum illustri.

Si serenitati tue placet in arduis apostolicam sedem consulere, quod et utinam hactenus placuisset, tuam in hoc prudentiam plurimum commendamus. Per illam enim, que te sincere diligit, plenius dirigeris nec errare poteris in iudicio, quod eius fuerit assensu firmatum. Sane super matrimonio, de quo consulis, inter dilectum filium Iacobum natum tuum et dilectam filiam natam bone memorie comitis Sabaudie contrahendo nichil aliud tibi possumus respondere, nisi quod, si condicio personarum attenditur, domus Sabaudie nobilis et antiqua mulieres produxit electas, que diversis iam regibus placuerunt. Et, si ad hoc tuos verteris oculos, nichil invenies, si persona placuerit, quod tibi debeat displicere. Genus enim illud viros et habuit strenuos et nunc habet et ad terras finitimas et remotas suos palmite iam extendit. Verum, si requiris consilium, an ius habeat in comitatu puella, scire vel dicere precise non possumus, cum iura feudorum partim ex imperialibus legibus partim ex terrarum consuetudine in locis diversis a successione huiusmodi mulieres excludant, sed, ut factum attendamus ad verum, secure dicimus, quod, etiamsi ius habeat, nisi forsan ex pacto ingressus pacificus tuo daretur filio, longus esset tractus iudicii et executio difficilior, quam si manu velles armata prosequi, duos expenderes comitatus et finem non attingeres peroptatum. Hoc igitur videat, hoc discutiat tam tua quam filii circumspectio, an circumscripto penitus comitatu, si pacifice obtineri non possit, dos tibi placeat, que offertur, quam si ambo duxeritis acceptandam et persona conveniens invenitur, non occurrit in ceteris, quod debeat reprobari. Quod si dos non placuerit, nosti satis, quod ex causa huiusmodi incompleta coniugia pluries remanserunt.

Datum Viterbii, III Idus Augusti, anno II.

In eadem forma Iacoba filio eius verbis competenter mutatis.

Clemens IV. an Patriarch (Guillelmus) von Jerusalem, die Hochmeister des Hospitaliter- und des Templerordens und Gaufridus de Sarginis, Seneschall des Königreichs Jerusalem: tröstet sie angesichts eines Einfalls des Sultans (Baibar von Ägypten) und verspricht ihnen baldige Hilfe.

1266 August 12, Viterbo

Venerabili fratri patriarche Ierosolimitano et dilectis filiis Hospitalis et Templi preceptoribus ac viro nobili Gaufrido de Sarginis regni Ierosolimitani senescallo.

Succensa velut ignis impietas persecutoris ecclesie crudelissimi, soldani videlicet Babilonie, prout nobis epistole vestre series patefecit, oportuna tempora non observans conflatis viribus fines improvisus intravit et tamquam rete iaciens in incertum, dum nescitur, quem sue nequitie finem prestituatur, multos timore concutit et omnes onerat expensis gravibus pro locorum custodia, quibus est merito tam gravis multitudinis formidandus adventus. Sane, licet post vestras querimonias

totiens inculcatas et spem datam subsidii celeris *consolatores* dicamur forsitan *onerosi*²¹⁶, tacere tamen non possumus veritatem nec per singula momenta facere, que temporum et locorum dispositor iuxta leges singulis inditas posuit in successu, quo fit, ut eorum in tristitia nonnumquam impediunt vel suspendant promptas et fervidas suorum fidelium voluntates. Ecce regni Sicilie tam preclaro negotio iuxta Dei beneplacitum consummato excreverunt Francorum animi et ad Terre Sancte subsidium animati parant se ad procinctum itineris incessanter. Ecce de Germanie partibus Luceburgensis et Iuliaci comites, Leodiensis episcopus et barones quamplures crucis signum vivifice suis humeris impresserunt. Ecce crux predicatur in Anglia, et speratur magnum subsidium ex eadem. Quid igitur facient, cum rumores audierint tam infaustos? Quos utique significamus eisdem, ut tempora sibi prestituta preveniant et ad dilecti filii nostri S(imonis) tituli sancte Cecilie presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati monita et mandata mare transeant tempestive et periculis obviant imminentibus, ne *neglecta*, quod absit, *incendia vires sumant*²¹⁷. Profecto credimus homines tanti sanguinis, tanti zeli, quos parentum exempla provocant, quos perurget assidua predicatio, quos impellit ipsa necessitas, sic sublatis more dispendiis animandos, ut ad eius redimendas iniurias properent, cuius sanguine sunt redempti. Quocirca sinceritatem vestram hortandam duximus et attente monendam, quatenus recogitantes eum, qui pro nobis tot et tanta sustinuit, non fatigemini deficientibus animis, sed de celo pariter et de terra prestolantes auxilium stetis viriliter contra hostes sperantes firmiter et absque dubitatione tenentes, quod exurget a sompno desidie populus cismarinus, qui et vobis feliciter aggregatus non solum acquisita tuebitur, sed etiam reddere poterit, que dudum amissa fuerant cultui christiano.

Datum Viterbii, II Idus Augusti, anno II.

242.

Clemens IV. an Bischof (Giacomo Maltraga) von Orvieto: gebietet ihm, die Einhaltung des Interdikts über die Stadt, das er für Mariä Himmelfahrt und die Woche danach aufheben wolle, zu beachten, falls dort den päpstlichen Anordnungen nicht Genüge geleistet werde.

1266 August 13, Viterbo

Episcopo Urbevetano.

Quanto cives Urbevetani a transactis retro longe temporibus apostolice sedi fidelius adhererunt, tanto gravius ferimus, cum a via veritatis exorbitant et ad nostra mandata salubria suos nolunt errores corrigere, sed presumpta quadam audacia volunt improvide defensare. Sane, licet ex eo, quod statuta quedam ediderant in ecclesiastice preiudicium libertatis, multi ex eis excommunicationis sententia sint ligati et nichilominus ex causis aliis supposita civitas ecclesiastico fuerit interdicto nec citati curaverint satisfacere, quod dolentes referimus, salutis proprie contemptores, nos tamen nichilominus eos favore prosequi non cessavimus apostolico, sed ad pacem dandam eisdem et concives eorum *de domo carceris educendos*²¹⁸ damus et dedimus opem et operam efficacem. Verum, ut cumulata gratia revelet oculos eorundem matris et virginis meritis gloriose, quam, cum essemus inibi in minori officio constituti, per eos vidimus exterioribus saltem obsequiis honorari, ad honorem eiusdem in instanti festo Assumptionis ipsius et per dies VIII se-

²¹⁶ Iob 16,2.

²¹⁷ Hor. epist. 1,18,85.

²¹⁸ Isai. 42,7.

quentes dictum suspendimus interdictum fraternitati tue per apostolica scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandantes, quatenus, nisi interim nostris satisfecerint beneplacitis et de hoc tibi per litteras nostras constiterit, dictum extunc interdictum observes et ab omnibus facias artius observari eis aperte denuntians, quod, si in sua perstiterint contumacia, contra eos spiritualiter et temporaliter gravius procedemus.

Datum Viterbii, Idibus Augusti, anno II.

243.

Clemens IV. an den Franziskanerbruder R(aymundus), genannt Abraa: gebietet ihm, Iohannes de Crusolis, Bürger von Montpellier, der als Kind in den Franziskanerorden eingetreten sei, nun aber heiraten wolle, nach Prüfung seiner Gesinnung freizugeben.

1266 August 13, Viterbo

Dilecto filio fratri R(aymundo) dicto Abraam de ordine Fratrum Minorum.

Sua nobis dilectus filius Iohannes de Crusolis civis Montis Pesulani insinuatione monstravit, quod, cum tertium decimum annum vel circiter ageret quarto decimo non expleto, in duorum tui ordinis fratrum manibus sine voto promisit, quod eorum religionem intraret, ad quam animum suum non applicans eam postmodum non intravit nunc aspirans ad copulam coniugalem, sed, ne dubius se exponat discrimini, petiit a nobis humiliter ab huiusmodi laqueis ambiguitatis absolvi. Sane, licet vix sit intelligibile, quod promissionem huiusmodi fecerit sine voto, nisi forsitan aut precipiti mentis impetu aut iocose huiusmodi verba protulerit, que ex certa et provida intentione prolata proferentem efficaciter obligarent, quia tamen etatis legitime ad vovendum minime videbatur, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus conscientiam eius diligenter examinans, si narratis veritas suffragatur, salutaribus monitis, non sermonibus illectivis inducas eundem, ut intret ordinem memoratum vel alium, si ad hoc suum potest animum informare. Alioquin eum sue libertati committens des ei in foro penitentie licet nullis super hoc litteris dandis licentiam matrimonium licite contrahendi, nisi forsitan ex eiusdem confessione tibi constiterit, quod post XIII annum impletum in primo proposito adeo se firmaverit, ut, quod prime promissioni deerat, ratihabitio solidaverit subsecuta.

Datum Viterbii, Idibus Augusti, anno II.

244.

Clemens IV. an König K(arl I.) von Sizilien: mahnt ihn, mit einer Gesandtschaft König (Ludwigs IX.) von Frankreich über seine Schulden bei diesem zu verhandeln.

1266 Juli 17 oder 18, Viterbo

Carissimo in Christo filio C(arolo) regi Sicilie illustri.

Quanto carissimo in Christo filio nostro regi Francie illustri germano tuo te novimus cariorem teque multis ex causis eidem ad vicissitudinem caritatis astrictum, tanto tibi propensius credimus laborandum, ut inter te et ipsum omnem materiam scandali, omnem causam dissensionis absidas, in hiis precipue, que iuri sunt consona, quamquam ad alia, que gratiam saperent, facilem

reddere te deberes. Novit sane tua serenitas, quotiens te litteris, quotiens viva voce, quotiens ministerio bonorum et fidelium nuntiorum excitandum duxerimus, ut questionem gabelle Rodani multis suspensam tractatibus, ex qua multa processerunt inepta multumque turbatus est animus fratris tui, per viam amicabilem ad finem perduci congruum procurares, quod quia factum non extitit, idem rex frater tuus satis egre ferre videtur, prout et littere nobis indicant aliquorum et verba nichilominus fidedigna. Nunc autem suos ad te destinat nuntios, qui super hoc te conveniant reverenter et, que fratri debes, insuper a te petant, scilicet VIII milia marcharum argenti de dote sibi cum carissima in Christo filia nostra uxore sua promissa et alia VII milia, que tibi credidit, ad bone memorie soceri tui debita persolvenda.

Quocirca tuam duximus excellentiam monendam pariter et rogandam, quatenus eorundem nuntiorum verba et patienter audiens et benigne suscipiens non turberis, sed fraterne gratie non ingratus et eorum, que tibi liberaliter ultra mare donavit, memoriam semper habeas et debita repetenti satisfacias nunc, si potes, aut saltem sic respondeas, ut placari tuo responso debeat potius quam turbari.

Datum Viterbii, XVI/XV Kalendas Augusti, anno II.

245.

Clemens IV. an den Rechtsgelehrten Wilhelm von Porto: dankt ihm für seinen Spruch als Schiedsrichter im Grenzstreit zwischen dem Kloster Saint-Gilles und Petrus Raymbaldi um eine Insel in der Rhône, den er bestätigt habe.

1266 Juli 25, Viterbo

Dilecto filio Guillelmo de Portu iuris perito seniori.

Questionem de finibus inter nos et monasterium sancti Egidii super quadam insula nata in Rodano dudum exortam electus a dilectis filiis abbate et conventu eiusdem monasterii ex una parte et Petro Raymbaldi ex altera arbitrator aut arbiter loca tuis subiciens oculis diceris decidisse. Licet autem incerta locorum imaginatio et nova nomina possessorum veritatis substantiam occultaverint, nos tamen de tua fide, quam dudum probavimus, presumentes firmiter credidimus et credimus te de bono et equo in omnibus et per omnia processisse et ideo dictum tuum ex certa scientia approbantes confirmavimus, quod fecisti. Et, quia pro hiis tibi placuit laborare, devotionem tuam debita gratiarum prosequimur actione.

Datum Viterbii, VIII Kalendas Augusti, anno II.

246.

Clemens IV. an R(aoul Grosparmi,) Kardinalbischof von Albano, apostolischer Legat: trägt ihm auf, diejenigen Äbte des Florenserordens, die ihre Würde widerrechtlich ausüben, abzusetzen; erteilt ihm die Vollmacht, im Kloster Santa Maria delle Monache in Capua eine Äbtissin seiner Wahl zu bestimmen.

1266 Juli 27, Viterbo

R(adulfo) episcopo Albanensi, apostolice sedis legato.

Abbatis Florentis et coabbatum sui ordinis negotium, qui in abbatiis, quas obtinent, ius penitus nullum habent, fraternitati tue committimus, ut eis primitus destitutis aut ad sua loca reducas aut transponas aut remittas ad claustrum, sicut videris expedire. Monasterio etiam sancte Marie de Copona providendi vel de illa, quam nominas, vel de alia persona idonea liberam tibi concedimus facultatem.

Datum Viterbii, VI Kalendas Augusti, anno II.

247.

Clemens IV. an (die Frati Gaudenti Loderengo degli Andalò und Catalano dei Malavolti), Rektoren, sowie an Rat und Kommune von Florenz: gebietet ihnen, die Bürger, die sich außerhalb der Stadt aufhalten, wiederaufzunehmen.

1266 Juli 27, Viterbo

Dilectis filiis rectoribus, consilio et communi Florentino.

Ex parte concivium vestrorum, quos in confinibus aliquamdiu tenuistis, nobis exitit supplicatum, ut, cum ipsi nullum offenderint vel proponant offendere et dampna plurima sustinuerint sine culpa negotiationes suas et negotia libere prosequi non valentes ingressu in civitatem et mora in eadem sibi diutius interdictis, cum eisdem misericorditer ageremus. Quocirca eorum precibus inclinati discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus receptis idoneis cautionibus de nostris parendo mandatis et civitate minime perturbanda eos ad sua domicilia tute et libere remittatis.

Datum Viterbii, VI Kalendas Augusti, anno II.

248.

Clemens IV. an S(imon de Brion,) Kardinalpriester von Santa Cecilia, apostolischer Legat: bittet ihn um Rat, auf welche Weise er Graf (Alfons) von Poitou jene Unterstützung zukommen lassen könne, die dieser für seine geplante Kreuzfahrt ins Heilige Land brauche.

1266 Juli 31, Viterbo

Dilecto filio S(imoni) tituli sancte Cecilie presbytero cardinali, apostolice sedis legato.

Sæpe et sæpius ex parte dilecti filii viri nobilis comitis Pictavensis nobis exitit supplicatum, ut eidem ad sui promotionem itineris, quod in Terre Sancte subsidium iuxta votum accelerare desiderat, subsidium ei competens preberemus. Nos autem, sicut alias ei scripsimus, nec in regno Francie possumus multis prestationibus iam attrito nec in Anglia, in qua decimam dedimus regi suo, nec in Yspania, que suis satis gravatur oneribus, nec in Germania, que male paret apostolicis iussionibus, et idcirco confundimur, quia viro tanto et, quem tantum diligimus, satisfacere non valemus. Videat igitur tua discretio et cum carissimo in Christo filio nostro rege Francie illustri conferat, an aliqua via pateat, per quam ei utiliter sine scandalo subvenire possimus, et rescribere, quod senseris. Quicquid enim honeste poterimus, pro ipso libentissime faciemus.

Datum Viterbii, II Kalendas Augusti, anno II.

249.

Clemens IV. an Graf A(lfons) von Poitou und Toulouse: bedauert, daß er ihm keine Unterstützung für seine geplante Kreuzfahrt ins Heilige Land gewähren könne.

1266 Juli 31, Viterbo

Dilecto filio nobili viro A(lfonso) comiti Pictavensi et Tholosano.

Erubescere nos fatemur, quia totiens requisiti, que petis, implere non possumus, cum et favor persone tue, quam sincera in Domino caritate diligimus, et necessitas Terre Sancte, ad cuius subsidium te crucis assumpto signaculo astrinxisti, ad largam tibi gratiam exhibendam instanter nos excitet et invitet. Sane, sicut alias tibi scripsimus, tui desiderii complementum non apud nos voluntas impedit, sed potius impotentia vel impotentie proxima prompto carens remedio difficultas, que facile tua prudentia poterit invenire, si terrarum statum consideres, sicut alias per nostras tibi litteras nos meminimus declarasse. Verum dilecto filio nostro S(imoni) tituli sancte Cecilie presbytero cardinali, cui negotium crucis commisimus, super hiis scribimus. Et, si via tui subsidii per ipsum vel alium nobis pateat oportuna, nichil nobis erit acceptius in hac parte quam ad ea intendere, que ad tue magnitudinis cedant commodum et honorem.

Datum Viterbii, II Kalendas Augusti, anno II.

250.

Clemens IV. an R(aoul Grosparmi,) Kardinalbischof von Albano, apostolischer Legat: erteilt ihm Auskünfte und Anweisungen hinsichtlich des ausstehenden Lehnszinses und der Schulden über 50 000 Mark, die König (Karl I. von Sizilien) noch nicht beglichen habe; erteilt Instruktionen hinsichtlich der geistlichen Prälaten (im Königreich); fordert ihn auf, dort das Kreuz zu predigen.

1266 August 6 oder 13, Viterbo

R(adulfo) episcopo Albanensi, apostolice sedis legato.

Duo nobis scripsisti, ad que stupere compellimur, primum, quod non adverteret debere se censum tamquam oblitus rex termini et, quod est durius, iuramenti, secundum, quod numquam credit de L marcharum milibus se aliquid soluturum. De censu igitur sciat tua fraternitas, quod tarde petita dilatio simpliciter extitit denegata hoc salvo, quod dictum fuit nuntiis, quod omnino solutio fieret infra mensem Augusti. Hic enim erat finis duorum mensium, et extunc, si non solverit, excommunicatus remanet ipso facto a te et aliis omnino vitandus. Sane de dictis L milibus marcharum, ad quas sicut ad alia iuramento tenetur, cum maior pars fratrum nostrorum in remittendis de toto dumtaxat V milibus conveniret, tandem cum magno conatu ad X milia eos traximus pro rata de solutionibus singulis detrahenda, ita videlicet, quod, sicut solutiones singule de X milibus marcharum esse debebant, fient de VIII milibus facta de tempore sibi gratia, ut scilicet a Kalendis Augusti proxime preteritis in VI menses fiat prima solutio et exinde per similes terminos alie subsequenter. De remissione vero, quam sibi factam asserit ab episcopo Sabinensi et dilecto filio nostro S(imone) tituli sancte Cecilie presbytero cardinali, per omnia verum dicit, sed remissionis fuit hec causa, quia plus impossibilis quam difficilis videbatur tam festina negotii expeditio. Unde credebant merito tantum durare negotium, quod non solum illa non petere, sed etiam alia superaddere oporteret. Et, cum in condicionibus tractaretur de gratia facienda, ideo

determinatum non extitit, quia dubius bellorum eventus et incerta protractio maiorem vel minorem gratiam admittebat. Nunc autem preter spem omnium celeri fine habito collecta etiam ab ecclesiis decima tanti temporis et de regno tot spoliis habitis, cur sibi iudicet onerosum, quod debet solvere, non videmus. Verum pro censu nulla recipias pignora. Sed nec censum posses recipere, cum ex pacto persolvi debeat, ubi sumus, nec mutare velimus infirmatis condicionibus *unum iota*²¹⁹ nec reciperemus pignora, si nobis etiam mitterentur.

Ceterum consultationi tue de abbatibus nuper respondimus et illi de restitutionibus faciendis. Illi vero de suspensis episcopis et vacantibus ecclesiis cathedralibus cito tibi per proprium nuntium respondebimus. De electis vero, postquam regnum intrasti, ante nostram gratiam de restitutione electionum libera publicatam volumus, quod omnes denunties esse nullas. Si quos tamen electos inveneris, quos reputes esse dignos pensata qualitate locorum, providendi de ipsis ecclesiis, ad quas temere electi fuerant, tibi concedimus facultatem.

Quamvis autem civitas Acconensis a venerabile fratre nostro patriarcha Ierosolimitano et dilectis filiis magistris Hospitalis et Templi non scribatur obsessa nec periclitetur hoc tempore, quo navium instat accessus, que de diversis partibus in Septembri dante Domino inibi applicabunt, placet tamen nobis, quod crucem in regno predices et ab aliis facias predicari.

Datum Viterbii, VIII Idus/Idibus Augusti, anno II.

251.

Clemens IV. an R(aoul Grosparmi,) Kardinalbischof von Albano, apostolischer Legat: gebietet ihm, den Fall des Elekten Odo (Iuncata) von Minori weiterzuverfolgen und ihn gegebenenfalls zum Bischof zu weihen.

1266 August 7, Viterbo

R(adulfo) episcopo Albanensi, apostolice sedis legato.

Ad nostram nuper presentiam dilectus filius Odo veniens, qui de se dicit Minorensis ecclesie a felicitis recordationis Urbano papa predecessore nostro fuisse provisum, ad te nostras litteras impetravit hanc sententiam, nisi fallimur, continentes, ut eidem, qui propter Manfredi potentiam ad ecclesiam dictam vel regnum venire non potuit consecrandus, non obstante constitutione a felicitis recordationis Alexandro papa predecessore nostro contra electos edita negligentes munus ei consecrationis impenderes vel per alium impendi faceres, si hec vera essent et fautor Manfredi non extiterit et aliud canonicum non obstaret. Sane tuis postea receptis litteris cum hiis, que super crimine falsitatis inventa dudum fuerant contra ipsum, eum ad presentiam nostram vocavimus, qui omnia contingentia dictum crimen sigillatim infitians dixit ea contra se per bone memorie Salernitanum archiepiscopum Dei et ecclesie inimicum malitiose conficta. Ad te igitur eum remittimus cum litteris et actis, que miseris, qui negotii merita melius scire poteris, prefixo et termino peremptorio, toto scilicet hoc mense Augusti, infra quem tuo se conspectui representet, fraternitati tue per apostolica scripta mandantes, quatenus, quecumque litterarum sit forma, quas a nobis obtinuit, sive in termino comparuerit sive non, canonico impedimento cessante tam super hiis, que nobis asseruit, que nobis plurimum sunt suspecta, cum et amicum Iohannis de Procida extitisse confessus se fuerit coram nobis et nichilominus suum prosequi in regno negotium asserat nequivisse, quam super dicto crimine falsitatis et aliis, que indaganda credideris, inquisita ex officio plenius veritate per te vel alium, si sibi merita suffragantur, consecrationis ei

²¹⁹ Matth. 5,18.

munus impendas vel exigente iustitia eum prorsus amoveas ab ecclesia Minorensi. Et, si forsan iuxta morem rebellium amotus duxerit appellandum, bona dicte ecclesie et proventus protinus facias sequestrari appellatione huiusmodi non obstante prefixo ei termino peremptorio competentis, quo se nostro conspectui personaliter representet, quod dictabit iustitia, recepturus.

Datum Viterbii, VII Idus Augusti, anno II.

252.

Gui (Foucois), Kardinalbischof der Sabina, an Graf K(arl I.) von Anjou und der Provence: erteilt ihm Ratschläge hinsichtlich der Regierung von Rom.

(1265) Januar 5, (Paris)

Illustri et magnifico viro domino C(arolo) comiti Andegavensi et Provincie Guido miseratione divina Sabinensis episcopus salutem et paratam ad eius honorem et beneplacita voluntatem.

Romanus populus alti nominis et magni spiritus, qui ad Urbis regimen vos vocavit vestram faciem videre desiderans, cum magna est interim discretione tractandus. Volunt enim Romani rectores suos et gestus magnificos et verba tonantia et facta terribilia pre ceteris habere principibus mundi dominium subreptum sibi potius quam translatum in alios iudicantes. Laudamus in hiis omnibus vestrum vicarium dominum I(acobum) Gantelmi principaliter et eius socios iuxta vires, sed numeri paucitas et tenuitas expensarum eius et vestram in eo minuunt dignitatem. Multa enim superflue expendi oportebit in Urbe, que tamen utiliter expendentur, ut superflua non superfluant, prout mos exigit regionis. Unum etiam nuper audivimus, quod nobis displicuit, videlicet quod illa vetus apostolorum *contentio, quis eorum maior aliis videretur*²²⁰, latenter oritur inter vestros, super quo eos arguere proponimus et vos consilium apponatis. Roma enim condita sustinere non potuit duos reges, nec bene nunc Urbem regerent, qui de ipso regimine invicem dissiderent. Si ergo Urbem tenere proponitis, quam ad presens in nullo casu sine confusione possitis dimittere, mittite plures nobiles, qui velint et valeant sibi commissa prosequi et maiori humiliter obedire. Dispensatorem insuper non novum et inexpertum, sed virum consilii et exercitatum in sumptibus ministrandis et scientem discernere, quid tempori, quid personis, quid patrie sit conveniens, quid servandum, quid fuerit effundendum, sine more dispendio transmittatis. Ad hoc enim, qui missus est, licet habeat bonum zelum, sufficiens non videtur. Illud autem certum apud multos, quod, si regnum oblatum recipitis, Urbs est vestra, per quam et regnum acquirere et a Romana ecclesia, quod vobis expedierit et ipsam dare decuerit, obtinere poteritis et in ipsa Urbe, quod vobis placuerit, facere. Quin etiam, si regnum vobis recipere propter conditionum onera non placeret, non est Urbs subito et improvide dimittenda, sed personis consulendum est, quas misistis, que non levi discrimini subiacebunt, si sibi populus arbitretur illud. Super hiis igitur, quid liceat, quid deceat, quid expediat, vobis aperiatur Deus omnium cognitor futurorum. Et, qui vobis magnificum nomen dedit, propositum det magnanimum salutis vestre congruens et honori. Vestra valeat in perpetuum magnitudo.

In vigilia Epiphanie.

²²⁰ Luc. 22,24.

(Gui Foucois, Kardinalbischof der Sabina,) an das Generalkapitel der Dominikaner: fordert sie auf, einen geeigneten Mann zum Ordensmeister zu wählen und bei Streitigkeiten mit Klerikern um Begräbnisse Mäßigung zu üben.

(1264 vor Juni 8)

Capitulum Fratrum Predicatorum.

*Celo mutato, non animo*²²¹ devotionem, quam hactenus ad ordinem vestrum habuimus, fervore solito prosequentes convenientibus vobis in unum fragilitatis nostre memoriam commendamus, qui tanto pluribus indigemus suffragiis, quanto maioribus perturbamur molestiis et oneribus subiaceamus gravioribus et curis amplioribus perurgemur. Detur ab omnibus aliquid et a singulis, prout ex corde suo quilibet destinaverit, episcopo satis pauperi subsidia salutaria mendicanti, ut ad locum discriminis tertio iam translatus vestris demum orationibus et a periculis eruatur et optate portum felicitatis attingat. Sane, cum immineat de creando magistro tractatus, iuxta morem laudabilem hactenus observatum talem eligere studeatis, qui non solum utilis ordini, sed et orbi se reddere noverit, velit et valeat, prout negotiorum exposcet varietas, et etiam tanto magisterio reverendum et ex humili ministerio gratiosum. Demum cautos vos reddimus, ut circa vestre religionis statum sollicitudine debita vigiletis, ne, quod absit, *in vestra gloria macula* valeat reperiri²²², que velut inextimabilis altitudinis firmamentum multiplici siderum luce coruscans universam ecclesiam multis temporibus illustravit. Ad hec autem scribenda nos movent diversarum ecclesiarum querele, que multis ex partibus ad nos veniunt, quia sciunt ordinem nos diligere, familiariter conquerentes, quod sepulturis eisdem ablatis ad extremam deveniunt paupertatem preter contentiones et lites, que pro cadaveribus ipsis exeunt, dum mortuus clericis impetentibus et fratribus defendentibus trahitur et distrahitur et inter manus trahentium, quod est durius, impulsionibus mutuis, clamoribus et conviciis caritas laceratur. Quid ergo vobis dicimus faciendum? Numquid vos cedere volumus iuri vestro? Nolumus in hac parte precipitare sententiam, sed, sicut aliquando uni ex vobis scripsimus, utinam numquam *volucres super cadavera descendissent*, utinam *descendentes* pater ordinis vester aut noster *Abraham abegisset*²²³. Hoc sane consulimus, quod circa sepulturas et testamenta moderamen aliquod apponatis, quo vestra sinceritas fulciatur et tam natis quam nascituris scandalis occurratur. Ceterum, quia posset casus contingere, qui nostram vobis presentiam exhiberet, scribimus pauciora certi, quod ex paucis multa colligere, sicut vobis est facile, sic et promptum.

Clemens IV. an Bischof (Geoffridus Freslon) von Le Mans: gebietet ihm, die durch päpstliche Autorität verfügte Aufnahme des Iohannes de Mosnilio als Kanoniker an seiner Kirche zurückzustellen und zuvor die Prärogativen dreier anderer Anwärter wirksam werden zu lassen.

1266 August 21, Viterbo

²²¹ Hor. epist. 1,11,27.

²²² Ecclus. 47,22.

²²³ Gen. 15,11

Episcopo Cenomanensi.

Sicut noster exultat animus, cum porrecte pro personis idoneis preces nostre tam apud te quam apud alios fratres nostros optatum et debitum consequantur effectum, sic equanimiter toleramus, si certis interdum ex causis nunc probabilibus nunc necessariis salva semper obedientie promptitudine suspenduntur. Nuper sane pro dilecto filio Iohanne de Mosnilio presbytero elemosinario carissimi in Christo filii nostri C(aroli) illustris regis Sicilie in Cenomanensi ecclesia recipiendo in canonicum et in fratrem tibi et dilectis filiis Cenomanensi capitulo de prebenda ecclesie, si tunc vacabat aut quamprimum ad id se facultas offerret, per te, ad quem in ea prebendarum collatio pertinet, conferenda preces nostras direximus et mandata, que tu effectui mancipare ideo distulisti, quia dilecto filio magistro Americo de sancto Aniano officiali tuo felicis recordationis Urbani pape predecessoris nostri et Guillelmo Sibole socio tuo auctoritate nostra dudum in eadem receptis ecclesia per litteras facultatis videbas evidens preiudicium generari, sed et tertium P(hilippum) de Glis nomine in eadem receptum de tuo consensu dicebas auctoritate dilecti filii nostri S(imonis) tituli sancte Cecilie presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati, quam a nobis habebat ex indulgentia speciali. Nos igitur tuam prudentiam in hiis omnibus commendantes fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ob causas predictas dicti I(ohannis) presbyteri receptionem differas, per quam tribus predictis vel eorum alicui, quos omnes in assecutione prebendarum suarum eidem volumus anteferi, nullum volumus preiudicium generari, sed nec aliis, si qui auctoritate apostolica recepti sunt in eadem ecclesia, eidem Iohanni exigente iustitia preferendi.

Datum Viterbii, XII Kalendas Septembris, anno II.

255.

Clemens IV. an R(aoul Grosparmi,) Kardinalbischof von Albano, apostolischer Legat: übermittelt ihm Auskünfte und Anweisungen für seine Legation im Königreich Sizilien.

1266 September 4, Viterbo

R(adulfo) episcopo Albanensi, apostolice sedis legato.

Qui exoculati vel alias mutilati aut contumeliis aut dampnis affecti extra solum positi non fuerunt, iure exules dici nequeunt, sed, quia passi sunt, ut apparet, omni exilio graviora, licet ex verbis condicionum tenor eos attingere minime videatur, satis tamen videtur in eis ex sententia comprehendi. Quod tamen nec diffinire volumus nec a te pro iure servari, sed inducens regem, ut eis iura sua restituat, qui, si te audire noluerit, sue conscientie relinquatur, salva tamen iustitia, si eam duxerint iudiciario ordine requirendam. Iohannem de Doaco perfidum et girovagum et, prout creditur, furem et insuper proditorem alicubi detrudes in carcerem, donec plenius deliberatum fuerit de eodem. De bonis, que rex recepit ab officialibus quondam Manfredi, licet nostra sint et non sua, dissimulare te volumus, nec facias inde verbum. Queris, quando restitutio electionum in regno fuerit publicata, quod tu utique scire debes. Nos enim eam non publicavimus, sed eam per te iussimus publicari. Monasterium sancte Trinitatis, quod nominas, non cognovimus. An sit illud, quod monialibus Cisterciensis ordinis collatum extitit, ignoramus. Quicquid autem sit, tibi committimus ordinandum, si tamen litigiosum non est, prout Deo gratum crederis et acceptum. Alesium electum minus grammaticum ad episcopatum Quinque Vinc., si tamen vita eius aliquatenus supplet defectum scientie, equanimius prefici tolerabimus quam religiosum, qui plus preesse desideret quam prodesse et non subesse plus appetat quam preesse. De

concupinariis dudum tibi respondimus id tue providentie committentes, sic tamen, ut amotis aliquibus dispenses cum aliquibus morum emendationem considerans in hiis, cum quibus fuerit dispensandum. Quos non in illis dimittes beneficiis, in quibus plebi fuerint scandalo, sed ad alia transferes, prout videris expedire. Cum nato ex adulterio, quantumcumque sit bone indolis, extra religionem nolumus dispensari. Procuratorem episcopi Squillacensis non vidimus. Et, si dictus episcopus litteras, quas habere se iactat, ostendere tibi nequiverit, certificati a te, quid agendum fuerit, rescribemus. Bertrandum Cusentinum canonicum ex tuo sanctificandum consortio, si tibi videtur utilis, tuis potes obsequiis applicare. Proponimus tibi mittere fratrem Marchum. Sororem comitis camerarii non solum fieri nolumus abbatissam, quin etiam licentiari de regno mandamus. Et illud teneas incunctanter, quod nostre intentionis non est viduam aliquam vel corruptam aliqui fieri abbatissam. Quod vitium, ut audivimus, multum inolevit in regno. Quod de abbate sancti Iohannis scripsisti, gratum habuimus et acceptum. De quodam sancti Petri ad Aram et Cavensi abbatibus satis scripsimus tibi caute nec proponimus aliud tibi scribere, quia sufficit, quod scripsisti. Non eas Luceriam, sed mitte, si credis proficere. Melius quidem in aliis ad presens negotiis occuparis. O quam amare nostrum pertulit animum, quod de archidiacono Agennensi scripsisti. Dum enim hiis similia frequenter audimus, *renovatur cotidie dolor noster*²²⁴, et morimur, frater carissime, incessanter. Eum tamen, ut sic possit evadere, invitum volumus facere correctorem. Magister Helias adhuc a Pisis non rediit. Quo reverso nostram tibi scribemus quam citius voluntatem. Brevibus clausulis et dissutis tibi rescribimus, quia multiplicata problemata hoc requirunt.

Datum Viterbii, II Nonas Septembris, anno II.

256.

Clemens IV. an Bischof (Berengar de Frédol) von Maguelonne: sichert ihm zu, daß er von König L(udwig IX.) von Frankreich wegen der Grafschaft Melgueil nichts zu befürchten habe; verbietet ihm, in seiner Diözese weiterhin Münzen schlagen zu lassen.

1266 September 16, Viterbo

Episcopo Magalonensi.

Irritatus a susurrionibus carissimus in Christo filius noster L(udovicus) rex Francie illustris super Melgorii comitatu, quem in eius preiudicium et iniuriam a te possideri dicebant, prudenter et provide nos consuluit, cui plenam rescripsimus veritatem, qua et ipsum credimus fore contentum. Et idcirco nullius concussionem aut minas timeas, nam, *qui te tanget, pupillam oculi nostri tanget*²²⁵. Nostrum enim in hac parte negotium agitur et non tuum.

Sane de moneta Miliarensi, quam in tua diocesi cudi facis, miramur plurimum, cuius hoc agis consilio, non quod iniuriam facias regi Francie, si in feudis non fabricatur ipsius, sed regi glorie, extra cuius dominium nec hoc potes nec aliud operari. Quis enim catholicus monetam debet cudere cum titulo Machometi? Quis etiam licite esse potest monete aliene percussor? Cum enim nulli liceat eam cudere, nisi cui vel summi pontificis vel principis auctoritate conceditur, quam nullus unquam sic effuse concessit, ut omnis generis monetam faceret, data auctoritas ad rem certam quonam pacto ad aliam extendetur? Si consuetudinem forsitan allegas, in adulterino negotio te et predecessores tuos accusas potius quam excuses, cum perverse consuetudines dici debeant

²²⁴ Ps. (G) 38,3.

²²⁵ Zach. 2,8.

corruptele. Quod si consuetudine et iure cessantibus lucro inhias, vide, quantum dedecet excellentie pontificalis honorem negotiationem huiusmodi exercere, quam inferioris gradus clericis reprobamus. Certe, si venerabilem fratrem nostrum Agathensem episcopum in hac parte requireres, audires utique ab eodem, quantum ei hoc dissuasimus ad opus simile provocato, cum essemus in statu alio constituti. Hinc est, quod fraternitati tue per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatenus, si in regis feudis hoc facis, pareas prohibenti et, si alibi, nichilominus omnino desistas, cum et Deo et nobis displiceat et sit tue contrarium honestati.

Datum Viterbii, XVI Kalendas Octobris, anno II.

257.

Clemens IV. an König (Ludwig IX.) von Frankreich: erklärt unter ausführlicher Darstellung des rechtlichen Sachverhalts, daß die Grafschaft Melgueil ein zinspflichtiges Lehen der römischen Kirche sei; er habe an Bischof (Berengar de Frédol) von Maguelonne wegen des Münzschlages geschrieben.

1266 September 16, Viterbo

Carissimo in Christo filio nostro regi Francie illustri.

Quia quidam ex ignorantia, quidam ex certa malitia veritatem interdum sepeliunt et interdum quibusdam coloribus adulterinis obducunt, ideo, fili carissime, recte agis, si, quotiens tibi dubia referuntur, quorum tibi expediat plenam habere notitiam, causam, quam nescis, diligentius investigas, quia, sicut iudicio cognita, sic incognita constant casu. Sane tua nuper a nobis serenitas requisivit, quid de comitatu Melgoriensi, quem venerabilis frater noster Magalonensis episcopus possidet, sentiremus, cum tue magnitudini sit suggestum, quod vel tibi vel dilecto filio nobili viro P(etro) Peleti domino Alesti vassallo tuo fiat iniuria. Ad quod tibi breviter respondemus, quod, prout constat ex vetustissimis sedis apostolice documentis, comitatus predictus feudum est Romane ecclesie censuale. Quod iuste tenuit, ut communiter dicitur, aliquo tempore bone memorie Bertrandus comes abavus dicti P(etri), sed et comites Tholosani iuste, ut ipsi dicebant, iniuste, ut plurimi sentiebant, illud diversis temporibus tenuerunt. Verum, cum comes Tholosanus pater quondam comitis Tholosani proxime iam defuncti ex causis ad iudicium apostolicum ratione fidei pertinentibus per felicis recordationis Innocentium papam predecessorem nostrum terris suis et honore privatus suis meritis congruentem sententiam exceperisset, bone memorie P. de Benevento subdiaconus et notarius predecessoris eiusdem, tunc in illis partibus apostolice sedis legatus comitatum predictum, quem idem comes eo tempore possidebat, ad ius Romane ecclesie, sicut debuit, revocavit, quem tempore procedente R(aymundus) Peleti proavus dicti Petri restitui sibi petiit a legato predicto, qui nolens, sicut nec debuit, eidem negare iustitiam auditore sibi concesso. G(uillelmum) tunc Magalonensem episcopum constituit ad ius Romane ecclesie defendendum. Fuitque in eodem negotio eo usque processum, quod lite contestata fuit ex parte procuratoris exceptum, quod idem comitatus libram auri debebat annuam Romane ecclesie censualem et erat de ipsius dominio, quam non solverat a multo tempore retroacto. Quod idem actor fuit de plano confessus et nichilominus ad probandum ius suum, quod fuerat a procuratore negatum, testes produxit plurimos, sed, quicquid in causa fuerit, remansit negotium indecisum, sed tempore consequenti, cum videret Romana ecclesia dictum Raymundum intentionem suam in iudicio non fundasse, quod, etiamsi fecisset, sibi prodesse non poterat propter cessationem diutinam canonis annui non soluti, remque litigiosam non esse perpendens, quam sine speciali mandato legatus memoratus non potuit deducere in iudicio, dicto predecessori nostro placuit sepedictum comitatum Magalonensi episcopo et suis successoribus sub censu annuo in feudum

concedere. Sicque ipse et eius predecessor extunc pacifice possederunt hoc salvo, quod defunctus ultimo comes Tholosanus Melgorium et quedam castra alia episcopo abstulit, sed postmodum *ad cor rediens*²²⁶ ei reddidit liberaliter et libenter. Et hec, que de dicto legato premisimus, facta noveris, antequam recordationis inclite pater tuus Francie rex effectus negotium assumeret Albiense, immo et antequam patre vivo crucis sacre suscepto caractere civitatem adiens Tholosanam potenter ac viriliter eam obsidione vallasset. Nos autem, qui dictum P(etrum) et predecessores suos sincere dileximus ab antiquo, hec omnia sepe revolvimus et fideliter laboravimus in statu alio constituti, ut Magalonensis ecclesia aliquid eis daret, sed non potuimus obtinere. Nuper vero, ex quo licet immeriti sedem conscendimus altiore, ad eiusdem P(etri) devotam instantiam venerabili fratri nostro episcopo Magalonensi dedimus potestatem aliquos ei redditus assignandi, ad quod utique nos induxit eiusdem P(etri) domusque sue dilectio iam prescripta, sed et honor eiusdem episcopi et utilitas, cui credebamus expediens et scrupulum conscientie, si quis erat, redimere et vulgi clamoribus satisfacere omni iuris necessitate cessante et dictam domum satis sibi vicinam in sua gratia retinere.

Quocirca, fili carissime, nemo tibi suadeat preiudicium in hiis omnibus vel eorum aliquo tibi factum, nisi forsitan ad id se velint convertere, qui de sede apostolica male sentiunt, ut inquirent, quomodo Romana ecclesia in regno Francie feuda habere potuerit, sicut aliquos interdum audivimus susurrantes, quibus dicimus, quod habet utique hec et alia nec est aliquid, quod impediatur, cum nec regnum cum regibus natum fuerit nec a solis regibus acquisitum. Et, si veteres legant historias de Narbonensis acquisitione provincie, personales labores invenient Romanorum pontificum et sudores, qui non tam regum fuerunt socii in victoriis, quam reges nunc sequaces nunc socios habuerunt tamquam negotii domini principales. Tuis ergo contentus iuribus et regni latitudine, quod virtute mirifica nostris temporibus Dominus ampliavit, dictum episcopum et in ipso Romanam ecclesiam non perturbes nec susurronum sompniis irriteris, qui quandoque loquentes placentia credulis auribus fel mellitum instillant, quod in te fieri posse non credimus tue dudum constantiam circumspectionis experti.

Ceterum de moneta Miliarensi, quam idem episcopus cudi facit, ut dicitur, in feudis ecclesie, ei scribimus, quod et iuri consonum arbitramur et christiane conveniens honestati.

Datum Viterbii, XVI Kalendas Octobris, anno II.

258.

Clemens IV. an. die gegen Bischof (Raimundus de Felgar) von Toulouse eingesetzten Inquisitoren: gebietet ihnen, bis zu 100 Zeugen zuzulassen, die zugunsten des Bischofs aussagen können.

1266 September 20, Viterbo

Inquisitoribus contra Tholosanum episcopum deputatis.

Querulas venerabilis fratris nostri Tholosani episcopi litteras nuper recepimus inter cetera continentes, quod contra tantam multitudinem testium adversus eum a vobis receptam et ad bonam famam suam probandam ad tam modicum artatur numerum, ut hoc solo ei defensio necessaria subtrahi videatur, nec advertit, quanta prerogativa gaudeat, qui testes potest reprobare productos et contra suos reprobatores alios non expectat, cum nullus promotor inquisitionis appareat, nisi duxerimus aliter providendum. Sane, licet ista contentus gratia satis deberet in se quiescere, ut tamen aliquatenus eius singulibus satisfiat, discretioni vestre per apostolica scripta

²²⁶ Isai. 46,8.

mandamus, quatenus ad reprobationem testium, quos inquisitione completa tam super infamia quam super criminum veritate recipitis contra ipsum, usque ad centum testes recipiatis pro ipso, si tamen tot duxerit producendos, verum super bona fama ipsius, quantum ad fratricidii et symonie crimina, tot recipi volumus, quot super infamia recepistis. Ceterum, quia nec pro ipso nec contra ipsum impune volumus a veritate aliquos deviare, vobis districte precipiendo mandamus, ut omnes illos, qui pro ipso vel contra ipsum coram vobis deposuerunt mendaciter vel deponent, excommunicetis sollempniter et excommunicatos publice nuntietis et, si sunt clerici, beneficiis suis ipso facto auctoritate nostra privatos, a qua excommunicationis sententia a nullo absolvi valeant sine nostro speciali mandato cuiuscumque specialis vel generalis potestatis obtentu, nisi forsitan in mortis articulo, in quo, si fuerint absoluti et infra mensem sanitate recepta vobis vel duobus vestrum non aperuerint veritatem, ipso facto in eandem sententiam relabantur, quam, si vobis aperiendam duxerint, per manum conscriptam publicam nobis transmittere non tardetis. Quia vero tantus numerus testium infra tempus, quod per alias litteras vobis prefiximus, examinari non posset, vobis committimus, ut eo non obstante tempus prorogetis, prout nature negotii videritis convenire.

Datum Viterbii, XII Kalendas Octobris, anno II.

259.

Clemens IV. an König (Ludwig IX.) von Frankreich: erlaubt ihm, ein Statut zur Zollerhebung im Hafen von Aigues-Mortes, bei dem eine befestigte Siedlung errichtet werden soll, zu erlassen.

1266 September 21, Viterbo

Carissimo in Christo filio Ludovico regi Francie illustri.

Cum in portu, qui Aquarum Mortuarum vulgariter appellatur, in Nemausensi diocesi turrim dudum extruxeris opere sumptuoso, ut tam peregrini quam etiam mercatores in Terram Sanctam exinde profecturi cum rebus suis salvi consistere valeant in eodem, nec eorum possint ad plenum commoditas et securitas procurari, nisi locus fiat ex concursu inhabitantium populosus, interpellatus es pluries et a pluribus, ut audivimus, et rogatus, ut ibidem competens loci spatium murorum ambitu claudi facias, intra quem possint incole domos construere, que non solum ab hostium eos reddant tutos incursibus, sed etiam a ventorum persecutione defendant, qui, dum undique flatu libero locum pulsant, arenarum cumulis excrescentibus inhabitabilem eum reddunt, et, ne vel ex loci clausura vel eiusdem custodia pregraveris, placet, ut dicitur, mercatoribus tam in Monte Pessulano quam in locis insignibus adiacentibus constitutis, quod de mercibus in eundem portum per mare causa mercimonii inducendis vel educendis ex eo vectigal competens imponatur a te et tuis posteris recipiendum ibidem. Sane, quamvis aliquibus videatur, quod tu tamquam rex in regno proprio hec posses statuere tam evidenti venientium et transeuntium utilitate vel potius necessitate pensata, ut tamen eo procedas tutius, quo consultius nostrum super hoc requisisti consilium et assensum, nos igitur, qui loci situm et statum oculata fide cognovimus et ab olim optavimus ibi fieri villam bonam pro commoditate multorum, presertim cum in Mari Mediterraneo nullum alium portum habeas regni tui peregrinis accommodum, qui pre ceteris fidei zelo succensi ad Terre Sancte subsidium sepius se accingunt, tue celsitudini tenore presentium indulgemus, ut prelati Narbonensis provincie et vicinis loco baronibus, Montis Pessulani consulibus et locorum communitatibus adiacentium ad tuam vel illius, quem ad hoc illuc mittendum duxeris, evocatis presentiam de consilio illorum possis statuere, quod tam pio negotio

videbitur oportunum, provisurus attentius, ut et moderatum vectigal imponatur ibidem et futuris temporibus nequeat augmentari.

Datum Viterbii, XI Kalendas Octobris, anno II.

260.

Clemens IV. an König Karl I. von Sizilien: hält ihn an, eine geordnete Herrschaft zu führen und seine Untertanen angemessen zu behandeln, auf die Auswahl seiner Amtsträger und Berater zu achten sowie für Disziplin in seinem Haus zu sorgen.

1266 September 22, Viterbo

Carissimo in Christo filio C(arolo) regi Sicilie illustri.

Cum omnia, que secundum ordinem fiunt, ex ipso recipiant pulchritudinem et splendorem, decet te, fili carissime, in omnibus et per omnia ordinate procedere, ne tu forsitan, ad cuius pendet arbitrium ordinatio tanti regni, minus iuste queras in subditis, que in te ipso nequiverint inveniri. Hoc est sane nostri summa propositi, ut tuum studium excitemus ad tui stabilimentum honoris et statum pacificum nationum tuo regimini subiectarum, cuius rei principium esse credimus et fixum ac solidum fundamentum, si te, tuos et tua tam prudenter quam provide duxeris ordinanda.

Ad tuam autem ordinationem hoc pertinet, ut Deum timens ac diligens nil ex certa scientia in salutis tue dispendium teneas alienum. Quod si geris, prout debes in votis, et canonicis Piniani et monachis sancti Victoris Massilie castra sua restitues et Arelatensi ecclesie iura sua, similiter et Astensi, que omnia specialiter duximus exprimentia, quia nota sunt et notoria. Sed nichilominus de aliis, que non ita omnino novimus, reddimus te sollicitum, de gabellis salis videlicet, quarum originem vidimus vitiosam, in hiis etiam, que veteres appellantur, ut de aliis taceamus, que tuo sunt tempore, sicut dicitur, in multorum preiudicium introducta. Hiis est consequens, quod inhumanus diceris et ad nullum afficeris, prout dicitur, amicitia. Quod ex eo a multis presumitur, quia tuos Provinciales, tamquam eos in servos emeris, ad onera supra vires astrictos et tibi fideliter obsecutos suis fraudas stipendiis, quorum multi perierunt inedia, multi contra sue nobilitatis et non minus tue honorem in hospitalibus pauperum iacuerunt, multi te pedites sunt secuti. Languet in carcere filius viri nobilis Iordani de Insula Mediolani detentus, languet Novarie miles tuus Sordellus, qui emendus esset immeritus, nedum pro meritis redimendus. Multique alii, qui tibi in Ytalia servierunt, nudi et pauperes ad propria sunt reversi. Addimus iuxta famam communem, quod homines regni tui etiam videre contempnis et iustitiam eorum procrastinas, si quando ad te, quod raro accidit, prout dicitur, possint intrare. Quibus si nec visibilis fueris nec adibilis, si nec affabilis nec amabilis et eisdem volueris principari, profecto in manu gladium et in dorso loticam et a latere preparatum exercitum habere te iugiter oportebit. Et que erit hec vite species nisi mortis imago misere suspectos semper habere subditos et suspectum semper esse subiectis? Verum hiis verbis, que si iudicas aspera, rectius iudicabis utilia, quod te tamen magis prudentia quam experientia discere volumus et optamus, providentie tibi viam non claudimus nec te credere omni spiritui suademus nec vulgi manibus exponi te volumus attrectandum. Sed ad tuam instructionem sufficiat, quod prudentum iam dudum legitur diffinitione provisum, ut, qui presunt provinciis, et faciles ad adeundum se prebeant et in familiaritatem ulteriorem subditos non admittant, sed sic eorum necessitatibus se coaptent, ut semper ingenio augeant dignitatem.

Nunc ad tuos discredimur, illos scilicet, qui vel tuo assistunt lateri vel ad terrarum tuarum regimen destinantur. Et de istis communiter dicitur, quod tibi subtrahunt et tuis auferunt,

quicquid possunt. Et tamen dicunt singuli: „Inquiratur. Quisnam hoc facit?“ Et forte non minus clamitant magis rei, nam et sigillatim interrogantibus apostolis Dominum post prolatam ab ipso de futuro traditore sententiam: „Numquid ego sum, Domine?“ , fecit et ipse proditor inter ceteros questionem eandem²²⁷. Et tamen universis clamantibus solus taces et ignorantiam detestabilem affectare videris, ubi de tuo periculo et dampno agitur et tuorum. Quod si rapina huiusmodi excusabilis esse posset, hoc solum videtur ad excusationem prodesse, quod tu fures videris facere, quibus non reddis debita nec assignas certa stipendia. Sed hoc eos excusare non potest, quamvis te valeat de negligentia non mediocriter accusare.

Transeundum est ad consilia, quibus uteris. Ecce, ut fertur, publice dantur tibi consilia a peritis, que cum audieris, seorsum abiens iudicio subicis imprudentum, et aut tue innitens prudentie prefers omnibus id, quod sentis, aut peritorum responsa ab illis sustines iudicari, qui non intelligunt se vel illos. Hoc interdum vidimus in Provincia et ideo in Apulia posse fieri non impossibile reputamus. Crede, fili carissime, sepe iam nobis contigit in hac sede, cui licet immeriti presidemus, quod habitis fratrum nostrorum consiliis, quamquam contrarium crederemus utilius, eorum tamen sententias sequebamur, ubi tale erat negotium, quod sine peccato fieri poterat vel omitti. Et movebat nos ista ratio, quia temerarium censebamus tot prudentum iudicio sententiam nostri capitis anteferre. Elige ergo, fili, tibi consiliarios non suspectos et, cum suspectos habere ceperis, non retineas, quia bellum continuum cogitationum invicem confligentium non evaderes. Sed nullum habeas ex levi causa suspectum, quod utique communi iudicio nationis est vitium Gallicane. Sunt enim aliqui, quibus est moris, ut, cum audierint aliquos consulentes, secreta confabulatione captata dicant tibi vel aliis: „Hoc verbum, quod ille dixit, notastis, domine. Propter hoc dictum fuit.“ Et hii sunt pessimi *detractores Deo odibiles*²²⁸, verborum salubrium subdoli glossatores. Sed quid fiet? Sunt regnicole in consilio. Numquid erunt eo ipso suspecti? Audemus tibi dicere, quod sine eis bene regnum non reges et in eis et ex eis invenies, qui tuam felicitatem participant et te stante subsistunt et, quod avertat Dominus, caderent te cadente. Unde ergo suspicio est in talibus, si aliunde non surgat, quorum honor pendet ex tua gloria, quorum periculum a tuo nequit aliqua ratione disiungi?

Nunc dimissis consiliariis ad domum tuam descendimus, quam adeo deordinatam in omnibus mundus clamat, ut tot in ea sint domini, quot sunt capita, quorum aliqui sibi sumunt et mutant officia, prout volunt, alii tot simul se implicant, quod nichil bene peragunt, dum ad multa festinant. Durum tibi forte videbitur, quod de talibus taliter tibi scribimus. Scias tamen, quod curam non assumimus domus tue, sed dissipationem ipsius in tuum dispendium et infamiam nec letanter nec libenter audimus. Vidimus tamen aliquos laborantes hoc vitio, qui libentius multa perderent quam vel modica largirentur. Nec est peior aliqua prodigalitas quam equanimiter sustinere a garcionibus furibusque consumi, quod in usus honestos tam utiliter quam salubriter posset et deberet expendi.

Demum sufficiat hoc scripsisse, et ut finis concordet principio: Te et tuos et tua sic ordina, quod et Deo cedat ad gloriam, tibi ad commodum, tuis ad gaudium et exemplum. Latori presentium in hiis credas, que ex parte nostra duxerit proponenda.

Datum Viterbii, X Kalendas Octobris, anno II.

²²⁷ Vgl. Matth. 26,21–25.

²²⁸ Rom. 1,30.

Clemens IV. an Patriarch (Guillelmus) von Jerusalem, die Großmeister des Hospitaliter- und des Templerordens, Gaufridus de Serginis, (Seneschall des Königreichs Jerusalem,) und weitere Gläubige im Heiligen Land: verspricht ihnen baldige Hilfe in ihrer bedrängten Lage.

1266 September 30, Viterbo

Venerabili fratri patriarche Ierosolimitano et dilectis filiis magistris Hospitalis et Templi, nobili viro Gaufrido de Serginis et aliis Christi fidelibus in transmarinis partibus in negotio fidei laborantibus.

Nec aures surde nec pectus saxeam nec viscera nobis sunt ferrea, ut vel vestris lacrimosis clamoribus audientiam negaverimus aut auditis doloribus compassionis affectum. Conscientia teste scribimus, quod catholicos ubique principes excitavimus et adhuc iugiter excitamus, ut effusi pro se sanguinis in sue redemptionis pretium non immemores Terre Sancte succurrant. Et, quamvis multi dormiant vel dormitent, quamvis multi devotionem convertant in questum et petant subsidia, que habere non possunt, sunt tamen multi per Dei gratiam, qui ad illud viriliter se accingunt. Et speramus, quod plures erunt, cum audierint tribulationum instantiam, que vexant vos acrius, quam vellemus. Ad hoc ergo toto studio laboramus, in hoc noctes insomnes ducimus et ducemus, ut maturum et commodum habeatis auxilium. Et idcirco vestre manus, dilectissimi filii, non deficiant, nec genua dissolvantur. Sed extimantes, ut decet, quod filiorum non possumus oblivisci, expectate paulisper, donec magnum suffragium veniat, particularibus interim sustentandi. *Nec enim abbreviata est manus Domini*²²⁹ nec ipsius vicarii ratio consopita, qui vestrum periculum suum iudicat et in comparatione vestri discriminis alia omnia vilipendit.

Datum Viterbii, II Kalendas Octobris, anno II.

Clemens IV. an König Karl I. von Sizilien: will den (Kreuzzugs-)ablaß zugunsten der Söhne des (sizilischen Admirals) Filippo Chinard und ihrer Rechte auf der Insel (Korfu) nur unter bestimmten Bedingungen gewähren.

1266 Oktober 1, Viterbo

Carissimo in Christo filio C(arolo) regi Sicilie illustri.

Nec colorem habet aliquem nec saporem, quod pro iuvandis filiis viri excommunicatissimi quondam Philippi Chenardi indulgentia detur, quam postulas, quantumcumque Greci sint et fuerint odiosi. Alioquin contra Sarracenos adiuvantibus, Tartaros vel contra alterutros ipsos Grecos indulgentia danda esset, quod nullus recte sentiens crederet faciendum. Sane, si illi, qui detinent insulam, de qua agitur, in tuis vel aliarum personarum bonarum manibus eam ponerent nomine nostro vel carissimi in Christo filii nostri B(alduini) imperatoris Constantinopolitani tenendam salvo iure liberorum dictorum, si quod habent forsitan in eadem, et de hoc cautio competens haberetur, tunc militibus, qui se offerunt ad auxilium nec sunt ad terre subsidium obligati, dicta indulgentia dari posset, que non est ita passim omnibus concedenda, ut, quod

²²⁹ Isai. 59,1.

statutum est in salutis remedium, in fabulam et ludibrium convertatur. Hiis ergo pensatis intelligere potest tua prudentia, quo tibi sit ordine procedendum, presertim cum de dampno vitando non certes nec ius aliquod habeas in eodem.

Datum Viterbii, Kalendis Octobris, anno II.

263.

Clemens IV. an den Elekten J(ean de Courtenai) von Reims: zeigt sich empört darüber, daß er seine Kirche verpfändet habe, und gebietet ihm unter Androhung der Exkommunikation, im geheimen die Umstände des Geschäftes darzulegen.

1266 Oktober 6, Viterbo

Dilecto filio I(ohanni) electo Remensi.

In odore tui sinceri nominis hactenus delectati nuper tandem aliquibus intellectis, que a tua non modicum nobilitate degenerant, non leviter fuimus perturbati matris similes aliquatenus, que prestolans de conceptu letitiam peperisse demum se reperit abortivum. Nosti, fili, quantam servavimus in tuo negotio puritatem, quot et quibus modis occurrimus nostrum volentibus fermentare processum. Et tu, prout apud nos dicitur, non in angulis, sed in capite potius omnium platarum cum aliquibus, qui Deum nesciunt, mercatus pariter et mechatus effusa pecunia, sed tua celebri fama confusa tuum tam honorabile ministerium polluisti et Remensem ecclesiam ultra omnia, que nobis nec sperantibus nec avidè sitientibus fratrumque nostrorum obtulisti collegio, in decem milibus librarum Turonensium obligasti. O, si vera sunt, que dicuntur, quanto melius tibi foret *nec exceptum genibus nec lactatum uberibus* post conceptum *statim in utero periisse*²³⁰. Quidnam tibi valet prelatio pure data ab eo, qui dare potuit, et ab aliis, qui nichil poterant, inquinata? Nec confidas, si tecum fuerit per aliquem dispensatum, cum super hoc nullus nostram obtinuerit specialiter nec ex concessione generali receperit potestatem. Quo fit, ut dispensatio, si facta extitit potiusve presumpta, infructuosa fuerit, quam et nos coram Deo et angelis reprobamus.

Ut igitur nostra super hiis conscientia serenetur, discretioni tue per apostolica scripta in virtute obedientie districtissime precipiendo mandamus, quatenus, si predicta in totum vel in partem aliquam magnam vel modicam veritate nituntur, nobis solis per tuum secretum nuntium et fidelem rescribere non postponas, quid et quantum et quibus dederis vel promiseris vel promissum ab alio te sciente vel inscio postmodum ratum habueris et quis eorum extiterit mediator, sive in facto seu ante fuerit vel post factum, ut et tuo consulere statui valeamus et in futuris negotiis huiusmodi sancte sedis honorem melius conservare. Quod si in hiis ex certa scientia nobis celaveris veritatem, excommunicationis te vinculo innodamus, a qua per neminem absolvi valeas, nisi per Romanum pontificem vel alium de ipsius licentia speciali, preterquam in mortis articulo, in quo si forsitan absolutus insperatam receperis sanitatem et infra duos menses ea nobis tunc superstitibus clare scribere et aperte distuleris, in eandem sententiam recidas ipso facto, sciturus nihilominus, quod, si te veritatem celante eam per alios potuerimus invenire, te a nostra gratia penitus alienum *de ore nostro* et corde non sine gravi mentis angustia *evomemus*²³¹. Hec autem secreta sint apud te nulli penitus revelanda nisi ei, quem noveris vel credideris id celare misterium et tuam salutem querere ac honorem.

²³⁰ Iob 3,11–12.

²³¹ Apoc. 3,16.

Datum Viterbii, II Nonas Octobris, anno II.

264.

Clemens IV. an O(ttobono Fieschi,) Kardinaldiakon von Sant'Adriano, (apostolischer Legat): beauftragt ihn, im geheimen die Namen von Anhängern der römischen Kirche in England anzugeben, mit denen freiwerdende Bistümer besetzt werden könnten; Hinweis auf das Fischerringsiegel.

1266 Oktober 11, Viterbo

Dilecto filio O(ttobono) sancti Adriani et cetera.

Cum multum nobis expediat bonarum habere notitiam personarum de regno Anglie, que et Romane ecclesie sunt devote et in persecutionis instantia vel magis commendabiles vel magis excusabiles extiterunt, sinceritatem tuam, quanto carius possumus, adiuramus, quatenus secretissime sub tuo inclusa sigillo plurium nomina cum circumstantiis debitis nobis mittas, ut, si forsan nobis occurreret, viduandis ecclesiis, si que fuerint, de personis huiusmodi providere securius valeremus. In hac autem littera sigillum piscatoris agnosce.

Datum Viterbii, V Idus Octobris, anno II.

265.

Clemens IV. an Gui d'Auvergne, Propst von Lille: erlaubt ihm angesichts seiner Postulation zum Erzbischof von Vienne, seine alten Pfründen trotz einer fehlenden Dispens zu behalten, und gebietet ihm, sich bei nächster Gelegenheit zum Subdiakon weihen zu lassen.

1266 Oktober 11, Viterbo

Dilecto filio Guidoni de Alvernia preposito ecclesie Insulensis Morinensis diocesis.

Vacante nuper ecclesia Viennensi et dilectis filiis eiusdem Viennensis et Romanensis ecclesiarum capitulis, ad quos pertinet archiepiscopi Viennensis electio, ad providendum viduate ecclesie de pastore pluries congregatis, tandem votis omnium, qui vocati legitime voluerunt et valuerunt commode interesse, in dilectum filium Philippum Lugdunensem electum, eiusdem ecclesie Viennensis decanum unanimi voluntate transfusus, concesso ab omnibus et promisso, quod illum reciperent in pastorem, quem ipse duceret eligendum vel etiam postulandum, idem electus in te oculos suos dirigens, te adhuc in minoribus ordinibus constitutum vice sua et utriusque capituli nominans in eiusdem pastorem ecclesie postulavit et postulationem huiusmodi coram dictis capitulis primo et postmodum coram clero et populo publicavit. Sane dilecti filii P(etrus) de Mariais et G(uido) de Lumonensi Viennenses ac Mallenus de Varaceno Romanensis canonici, dictorum capitulorum procuratores sollempnes ad nostram destinati presentiam postulationem huiusmodi a nobis admitti et te eisdem in pastorem concedi humiliter et suppliciter petierunt. Verum, quia notum erat apud nos et in partibus tuis notorium, quod tu plura beneficia ecclesiastica obtinebas, inter que preter prebendas, quas in diversis habebas ecclesiis, erant prepositura ecclesie Insulensis Morinensis diocesis et archidiaconatus ecclesie Morinensis ac secularis abbatia sancti Germani Claromontensis diocesis, sed et scolastriam Coloniensem olim tibi collatam acceptasse et quandam preposituram eidem annexam dicebaris aliquo tempore possedis, que sine sedis apostolice indulgentia canonice obtinere non poteris, inquisivimus, an super hiis

tecum fuisset per sedem dispensatum eandem. Et exhibito nobis sub sigillo dilecti filii Lugdunensis officialis quodam exemplo indulgentie tibi a felicis recordationis Innocentio papa predecessore nostro concessa patuit evidenter, quod indulgentie dicte vires ad tot beneficia, personatus et dignitates nulla poterant porrigi ratione, propter quod postulationem de te factam admittere non debuimus nec volumus. Cum in defectibus non reatibus sedes ista subveniat postulatis, eam tamen non reprobavimus nec responsum dare volumus, sed ex causa teneri placuit totum negotium in suspenso.

Ceterum et tue saluti consulere et a te impedimentum huiusmodi amovere volentes, ut beneficia, que nunc possides, cum dignitatibus seu personatibus antedictis licite valeas retinere nec non et quod fructus, quos ex eis hactenus percepisti, ob defectum dispensationis predictae restituere minime teneris, non obstante constitutione Lateranensis concilii vel quavis alia tenore tibi presentium indulgemus, dum tamen ea canonice alias obtinueris, que obsequiis consuetis et debitis volumus non fraudari. Ut autem ad nostram gratiam pro loco et tempore reddaris habilior, discretioni tue per apostolica scripta firmiter et districte precipiendo mandamus, quatenus in ordinibus proximis in subdiaconum te facias promoveri. Quod si canonico impedimento cessante distuleris, presentem indulgentiam carere volumus et decernimus robore firmitatis.

Datum *ut supra*.

266.

Clemens IV. an S(imon de Brion,) Kardinalpriester von Santa Cecilia, (apostolischer Legat): bezieht Stellung zu der Bitte König (Ludwigs IX.) von Frankreich um Befreiung zweier Kirchen vom Zehnten. 1266 Oktober 13, Viterbo

Dilecto filio S(imoni) tituli sancte Cecilie et cetera.

Litteras carissimi in Christo filii nostri illustris regis Francie nuper recepimus deprecantis, ut tue prudentie mandarem, quod a fratribus Fontis Bliaudi et sancti Mauritii nichil decime nomine sineres extorqueri. Sane durum est nobis non annuere eius precibus, sed longe durius occasionem dare carissimo in Christo filio nostro regi Sicilie illustri nobis et nostris fratribus obloquendi, quod de promissis eidem vel *unum iota*²³² ex parte nostra minui videatur, cum nec Terre Sancte necessitas nec aliquarum personarum paupertas nostris adiectis precibus eum flectere potuerit ad unum denarium persone vel personis aliquibus dimittendum. Hec autem signata sint apud te, cum et eius duritiam et, quam passi sumus iam pluries in repulsa, non mediocrem verecundiam non expediat publicari. Sed tamen volumus et mandamus, quod explores secretius, ad quam summam decima fratrum predictorum ascendit, et eam de nostro solvi facias predicto rege Francie penitus ignorante. Nos enim mercatoribus Senensibus Parisius commorantibus per eorum socios, qui apud nos sunt, mandari facimus, ut tibi libere summam tradant pecunie, quam ab eis nostro nomine duxeris exigendam. Et nos, quam te recepisse ab eis per tuas litteras confiteberis, tamquam receptam a nobis in nostro computo, quod habemus cum sociis eorundem, recipi faciemus.

Datum Viterbii, III Idus Octobris, anno II.

²³² Matth. 5,18.

Clemens IV. an O(ttobono Fieschi,) Kardinaldiakon von Sant'Adriano, apostolischer Legat: gebietet ihm, die durch Bischof Iohannes (Gernsay) hervorgerufenen Mißstände in der Kirche von Winchester zu beseitigen.

1266 Oktober 14, Viterbo

Dilecto filio O(ttobono) sancti Adriani diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Inter cetera, que Iohannes Wintoniensis adhuc episcopus contra Deum dicitur perpetrasse, illud fertur esse notorium, quod Wintoniensis ecclesie statum omnino confundens pro voto mutavit officia, destituit, quos voluit, et instituit, cum tamen id non ad ipsum, sed ad capitulum seu conventum eiusdem ecclesie pertineret. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ex officio statum solitum ipsius ecclesie, quem ab ipso contra morem indebite perturbatum invenies seu mutatum, per te vel per alium studeas reformare episcopali in omnibus iure salvo. Et, si quid fuerit inquirendum, constituas aliquam personam idoneam et iuratam pro episcopo ab administratione suspenso, qui te vel illum, cui id commiseris, de iuribus episcopali- bus sciat et valeat informare, que siquidem ledi nolumus, sed illibata penitus conservari. Bona autem episcopalia sic custodiri facias, ne depereant nec ad manus veniant iniquorum, et de omnibus reddi tibi facias, quotiens id expedire videris, rationem.

Datum Viterbii, II Idus Octobris, anno II.

Clemens IV. an R(aoul Grosparmi,) Kardinalbischof von Albano, apostolischer Legat: fordert ihn auf, Bischof von Gravina, (Jakob von Tarent), der vor Manfred (von Sizilien) die Messe gelesen und öffentlich für ihn beten gelassen habe, seines Amtes und seiner Weihen zu entheben; entsprechend sei in ähnlichen Fällen vorzugehen.

1266 Oktober 14, Viterbo

Venerabili fratri R(adulfo) episcopo Albanensi, apostolice sedis legato.

Gravinensem episcopum lapsam graviter et gravibus penis obnoxium si coram M(anfredo) quondam principe Tarentino post latas a predecessoribus nostris sententias missas, prout dicitur, celebrasse et eiusdem oblationes recepisse et pro eo orasse et orari publice procurasse repereris, nil aliud superest, nisi ut eum eductum de carcere nostra auctoritate clero et populo convocatis denunties depositionis et degradationis incurrisse sententiam ipso facto a felicis recordationis Alexandro papa predecessore nostro prolatam. Et idcirco de nostro mandato pronuntiare te volumus eum esse omni honore pontificali et omnium sacrorum ordinum executione privatum sine spe cuiuslibet indulgentie, nisi forte aliquam de religionibus artis intraverit, in qua, si per bienium post professionem emissam laudabiliter fuerit conversatus, circa restitutionem ad aliquos sacros ordines vel ad omnes spem ei non duximus precidendam. Quod si religionem huiusmodi non intraverit, iniungas ei penitentiam salutarem ingressum et moram civitatis et diocesis Gravinensis ei perpetuo interdicens. Si quos autem exnunc in celebratione missarum huiusmodi inveneris alios ei similes, censura simili contra ipsos procedere et ecclesiis, a quibus amoti fuerint, de personis idoneis providere nullius obstante contradictione postponas. Nos enim decernimus irritum et inane, si quid secus contingeret attemptari.

Datum Viterbii, II Idus Octobris, anno II.

269.

Clemens IV. an R(aoul Grosparmi,) Kardinalbischof von Albano, apostolischer Legat: gebietet ihm, bei Restitutionsverfahren Einreden zuzulassen.

1266 Oktober 14, Viterbo

Eidem.

Circa restitutionis negotium a te et carissimo in Christo filio nostro rege Sicilie illustri questioni propositae respondemus, quod, licet civili cautum sit sanctione, quod adversus id, quod vi factum est, nulla exceptio locum habeat, quia tamen per leve compendium in grave dispendium nonnullos vidimus imprudenter incidere, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, si fundata intentione agentium in inquisitione, quam facis, exceptiones obici videris, que de iure non possent respui, si ordinarie actum esset, eadem manente figura processus eas patienter admittas, licet pauce valeant inveniri, que restitutionem impediunt spoliati, sicque provideas, ut per multa diffugia iusta petentium non eludatur intentio nec per negata defensionis suffragia cuiusquam innocentia opprimatur.

Datum *ut supra*.

270.

Clemens IV. an König (Ludwig IX.) von Frankreich: er habe seinen Brief erhalten; er bedaure ein früheres Schreiben an ihn und übersende ihm nach einigem Zögern einen Widerruf auf einem eigenhändig verfaßten, eingelegten Zettel.

1266 Oktober 14, Viterbo

Carissimo in Christo filio regi Francie illustri.

Pridie Idus Octobris dilectus filius G(uillelmus) archidiaconus Parisiensis ecclesie et I(ohannes) de Valentinis dominus Gayfe tuas nobis litteras obtulerunt, que quantum gaudium nobis attulerunt, novit ille, qui cordium secreta rimatur, presertim cum divino consilio factum fuerit, ut de finibus tam remotis nostra et tua concurrerint voluntates. Penitentes siquidem responsionis illius, quam tibi per alias litteras feceramus, intimis cruciabamur angustiis, et epistolam revocatoriam presentibus interclusam manu propria scripseramus parato iam nuntio ad eadem tibi sine qualibet dilatione mittendas. Hesitaverat tamen animus et aliquamdiu missionem suspenderat, sed dictorum nuntiorum adventus scrupulum dubitationis amovit, et protinus eas dedimus tuis nuntiis per expeditiorem cursorem tue celsitudini preferendas. Age ergo *viriliter*²³³, fili carissime, fili benedictionis et gratie, et post conceptum laudabilem laudabilius pariens *mitte manum ad fortia*²³⁴. Aderit enim tibi Dominus, et eiusdem vicarius tuis invigilabit pro viribus commodo et honori.

Datum *ut supra*.

²³³ Iosue 1,18.

²³⁴ Prov. 31,19.

Clemens IV. an S(imon de Brion,) Kardinalpriester von Santa Cecilia, (apostolischer Legat): übermittelt ihm Briefe, die er dem französischen Klerus eröffnen solle, sobald König (Ludwig IX.) von Frankreich das Kreuz genommen habe.

1266 Oktober 14, Viterbo

Dilecto filio S(imoni) tituli sancte Cecilie et cetera.

Licet carissimus in Christo filius noster rex Francie illustris signum crucis nondum suscepit, sicut nosti, quod sub spe nostri subsidii creditur suscepturus, discretioni tue tamen mittimus litteras ad prelatos et clerum Francie, quas servabis in tempus, quo eiusdem regis intentio publice in effectum exhibit, et extunc convocatis illis, ad quos littere diriguntur, nostrum eis pandes affectum et intentionem expones et ad ea complenda, que ipsis litteris continentur, amicabilem et salubriter induces eosdem et ab eis responsum exiges, quod et nobis cum omni celeritate transmittes, cum scire valeas, quod in tanto negotio, quod Dei et non hominis est censendum, dicto regi negare non possumus consilium et auxilium oportuna, quem personali libentius iuvaremus presentia, si dignitatis id status apostolicus pateretur.

Datum *ut supra*.

Clemens IV. an S(imone Paltinieri,) Kardinalpriester von San Martino, (Rektor der Mark Ancona und des Herzogtums Spoleto, apostolischer Legat): er wundere sich über die Bewohner der Mark Ancona, die meinten, König Karl I. von Sizilien könne Konradin (von Schwaben) nicht widerstehen; erteilt Anweisungen hinsichtlich Fermo und Urbino sowie des Ritters Petrus de Columba.

1266 Oktober 16, Viterbo

Dilecto filio S(imoni) tituli sancti Martini et cetera.

Que de statu nobis scripsisti Marchie, pleno collegimus intellectu nec magnam vim facimus in legatis eorum, quos ad suum destinant ydolum, adolescentem videlicet Corradinum, cuius statum ad plenum novimus, quem intelleximus eo usque prostratum, ut nec sibi consulere nec suis cultoribus valeat subvenire. Hec est sane mira prorsus et stupenda vesania, ut stulti ac miseri Marchiani vel alii suspicentur carissimum in Christo filium nostrum C(arolum) illustrem regem Sicilie regnum plenissime possidentem uni puero nudo et pauperi facile non posse resistere, qui prudentem et divitem possessorem in viginti et uno diebus regno simul et vita privavit. Si dicatur, quod digitus Dei fuit, et hoc dicimus et fatemur et hunc affore regi nostro confidimus contra omnes, qui regnum ipsius et Romane pacem ecclesie perturbare nitentur. Frange ergo, si prevales, Firmanorum superbiam et nichilominus satage, ut Urbinatibus melius resistatur, qui collectis undique viribus contra fideles ecclesie nimis libere debacchantur et usque ad Collem de Pergula stratas faciunt esse suspectas. Illud tamen concludimus, quod vel *pacem cum omnibus habeas*²³⁵ honorificam vel guerram facias exequendo iustitiam benevivam. Ceterum de Petro de Columba milite, de quo alias tibi scripsimus, rescribe, an tibi sit necessarius et cum quot sociis, ne eundem verbis inanibus teneamus.

²³⁵ Rom. 12,18.

Datum Viterbii, XVII Kalendas Novembris, anno II.

273.

Clemens IV. an S(imon de Brion,) Kardinalpriester von Santa Cecilia, (apostolischer Legat): teilt ihm mit, daß er beabsichtige, die Vorbereitung des Kreuzzuges aus der Zuständigkeit seiner Legation herauszunehmen.

1266 Oktober 17, Viterbo

Dilecto filio S(imoni) tituli sancte Cecilie et cetera.

Cum predicande crucis officium tibi commisimus, intentionis nostre fuisse noveris non predicationi legationem, sed legationi predicationem adnectere, que si tibi videri poterat ob concurrentium negotiorum instantiam onerosa, subiunximus oportunum remedium, ut videlicet eam committeres aliis predicandam. Hec sane fuit causa iustissima, que nos movit, ut iuxta formam bone memorie O. Tirensi archiepiscopo olim traditam rescripta competentia mitteremus non tuam in hac parte confusionem querentes, quam te non meruisse fatemur, sed, quod congruebat materie, prosequentes et illis eam concludentes limitibus, ut et negotii promotioni sufficeret et in minorem personam caderet te vices tuas alii committente. Verum nosti, quod de nove legationis officio committendo novus erat cum fratribus tractatus habendus, ad quem aditus non patebat, nisi veniret in publicum, quod celare proponimus et debemus, donec tempus se offerat oportunum. Quod cum venerit et utinam non tardetur, sic annuente Domino procedent omnia, quod nichil prorsus de contingentibus omittetur, quod ad promotionem negotii pertineat Terre Sancte. Demum, quod aliquos murmurare scripsisti, quasi tuum sit finitum officium regno Sicilie acquisito, tuum animum non concutiat, cum equanimiter toleremus tua te more solito uti libera potestate infra terminum concessisse decime regi Sicilie, nisi a nobis aliud recipias in mandatis.

Datum Viterbii, XVI Kalendas Novembris, anno II.

274.

Clemens IV. an Magister Wilhelm von Saint-Amour: bezieht Stellung zu seinem neuen Buch, obwohl er es nur zum Teil gelesen habe.

1266 Oktober 18, Viterbo

Dilecto filio magistro Guillelmo de sancto Amore.

Si circa veritatis indaginem elaboras, si cautelas ecclesie necessarias colligis ex scripturis, dum tamen sobrius inquisitor existas et actuum evites scandalum, non te credimus arguendum, sed cavendum est tibi, ne vel preteritorum tuo hereat animo nimis tenax memoria et sub doctrine specie detractoris colores insidias vel illam obiurgationem merearis audire, qua Paulum tetigit Festus dicens: „*Te multe littere faciunt insanire*“²³⁶. Sane libellum novum evolvere cepimus, quem misisti, qui, licet interdum alias auras circinet, veterem multum sapit et, cum excussus fuerit et discussus, licet coloratior in aliquibus videatur, totam primi substantiam comprobabitur retinere. Verum, quia totum non legimus, nichil tibi possumus respondere, nisi quod provida diligentia

²³⁶ Act. 26,24.

cor tuum munias, ne sub boni specie te seducat, qui se, ut lateat, in lucis angelum transfiguratur²³⁷. Nos autem, cum nobis legerimus hoc opusculum et aliis amatoribus veritatis et eandem intelligentibus illud communicaverimus, tunc, quod nobis videbitur, tibi curabimus intimare. Sed, quia res forsitan abibit in longum propter negotiorum instantiam, qui de mundi diversis partibus nos solito acrius inquietant, dilectum filium magistrum Thomam supradicti presentatorem operis ultra nolumus detinere.

Datum Viterbii, XV Kalendas Novembris, anno II.

275.

Clemens IV. an die Frati Gaudenti Loderengo (degli Andalò) und Catalano (dei Malavolti), Rektoren, sowie an Rat, Prioren der Zünfte und Kommune von Florenz: zeigt sich ungehalten, dass sie sich geweigert hätten, die deutschen (Ritter) aus der Stadt zu weisen und den von ihm zum Podestà bestimmten Giacomo di Collemezzo aufzunehmen; gebietet ihnen, innerhalb von zehn Tagen durch einen Syndikus vor ihm zu erscheinen; verbietet ihnen, gegen die exilierten und konfinierten Florentiner vorzugehen.

1266 Oktober 18, Viterbo

Dilectis filiis fratribus L(otharingo) et C(athalano) civitatem Florentinam regentibus vel eorum alteri, consilio, prioribus artium et communi civitatis eiusdem.

Multis nos aliis occupatos negotiis vestrarum zelus compulit animarum vos ad ecclesie gremium ab eodem propter multiples et enormes excessus plurimum elongatos in lenitatis spiritu revocare, et aperto sinu latissime pietatis preter iuris formam et ordinem a diversis excommunicationum sententiis absolvi vos fecimus relaxata nichilominus interdicti sententia in vestras civitatem et diocesim promulgata, quamquam cause satis essent notorie, ob quas erant dicte late sententie, sicque relaxationem earum, si scripti iuris sequeremur angustias, satisfactio competens antecedere debuisset. Sane, cum firmam haberemus fiduciam, quod vos tante gratie non ingrati precipue post iuramenta prestita de nostris parendo mandatis humiliter eadem, cum vobis innotescerent, impleretis, mox tamen, ut experiri voluimus facti exterioris iudicio, quem ad nos et Romanam ecclesiam animam haberetis, invenimus rebellionem in limine, nam, cum vobis per nostras litteras mandassemus, quod sceleratos Theutonicos eiceretis a vobis tamquam excommunicatos et perfidos ac sedis apostolice inimicos et dilectum filium Iacobum de Colle Medio militem, quem vobis dedimus potestatem per vestrum syndicum ad nostram missum presentiam, honoraretis salario competenti et honeste militum comitive provideretis in sumptibus, per quam posset civitatis vestre statum pacificum conservare, nichil horum efficere voluistis, immo clarius et apertius respondistis, quod ea vel eorum aliquod minime faceretis. Quamvis autem de vestra contumacia satis liqueat ex predictis, ut machinationes abditas taceamus ad presens, quas postmodum contra Romanam ecclesiam et carissimum in Christo filium nostrum C(arolum) illustrem regem Sicilie in remotis et finitimis partibus attemptastis, quia tamen ulteriorem volumus in hiis, que ad Dei honorem pertinent, processum aggredi, per quem pateat, quid deponat protervia, quid demum inobedientia mereatur, universitatem vestram monendam duximus et hortandam vobis per apostolica scripta sub debito prestiti iuramenti districte precipiendo mandantes, quatenus infra decem dies a receptione presentium dictis eiectis Theutonicis de civitate et diocesi supradictis coram nobis compareatis per syndicum sufficienter instructum ad audienda

²³⁷ 2. Cor. 11,13.

et fideliter adimplenda mandata nostra, que super articulis, pro quibus generaliter vel specialiter excommunicati fuistis, proferenda duxerimus salvis aliis suo tempore proferendis, quam diem pro peremptorio vobis prefigimus termino tenore vobis denuntiantes presentium, quod, sive veneritis sive non, nos in negotio, prout iustum nobis videbitur, procedemus, vobis nichilominus districtius inhibentes, ne contra exiticios Florentinos vel alios in confiniis positos iuris vel facti processum aliquem attemptetis, donec in potestatem receperitis militem supradictum, penes quem solum de iure permanent vel consistunt infra tempus, quod ei dedimus, vestre regimen et iurisdictio civitatis.

Datum *ut supra*.

276.

Clemens IV. an R(iccardo Annibaldi,) Kardinaldiakon von Sant'Angelo: gebietet ihm, nach dem Fall von Safad mit König (Karl I.) von Sizilien über dessen Beitrag zu einer Hilfe für das Heilige Land zu verhandeln.

1266 Oktober 19, Viterbo

Dilecto filio R(icardo) sancti Angeli diacono cardinali.

Ad tuam credimus pervenisse notitiam durum et asperum Terre Sancte dispendium in accelerata captione Sapheti cum multorum strage bonorum et confusione non modica populi christiani. Cum igitur post tot dampna, que longa iam temporum series successivis adversitatibus in transmarinis partibus christianis infixit, non immerito casus gravior timeatur, habito fratrum consilio destinavimus et in Angliam et in Franciam et Germaniam et alias regiones nuntios cum litteris excitatoriis mittere pro eiusdem terre subsidio discretioni tue per apostolica scripta mandantes, quatenus cum carissimo in Christo filio nostro C(arolo) illustri rege Sicilie super hiis conferas et prudenter indages, quid sibi videretur agendum, quid etiam ipse posset et vellet facere, qui vicinior est negotio et pre ceteris mundi principibus posset ei celerius subvenire. Et tam tuum quam suum consilium et propositi promptitudinem nobis rescribere non postponas.

Datum Viterbii, XIII Kalendas Novembris, anno II.

277.

Clemens IV. an O(ttobono Fieschi,) Kardinaldiakon von Sant'Adriano, apostolischer Legat: gebietet ihm, nach dem Fall von Asdod, Caesarea und Safad weiterhin (im Königreich England) den Kreuzzug ins Heilige Land zu predigen und sich besonders um die Mittel zur Besoldung von 500 Bogenschützen, die bis zum nächsten März rekrutiert werden sollten, zu bemühen.

1266 Oktober 26, Viterbo

Dilecto filio O(ttobono) sancti Adriani diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Crucifixi negotium in verbo crucis infra fines tue legationis omnibus proponendum tue sollicitudini dudum commisimus, quod si forsitan credidisti intermittendum ad tempus, ecce Dominus voce vicarii non contentus clamat ipse clamore valido, clamat, inquam, tuba terribili, clamat verbis, clamat verberibus, quibus suam hereditatem asserens terram illam, quam suo sanguine consecravit, notam sibi per omnia veritatem exnunc in publicam vult produci notitiam, an sit,

qui vicem suam doleat, an omnino relinquunt subditi sibi suas iniurias vindicandas. Ecce, fili, Dominus omnium, qui non multos ante iam dies Azotum et Cesaream a Sarracenis diripi iusto suo iudicio licet nobis occulto permiserat, consequenter Sapheti castrum in manus tradi voluit eorundem. Dicemus: voluit, an permisit? Casum novimus, sed celestis *abyssum iudicii*²³⁸ penetrare non possumus et idcirco, quod nescimus, metuimus et id plangimus, quod videmus. Ecce nobile domus Hospitalis Ierosolimitani collegium annus preteritus centenario fratrum numero mutilatum hostiliter deformaverat, ecce sequens domus Templi tam celebrem, tam famosam militiam datam in manus gladii quasi prorsus redegit ad nichilum personarum substitutione nobilium necessario reparandam, ut de equis et armis et castrorum instructionibus perditis taceamus, que inestimabilis fere pretii subtracta fidelibus et fidei tam crudelibus inimicis adiecta iactura duplici christiane religionis pugiles affecerunt. Clamat ergo crux Christi, clamat sanguis pretiosissimus Crucifixi, clamat ipse, qui denuo crucifigitur. Et, cum paucos inveniat inculcatis clamoribus auditores, credimus non immerito formidandum, ne et ipse clamantes non audiat, spernentes se spernat et novissime nesciat nescientes.

Eapropter tuam prudentiam duximus excitandam per apostolica scripta tibi mandantes, quatenus omni occasione postposita per te et alios in tue legationis finibus novas predices ignominias Crucifixi et ad eius opprobria vindicanda fideles excites universos, cum sit in perditionis discrimine Terra Sancta, quam si forsan, quod absit, perdi contingeret, ad recuperationem eiusdem aditus non pateret. Verum, cum eiusdem defensoribus ex parte maxima iam assumptis sit ei necessarium promptum subsidium ad continuam sustentationem eiusdem, donec fiat passagium generale, procurare te volumus, ut de pecunia in partibus Anglicanis pro eadem collecta per manus aliquorum fidelium Anglicorum quingentis pedibus balistariis ministrentur stipendia, qui in instanti passagio Martii transeant ad terre defensionem eiusdem, qui siquidem, si in Anglie partibus non habentur idonei, circa partes Viennensis, Arelatensis et Narbonensis provinciarum poterunt inveniri. Ceterum ad pacem Anglie reformandam, ad quam fideliter laborasti, te necessitas ista provocet, sed et regem ac suos excitet, moveat, adversarios omnes pulset, ut suarum iniuriarum immemores Redemptoris iniurias prosequantur, cum sit melius ante tempus occurrere quam tardatum remedium querere post ruinam. Demum, quid super hiis facias vel possibile fieri iudices, quod etiam subsidium possit dari laborare volentibus, nobis, quam cito poteris, rescribere non postponas.

Datum Viterbii, IX Kalendas Novembris, anno II.

278.

Clemens IV. an Raymundus Alafredi, Kanoniker von Le Puy: begrüßt seinen Beschluß zu studieren, trägt aber Bedenken hinsichtlich Bolognas als Studienort.

1266 November 2, Viterbo

Dilecto filio Raymundo Alafredi canonico Aniciensis.

Quod te scripsisti velle studere Bononie, nec reprobare possumus nec probare, cum nomen studii sumptum proprie censeatur adeo favorabile, ut aures mulceat audientium, quibus offertur aliquis amator studii vel solo nomine studiosus, quamquam multotiens agatur aliud, aliud simul. Sane in dubiis presumentes in dexteram potius quam sinistram tuum propositum circa studium, quod ab olim nutritivimus, commendamus. Sed, an tuo proposito locus congruat, ipse

²³⁸ Ps. (G) 35,7.

dispice, cum sit ex insolentia modernorum supervacuis expensis obnoxius, ut necessarias omitamus, ad quas situs civitatis invitat, que in via publica constituta multorum exhibet studentibus ibi presentiam verecundam non obsequentibus et obsequentibus onerosam. Tue igitur deliberationi committimus, ut vires tuas fideliter metiaris. Nec enim ut pape nepos vivere ibi poteris et, si vixeris ut Raymundus, forsán a pluribus contempneris. Quod si adeo fortis es animi, ut contempnere scias et valeas te contempni, hic est gradus humilitatis sublimior, ad quem pauci se iudicant ascendisse. Et, si tibi datum est desuper, refer gratias largitori benivolo gratiarum. Alioquin consultius tibi credimus alium locum eligere proposito tam laudabili non mutato. Ne culpes nuntium de mora diutina, quem ideo detinuimus, ut per eum ordinationem Aniciensis ecclesie mitteremus, sed tandem estimavimus melius eam per alium destinari.

Datum Viterbii, IIII Nonas Novembris, anno II.

279.

Clemens IV. an Graf (Pandolfo) von Anguillara: schlägt nach der mit päpstlicher Hilfe erfolgten Befreiung aus der Gefangenschaft seine Bitte um Schadensersatz aus.

1266 November 3, Viterbo

Dilecto filio nobili viro comiti Anguillarie.

Receptis litteris, quas misisti, gratum habuimus, quod devotionis tue promptitudinem et constantiam ad nostrum obsequium obtulisti, nec abnuimus, quod et adicere tibi placuit te in ecclesie Romane servitio laborantem in manus hostium non sine multis dispendiis incidisse. Licet autem ex hiis concludere visus fueris expectare te satisfactionem huiusmodi dampnorum a nobis, scire te volumus, quod inter dampna, que sustinuisse te quereris, ecclesia non transivit indemnis, nam, cum te carcer maceraret hostilis nec vassallorum nec propinquorum tuorum posses potentia liberari, felicitis recordationis Urbanus papa predecessor noster pro te cameram suam exhauriens, per dilectum filium M(atheum) sancte Marie in Porticu diaconum cardinalem, qui tue liberationis zelator precipuus existebat, liberaliter et effuse stipendians milites magnas fecit expensas, nosque post eum incompleto negotio ab hac luce subtractum eas diu continuavimus nec easdem continuare destituimus, donec te pristinae reddi fecimus libertati, quam ut assequeremur facilius, de iure sedis apostolice multa dimisimus, que non fuissent alias dimittenda. Hoc sane si diligenter attenderes, tam humiliter quam prudenter inclinatus ad grates petitionibus non insisteres, que nullum habent iustitie fundamentum, quamquam semper sperare debeas, quod, si in ecclesie devotione persisteris, gratiosam eam invenies, prout tua requirent merita et Romanis pro tempore pontificibus offeret se facultas. Nos autem tue fidei et nobilitatis intuitu et dilectorum filiorum nostrorum I(ohannis) sancti Nicholai in Carcere Tulliano et M(athei) sancte Marie in Porticu diaconorum cardinalium, quorum es affinis, obtentu te sicut filium specialem in universis et singulis, que tuum commodum et honorem respiciant, quantum cum Deo poterimus, habere volumus commendatum.

Datum Viterbii, III Nonas Novembris, anno II.

Clemens IV. an König (Ludwig IX.) von Frankreich: erörtert Einzelheiten der für den nächsten März geplanten Kreuzfahrt ins Heilige Land; fordert ihn auf, den Frieden zwischen den Grafen (Theobald) von Bar und (Heinrich) von Luxemburg wiederherzustellen.

1266 November 8, Viterbo

Carissimo in Christo filio regi Francie illustri.

Licet dilectum filium P(etrum) Cambellanum militem carissimo in Christo filio nostro C(arolo) illustri regi Sicilie fratri tuo necessarium et perutilem videremus, quia tamen consideravimus eius fore presentiam magis hoc tempore apud te fructuosam, ei ad reditum aspiranti facilem assensum prebuimus, ut sicut suum sic et tuum in hoc negotio desiderium impleretur. Sane super negotiis Terre Sancte diffuse tractavimus cum eodem, qui et dicti fratris tui propositum et affectum erga Terre Sancte subsidium nec non et nostrum studium circa subventionem eiusdem serenitati tue diligenter exponet. Et, cum eum audieris, credimus expedire, quod ad sustentationem terre eiusdem in passagio Martii cum legati subsidio elaborares, ita videlicet, quod balistarii pedites usque ad duo milia ad civitatem transeant Acconensem. Et nos una cum dicto rege Sicilie dante Domino procurabimus, quod XXV galee transeant dictam civitatem et adiacentem maritimam contra soldani potentiam defensuræ, nisi rumores, quos de die in diem de illis partibus expectamus, aliter persuaserint succurrendum. Verum, quoniam inter dilectos filios nobiles viros Barrensem et Luceburgensem comites guerram intelleximus gravem exortam, ad pacem inter eos celeriter reformandam dare te convenit operam efficacem, ad quod dictus P(etrus) Cambellanus sicut libenter sic et utiliter laborabit. Tu igitur, fili carissime, circa ea, que scripsimus tibi nuper, cogitans et recogitans et Dei beneplacitum ex evidentibus coniecturis intelligens, quod acceptius Deo credideris, ad effectum perducere non postponas.

Datum Viterbii, VI Idus Novembris, anno II.

Clemens IV. an Graf A(lfonso) von Poitou und Toulouse: vertröstet ihn, weil er ihm derzeit keine Hilfe gewähren könne.

1266 November 13, Viterbo

Dilecto filio nobili viro A(lfonso) comiti Pictavensi et Tholosano.

Tue devotionis laudabilis cum instantissima Terre Sancte necessitate concursus nostrum non leviter excitat desiderium, ut tuo, quam citius et commodius fieri poterit, satisfiat, sed semel et iterum tue nobilitati rescripsimus, sicut nosti, condiciones regnorum et ecclesiarum statum gravissimum, que, licet nostram nobis eripere nequeant libertatem, artant tamen quodam honestatis obiectu, que nos movet cum multa modestia potestatis plenitudinem exercere, qua nos Dominus sic uti voluit, ut patrem magis quam dominum semper sapere videamur. Illud sane scire te volumus, quod infra tempus, ut credimus, modicum ipsa rerum evidentia te docebit cordi nobis esse etiam te tacente tuum procurare subsidium suo tempore, sed sunt aliqua, que nos detinent in suspensio, quibus profecto pendentibus pendet subsidii tui qualitas cum eisdem, quorum cum certitudinem habuerimus, certius tibi poterimus respondere. Tu ergo, dilecte fili, aliquantisper expecta nec dormire nos credas in hiis, que tuum respiciunt commodum aut honorem, cum non

simus immemores gratiarum, quas apud nobilitatem tuam invenimus in minori officio constituti, tibi semper pro receptis obnoxii et propter tuam promptitudinem nicholominus pro oblati.

Datum Viterbii, Idibus Novembris, anno II.

282.

Clemens IV. an (die Frati Gaudenti Loderengo degli Andalò und Catalano dei Malavolti), Rektoren, sowie Kapitäne, Prioren der Zünfte und Popolo von Florenz: fordert sie auf, den Frieden in der Stadt weiterhin zu befördern; teilt ihnen mit, daß einer seiner Kapläne die Stadt leiten werde, bis er einen Podestà zu ihnen schicke.

1266 November 20, Viterbo

Dilectis filiis rectoribus, capitaneis, prioribus artium et populo Florentino.

Si nostris temporibus reflouerit, que iam multis effloruit, civitas Florentina, *cor nostrum* in Domino *dilatabitur*²³⁹, cum ex hoc et multarum salus pendeat animarum et totius Tuscie status pacificus expectetur. Unde sano consilio opus est et non modica providentia, ut, quod supra nostri vires propositi Dominus inchoavit, prosequamini sapienter et in omnibus servantes modestiam inter vos *pacis vinculum*²⁴⁰ insolubile roboretis et tamquam lapides angulares diversos exteriorum parietes, quantum bono modo poteritis, in vobis connectere studeatis. Et, si qui fuerint pertinaces, eorum frangere contumaciam cum favore nostro et illorum auxilio, qui se nostris coaptaverint beneplacitis, facile vobis erit. Verum vestris petitionibus annuentes ad vos unum de nostris capellanis protinus destinabimus, qui sciat, velit et valeat vice nostra vestram solidare constantiam vestramque dirigere civitatem, donec vobis miserimus, sicut alias ordinavimus, potestatem.

Datum Viterbii, XII Kalendas Decembris, anno II.

283.

Clemens IV. an Bischof (Giovanni Mangiadori), Domkapitel und Klerus von Florenz: gebietet ihnen, seinem Kaplan Helias Peleti, den er zur Wiederherstellung der Ordnung in ihre Stadt geschickt habe, Gehorsam zu erweisen.

1266 November 22, Viterbo

Venerabili fratri episcopo et dilectis filiis capitulo ac universo clero Florentino.

Cum dilectum filium magistrum Heliam Peleti capellanum nostrum, generalem causarum nostri palatii auditorem, virum utique circumspectum et a nobis ac felicitis recordationis Urbano papa predecessore nostro probatum pro statu civitatis Florentine et circumadiacentis provincie reformando ad partes illas duxerimus destinandum, universitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus super hiis, quibus ab eo requisiti fueritis, consilium et auxilium impendentes eidem mandatis eius devote et humiliter pareatis scituri, quod sententias, quas ipse rite tulerit in

²³⁹ 2. Cor. 6,11.

²⁴⁰ Eph. 4,3.

rebelles, ratas habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Datum Viterbii, X Kalendas Decembris, anno II.

284.

Clemens IV. an die Bürger von Florenz innerhalb und außerhalb der Stadt: gebietet ihnen, seinem Kaplan Helias Peleti, den er in ihre Stadt geschickt habe, Gehorsam zu erweisen.

1266 November 22, Viterbo

Dilectis filiis universis civibus Florentinis intrinsecis et extrinsecis.

Reformatione civitatis Florentine Dei potius digito quam humano consilio tam salubriter quam feliciter inchoata, ne per insolentiam aliquorum valeat perturbari, dilectum filium magistrum Heliam Peleti capellanum nostrum, generalem causarum nostri palatii auditorem ad eandem misimus civitatem, ut, que laudabili sunt initiata principio, eius providentia conserventur et ad exitum veniant meliorem. Unde vobis districte precipimus et mandamus, quatenus civitatis eiusdem et districtus ipsius pacem turbare nullatenus presumatis et eiusdem capellani mandatis in omnibus pareatis. Nos enim penas et multas, quas ipse *et cetera*.

Datum *ut supra in proxima*.

285.

Clemens IV. an die Frati (Gaudenti) Lodexengo (degli Andalò) und Catalano (dei Malavolti), Rectoren, sowie die Bürger von Florenz: gebietet ihnen, seinem Kaplan Helias Peleti, den er in ihre Stadt geschickt habe, Gehorsam zu erweisen, bis er einen Podestà zu ihnen schicke; erlaubt ihnen, die Führung der Stadt abzugeben.

1266 November 22, Viterbo

Dilectis filiis fratribus Lothoringo et Cathalano rectoribus civitatis ac universis civibus Florentinis.

Verbi memores, in quo vobis nuper spem dedimus, dilectum filium magistrum Heliam Peleti capellanum nostrum, generalem causarum nostri palatii auditorem, virum utique circumspexitum, a nobis et nostro predecessore probatum ad vos duximus destinandum, cuius vos regi consilio ac censura, cuius in omnibus obedire preceptis volumus et mandamus usque ad potestatis, quem vobis in proximo mitemus, adventum. Nos autem penas et multas, quas rebellibus, si qui fuerint, duxerit indicendas, nec non excommunicationum et interdicti sententias, quas tulerit in eosdem, usque ad satisfactionem condignam faciemus inviolabiliter observari. Sane vobis, dilecti filii Lothoringe et Cathalane fratres, qui ex nostro mandato in Florentine civitatis regimine per tempus aliquod laborastis, petitam sepe recedendi licentiam, ut vestro religioso proposito vacare liberius valeatis, tenore presentium duximus concedendam.

Datum Viterbii, X Kalendas Decembris, anno II.

Clemens IV. an Giacomo di Collemezzo: gebietet ihm, unverzüglich zu ihm zu kommen, um sich danach nach Florenz zu begeben, wo er das Amt des Podestà übernehmen solle; teilt ihm mit, dass er entgegen seinem früheren Vorsatz der Wahl eines Capitano del Popolo zugestimmt habe.

1266 November 23, Viterbo

Dilecto filio nobili viro Iacobo de Colle Medio.

Divina providentia reproborum curvante superbiam freta nuper meliori consilio civitas Florentina viam sibi salutarem elegit, et electis pariter et erectis personis communibus, que statum querunt pacificum civitatis, qui eandem diu turbaverant, exierunt et, qui eiusdem regimen vulerunt et valuerunt per Dei gratiam retinere, mitti sibi potestatem a nobis humiliter petierunt. Nos igitur attendentes tempus nobis redditum opportunum, quo et civitatem eandem et per ipsam totam pacificare Tusciam valeamus, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus omnibus aliis negotiis sequestratis omnique dilatione et occasione postpositis ad nostram protinus accedas presentiam inde Florentiam profecturus. Et, ut scias, qualiter oporteat te accedere, scias hanc esse rectorum consuetudinem in eadem, quod secum duos vel tres adducant milites et VI iudices et XII tabelliones, quibus omnibus sicut et sibi et alie sue familie de suo salario satisfacient, et XII habebunt alios servientes in armis ad diversa explenda mandata, quibus XII respondebitur a communi. Verum, licet eo tempore, quo te vocandum duximus, decreverimus te solum in regimine remansurum, nunc populo suscitato tolerare nos convenit et oportet, quod sit ibi aliquis populi capitaneus, sed fidelis et de parte ecclesie et, qui te in omnibus adiuvet nec possit iurisdictionem tuam in aliquo enervare. Quocirca venias indilate, cum sit *in mora periculum*²⁴¹ et imineat grande negotium ad honorem Dei et Romane ecclesie et utilitatem carissimi in Christo filii nostri C(aroli) illustris regis Sicilie consummandum. Et, qua die sis expectandus, per latorem nobis presentium clare et aperte rescribere non postponas.

Datum Viterbii, IX Kalendas Decembris, anno II.

Clemens IV. an den Elekten S(ancho) von Toledo: tadelt ihn wegen seiner unlauteren Geschäfte; untersagt ihm, das große Darlehen, zu dem er sich gegenüber dem Ritter Petrus Raymbaldi verpflichtet habe, auszusahlen.

1266 November 27, Viterbo

Dilecto filio S(anctio) Tholetano electo.

Cogis nos, fili, de te dicere, que nolumus credere premature, qui post salubria nostra monita, post exhortationes archanas, ut puritatem in omnibus conscientie conservares, dedisti te ad iniqua commercia et de nostra recedens curia odorem nostri, non tantummodo tui nominis infecisti, cum multorum opinio teneat et tenuerit in tue promotionis negotio sinceritatem debitam non servatam. Sane dicis, ut dicitur, quod ex pacto per te vel alium inuito te sciente nec dedisti quicquam alicui nec te ad dandum in posterum obligasti. Quod si forsitan veritatem haberet, quisnam eam posset imprimere cordibus auditorum, cum sint note condiciones hominum, de

²⁴¹ Liv. 38,25,13.

quibus, que hactenus sunt audita, certa prebent indicia de futuris? Vere dicere possumus, quod non minus soldano Babilonie quam eisdem ad antidona tenebaris. Nec enim opus erat hominis, sed Dei potius per sui vicarii ministerium cum suorum fratrum consilio non empto, non vendito, sed ex conscientia promulgato.

Post hanc vero turbationem, quam non levem estimavimus nec mediocrem, alia postmodum gravior supervenit, nam, cum Montem Pessulanum venisses et carissimus in Christo filius noster illustris rex Aragonum pater tuus Petrum Raymbaldi fecisset militem, te eidem ad immensam summam pecunie dandam in certo termino per tuas litteras obligasti. Et quid gravius facere potuisti ad famam nostram violentis suspicionibus denigrandam? Numquid redditur pro bono malum, dum patri suam honestatem amanti et, quibus potest, consiliis contra linguas maledictas defendenti parat ingratus filius sub obsequii colore laqueum, ut credamur, sub cuiusdam liberalitatis imagine, quod recipere nolumus, aliis facere ministrari? Quod si pater tuus excesserat patrimonii sui dominus, numquid et tu ecclesie tue bona debebas effundere, quorum tibi creditur dispensatio, sed iniusta consumptio denegatur? Da igitur Deo gloriam et offensum non leviter nec immerito placa patrem. Nos enim illi precipimus sub amittende perpetuo gratie nostre pena, quod tibi litteras tuas restituat cancellatas, tibi que in virtute obedientie districtius inhibemus, ne pecuniam promissam persolvas nec in fraudem promissionis huiusmodi quicquam facias vel attemptes.

Datum Viterbii, V Kalendas Decembris, anno II.

288.

Clemens IV. an den Elekten Hermann (el Alemán) von Astorga: erlaubt ihm, trotz seiner Abstammung von einem Priester und einer Unverheirateten die Leitung des Bistums Astorga zu übernehmen. 1266 Dezember 6, Viterbo

Dilecto filio Armano Asturicensi electo.

Cum vacante Asturicensi ecclesia et postulatione maioris partis capituli dilectum filium eiusdem ecclesie archidiaconum postulantis de fratrum nostrorum consilio non admissa de te a multo tempore nobis noto, qui siquidem olim Parisius noster in domo fuisti socius et in scholis, eidem duxissemus ecclesie providendum, tu tandem nostra voluntate percepta ad nostram presentiam accessisti petens humiliter et instanter, ut, cum ab olim te totum dedisses studio et iam satis etate provectus ad laborem pontificalis officii non sufficeres, te ab huiusmodi onere relevare misericorditer dignaremur, quod cum a nobis obtinere non posses, nobis demum humiliter revelasti, quod de sacerdote genitus et soluta, licet dudum gratiam obtinueris apostolicam, quod ad omnes sacros ordines promoveri et ad ecclesiasticas posses dignitates assumi, super episcopali tamen tecum non fuerat dispensatum sicque dictum episcopatum recipere, sicut non poteras, sic nec etiam ambiebas. Nos igitur nostrum nolentes eludi propositum, quod ex solida conscientia super tua promotione concedimus, magis etiam intendentes providere ecclesie quam persone, ut defectu proposito non obstante ad episcopalem et archiepiscopalem assumi valeas dignitatem, tenore tibi presentium indulgemus in remissionem tibi peccaminum iniungentes, ut Asturicensis ecclesie regimen mente prompta suscipiens ad eandem gubernandam accedas, quam citius se facultas obtulerit, in presbyterum promovendus et in episcopum consecrandus.

Datum Viterbii, VIII Idus Decembris, anno II.

Clemens IV. an König K(arl I.) von Sizilien: warnt ihn vor dem Ruf, Geleitszusagen nicht einzuhalten, weil er die Auslieferung des Galvano (Lancia) gefordert habe, obwohl der sizilische Marschall (Jean de Brasseuse) ihm und seinem Bruder Federico für ihre Fahrt nach Terracina Sicherheit zugesagt habe.

1266 Dezember 14, Viterbo

Carissimo in Christo filio C(arolo) regi Sicilie illustri.

Ex tuis litteris intelleximus Fredericum et Galvanum fratres, quos in Calabria obsessos teneras, Terracinam venisse, quorum alterum, Galvanum scilicet, cum rebus suis tibi restitui postulabas. Sane post huiusmodi receptas litteras novus nobis nuntius supervenit asserens inter cetera, quod dictos fratres a tua discedere rebellionem volentes tuus in illis partibus marescallus assecuravit cum omnibus mobilibus bonis suis, prout constat per rei evidentiam et publicum instrumentum. Quos etiam in terre tue galeis sub tui securitate vexilli in portum Terracinum delatos cives Terracinenses receperunt benigne et visis predictis indiciis affidarunt, etsi nunc forte causarum, quod G(alvanum) ad pacem recipere tuus non poterat marescallus nec hoc ipsum discutere dictis civibus incumberebat. Eapropter, fili carissime, provide fame tue. Iam enim tibi a nonnullis impingitur, quod nec tuo nec tuorum conductui quisquam sine periculo se committit, dum, quod fidei bone creditur, ad amfractus traducitur questionum. Nos tandem in predicto negotio faciemus, quod iuri credemus consonum et nostre conveniens honestati.

Datum Viterbii, XIX Kalendas Ianuarii, anno II.

Clemens IV. an König (Ludwig IX.) von Frankreich: bittet ihn, die Verleihung eines Kirchenamtes im Erzbistum Reims zuzulassen.

1266 Dezember 18, Viterbo

Carissimo in Christo filio regi Francie illustri.

Latere tuam nolumus celsitudinem, quod dilecto filio I(ohanne) Remensi electo de nostrorum fratrum consilio confirmato nos dilectum filium nostrum G(uillelmum) tituli sancti Marci presbyterum cardinalem favore volentes prosequi speciali ordinationem eidem dedimus Laudunensis et Remensis, quas electus memoratus habuerat, prebendarum, si tamen Remensis a confirmationis electi tempore, quod plurimi asserebant, ad collationem regiam sicut de iure sic de consuetudine non spectabat. Idem sane cardinalis dictam prebendam contulit cuidam clerico *tali* digno, ut asserit, et maiori cum multa nos rogans instantia, ut te sollicitis precibus inducamus ad factum huiusmodi sine tuo in posterum preiudicio tolerandum, quod si tibi placuerit, nostras litteras de hoc dabimus efficaces. Alioquin placeat tibi saltem eidem omnino cedenti in favorem cardinalis eiusdem prebendam de novo concedere memoratam. Nos igitur, qui ius tuum, si de consuetudine illud potes defendere, nec volumus nec volumus perturbare, serenitatem tuam rogandam duximus, quatenus per alteram dictarum viarum desiderio satisfacias cardinalis et nostro. Quod si tibi non placet, uti de iure tuo sine nostra et ecclesie Romane iniuria equanimiter toleramus.

Datum Viterbii, XV Kalendas Ianuarii, anno II.

Clemens IV. an Magister B. und weitere ungenannte Inquisitoren: gebietet ihnen, in einem Inquisitionsverfahren die Zeugen des Bischofs (Raimundus de Felgar) von Toulouse zuzulassen.

1266 Dezember 18, Viterbo

Dilectis filiis magistro B. et cetera.

Sua nobis venerabilis frater noster R(aimundus) Tholosanus episcopus insinuatione monstravit, quod, cum ad innocentie sue presidium tam super fame sue integritate quam reprobatione testium contra ipsum a nobis super eius infamia nec non et veritate criminum receptorum testes aliquos produxisset alios nichilominus producturus infra tres septimanas, ut dicit, que adhuc sibi supererant de termino in nostris prefixo litteris, alie nostre supervenerunt littere, quibus visis ad plures testes reprobatorios producendos eum admittere noluistis, cum numerum centenarium in posterioribus contentum litteris iam impletset, sicque spe sua sine culpa frustratus, ut asserit, trium septimanarum tempus amisit et ex causa huiusmodi XLVIII testes remanent multum reprobati, quos ex causis certis et variis reprobare proponit, si audientia sibi detur, nobis humiliter supplicans, ut dictas tres septimanas amissas reddi iubeamus eidem.

Licet autem suspicione non careat processus episcopi memorati, qui forsitan animosior redditur in huiusmodi, quia testes suos non sperat per aliquem reprobari, ne tamen *corruat veritas in plateis*²⁴², discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo vestrum infra tres septimanas testes recipiatis eiusdem, quos contra dictos XLVIII testes duxerit producendos, sic tamen, quod contra singulos testes tantummodo tres producat. Et, ne probi per reprobos reprobentur, volumus et mandamus, quod ex officio postmodum inquiratis nullis datis articulis cuicumque persone, cuiuscumque condicionis, opinionis et fame ac fidei sint illi, quos idem episcopus vel ad famam suam probandam vel ad reprobationem produxerit aliorum. Testes autem, quos ad hoc necessarios credideritis, cuiuscumque sint status, dignitatis aut ordinis, per censuram ecclesiasticam compellatis veritati testimonium perhibere non obstante aliqua indulgentia cuiuscumque persone, dignitati vel ordini ab apostolica sede concessa, per quam mandati nostri executio impediri posset aliquatenus vel etiam retardari et de qua cuiusque toto tenore de verbo ad verbum in nostris esset litteris plena et expressa mentio facienda. Quicquid autem super hiis inveneritis, nobis sub vestris conclusum sigillis cum actis aliis mittere non tardetis. Quod si terminum aliquem eidem episcopo accedendi ad nostram presentiam prefixistis, illum, prout qualitas requiret negotii, prorogetis.

Datum Viterbii, XV Kalendas Ianuarii, anno II.

Clemens IV. an S(imone Paltinieri,) Kardinalpriester von San Martino, Rektor der Mark Ancona und des Herzogtums Spoleto, apostolischer Legat: fordert ihn auf, (den Podestà von Fermo,) Lorenzo Tiepolo, aus der Mark zu vertreiben, sowie dem G., der durch ihn besonders geschädigt worden sei, als Ausgleich ein Amt zu übertragen.

1266 Dezember 22, Viterbo

²⁴² Isai. 59,14.

Dilecto filio S(imoni) tituli sancti Martini presbytero cardinali, Marchie Anthonitane et ducatus Spoleti rectori, apostolice sedis legato.

Prodit in publicum dudum in latebris solidata proditio Laurentii Theupoli, qui nostrorum fidelium innocentum sanguinem sitiens et quosdam exilio, quosdam penis pecuniariis, quosdam subversione domorum impudenter affligens inter alios dilectum filium G. latorem presentium Tervisium ire mandavit ibidem a potestate Tervisii proditorialiter occidendum, si tamen eius precibus pareretur. Hunc sane virum subdolum, virum pre ceteris pestilentem vellemus comprimi et de Marchie finibus exturbari, et, ut hoc nostrum desiderium impleretur, pacem utinam cum aliis faceres et ad ipsum cum Firmanis et aliis proditoribus eidem adherentibus propellendum totum tuum conferres studium, quibus nullum dignoscimus superesse presidium. Sicut enim a partibus Alamannie frustra subsidium prestolatur, sic et apud nos a nemine iuvari poterunt, sicut nec hactenus potuerunt. Quod si Deo placere desideras, si patris gratiam caram habes, ad hoc, fili, labora, ut tanta malitia conflatis viribus consternatur. Et, si tempus non suppetit, parentur interim necessaria, ne hora transeat otiosa. Demum dicto G. cum uxore et liberis exulanti de aliquo officio providere te volumus, in quo possit utcumque transigere vitam suam, donec ardeant tempora meliora. Iterum et iterum discretioni tue primum negotium commendamus.

Datum Viterbii, XI Kalendas Ianuarii, anno II.

293.

Clemens IV. an Patriarch (Pantaleon Iustinianus) von Konstantinopel: mahnt ihn, bei dem Dogen (Renier Zeno) von Venedig seiner Bitte um Hilfe für den Kreuzzug ins Heilige Land Nachdruck zu verleihen.

1267 Januar 12, Viterbo

Venerabili fratri patriarche Constantinopolitano.

Ex *abyss*o divini iudicii²⁴³ diurnis retro temporibus *super sortem iustorum virga pertransiit peccatorum*²⁴⁴, et in diversis iam regionibus infideles fidelibus prevalentes captis castris et civitatibus, viris et mulieribus captivatis loca quondam divino cultui mancipata nunc gentes obtinent, que nomen Domini non noverunt. Inter hec sane deplorandam credimus Terre Sancte miseriam, quam soldani Babilonici rabies sic oppressit, ut ab illo relicta videatur aliquibus, qui eam suo sanguine consecravit, quod tamen non recto iudicio creditur, cum illius finaliter nequeat oblivisci, qui tot eam prevenit honoribus, quam etiam tam benigne nostris et priscis temporibus sepius visitavit, ut, *cum consumpta penitus putaretur, oriretur ut Lucifer*²⁴⁵. *Nec est abbreviata manus Domini*²⁴⁶ nec artata misericordia, cui subest posse, cum velit, cui semper est proprium miseri. Anxiamur igitur animo circa terre dicte subsidium, ad quod populum christianum, pusillos cum maioribus, excitamus grande conquirentes auxilium, quo non solum reprimi valeat impetus inimici, sed etiam virtus eius usquequaque prosterni. Cum tamen hoc tractum habeat et magnum desideret apparatus, iuvandam credimus terram interim antedictam galearum subsidio competentem. Et iam carissimus in Christo filius noster C(arolus) Sicilie rex illustris promisit nuntiis in instanti passagio Martii galeas illuc XV destinare, et nichilominus laboramus, ut de Provincia

²⁴³ Ps. (G) 35,7

²⁴⁴ Ps. (G) 124,3.

²⁴⁵ Iob 11,17.

²⁴⁶ Isai. 59,1.

aliquas habeamus. Ceterum dilectis filiis duci et civibus Venetorum scribimus affectu, quo possumus, obsecrantes, ut et ipsi tamquam fidei pugiles mittant suas, ut per huiusmodi providentiam ad dampnum fidelium via maris nequeat aggravari et soldanus per tale navigium in Egipti partibus perturbatus relinquere partes Sirie compellatur.

Quocirca fraternitatem tuam rogandam duximus et hortandam in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatenus apud ducem et cives predictos tam attente quam sollerter insistas, ut in hiis taliter audiant et exaudiant preces nostras, quod et a Deo premium condigne retributionis accipiant et nos eis pro tam pie devotionis obsequio ad grates uberes artius obligemur. Sed et dilecto filio Guillelmo de Placentia capellano nostro, latori presentium fidem indubitam habeas in hiis, que tibi ex parte nostra dixerit circa illa, que contingunt negotium memoratum.

Datum Viterbii, II Idus Ianuarii, anno II.

294.

Clemens IV. an die Frati (Gaudenti) Loderengo (degli Andalò) und C(atalano dei Malavolti), Rektoren, den Rat der Sechsendreißig sowie die Bürger von Florenz: gebietet ihnen, sich nach dem Friedensschluß zwischen den exilierten Ghibellinen und Guelfen für die Vertreibung der deutschen (Ritter) im Gefolge des Guido Novello aus dem Gebiet von Florenz einzusetzen; untersagt ihnen, nach der Absage des von ihm als Podestà vorgesehenen Giacomo di Collemezzo die Wahl nicht ohne die Zustimmung der Guelfen durchzuführen, andernfalls sollen sie ihn hierfür hinzuziehen.

1266 Dezember 27, Viterbo

Dilectis filiis fratribus Lothoringo et C(athalano) rectoribus, XXXVI personis communibus et universis civibus Florentinis.

Pacis bonum, quod bona continet universa, quanto utilius et communius iudicatur, tanto sincerius est querendum et inventum attentius conservandum. Pacem autem illam dumtaxat dicimus, que non tantum in verbis et fictis applausibus ostentatur, sed in cordibus radicata ipsa operum exhibitione monstratur. Alioquin illos notandos credimus, non laudandos, quos describit sermo propheticus: „*Qui locuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum*“²⁴⁷, cum pax vera illis solis promissa fuerit, qui bone per omnia voluntatis existunt²⁴⁸. Sane vestris et dilecti filii magistri Helie capellani nostri, quem ad tempus pro bono statu vestro servando palatio nostro subduximus, nuper receptis litteris continentibus inter externos Gibellinos et Guelfos pacem esse paratam non tamquam pro negotio solidato, sed aliquatenus inchoato ad horam exultavimus expectantes cotidie meliora. Et, ne posset occasio suboriri recidive discordie inter partes, carissimo in Christo filio nostro C(arolo) illustri regi Sicilie persuasimus et mandavimus, quod in Guelforum subsidium milites nullos mitteret, quos profecto paraverat, sicut nobis per suas litteras intimarat. Nunc autem pro certo didicimus, quod Guido Novellus Dei et ecclesie pervigil inimicus multis excommunicationum sententiis irretitus cum sibi adherentibus Gibellinis tenet illos Theutonicos excommunicatos et perfidos, quos tenebat, cum vobiscum Florentie moraretur, quod quale preferat pacis indicium, satis est omnibus manifestum. Nolentes igitur exponere Guelfos discrimini, qui nobis et regi predicto constanter et fideliter servierunt, vobis universis et singulis sub debito iuramenti, quo nobis tenemini, per apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatenus ad relegandos de vestris finibus dictos Theutonicos maledictos totis viribus

²⁴⁷ Ps. (G) 27,3.

²⁴⁸ Vgl. Luc. 2,14.

detis opem et operam efficacem. Quod si factum infra octo dies a presentium receptione non fuerit, solvemus vincula manus regie et mitti militiam procurabimus, que fidelibus in auxilio et infidelibus in excidio pro singulorum meritis Dei fulsa presidio respondebit. Demum, quia dilectus filius Iacobus de Colle Medio, quem perficere vobis voluimus potestatem, ex causis probabilibus oblatum sibi recusavit officium nec pacem vestram credamus nomine pacis dignam, sub eiusdem debito iuramenti vobis districtius inhiemus, ne ad novi ordinationem regiminis sine partis Guelforum procedatis assensu, vel, si hoc vobis videtur difficile, mittatis ad nos personas sufficienter instructas, quarum consiliis informati bonam vobis valeamus eligere potestatem. Quod si secus atemptaveritis, id decernimus irritum et inane processuri ad alia, prout expedire viderimus et vestra contumacia suadebit.

Datum Viterbii, VI Kalendas Ianuarii, anno II.

295.

Clemens IV. an König K(arl I.) von Sizilien: mahnt ihn zum wiederholten Male, sich für die geplante Eheschließung zwischen dem Infanten H(einrich) von Kastilien und (Helena), der Tochter (des Despoten) Michael (II. von Epirus), einzusetzen, zumal sich dies für Kaiser (Balduin II.) von Konstantinopel und dessen Sohn (Philipp) als günstig erweisen könne.

1267 Januar 5, Viterbo

Carissimo in Christo filio C(arolo) regi Sicilie illustri.

Ut ad matrimonium inter dilectum filium nobilem virum H(enricum) clare memorie F(erdinandi) illustris regis Castelle filium et filiam viri nobilis Micalicii contrahendum efficaciter laborares, nuper tuam per alias nostras litteras duximus magnitudinem exhortandam. Quia vero huiusmodi matrimonium, si consummatum fuerit, carissimo in Christo filio nostro imperatori Constantinopolitano illustri et dilecto filio viro nobili nato eius, ecclesie Romane ac toti populo christiano plurimum credimus fructuosum, serenitatem tuam iterato rogamus et hortamur attente, quatenus ad dicti consummationem matrimonii totis des viribus opem et operam efficacem.

Datum Viterbii, Nonis Ianuarii, anno II.

296.

Clemens IV. an den Infanten H(einrich,) Sohn König F(erdinands III.) von Kastilien: rät ihm ab, sich um das Königreich Sardinien zu bemühen, besonders weil er dort mit Pisa in Konflikt geraten würde; er habe sich bei König K(arl I.) von Sizilien wegen seiner geplanten Eheschließung mit (Helena), der Tochter (des Despoten) Michael (II. von Epirus), eingesetzt.

1267 Januar 5, Viterbo

Dilecto filio nobili viro H(enrico) filio clare memorie F(erdinandi) quondam regis Castelle.

Ad tue claritatem originis attendentes et illius devotionis fervorem, quam ad Romanam habes ecclesiam, tui promotionem honoris, quibus possumus, studiis procuramus. Et, quoniam ad regnum Sardinie tuos oculos direxisti, super quo cum N. milite Ianuensi longam satis collationem

habuimus, scire te volumus, quod nos post recessum ipsius inspecta plenius condicione negotii multo tibi utilius iudicamus id non aggredi, quod multis sumptibus indigeret, presertim cum Pisanos haberes adversarios, qui positi evicino et aggredientem impedire valerent et ingressum continue molestarent. Unde carissimo in Christo filio nostro C(arolo) illustri regi Sicilie scripsimus eundem instantius exhortantes, ut ad matrimonium inter te et filiam viri nobilis Micalicii contrahendum det opem et operam efficacem. Quod si contigerit consummari, non tibi soli, sed carissimis in Christo filiis nostris imperatori Constantinopolitano illustri et eius filio esse poterit fructuosum, nobis etiam et toti populo christiano.

Datum Viterbii, Nonis Ianuarii, anno II.

297.

Clemens IV. an R(aoul Grosparmi,) Kardinalbischof von Albano, apostolischer Legat: erteilt ihm Anweisungen hinsichtlich der Klöster im Königreich Sizilien.

(1267 Januar?, Viterbo)

R(adulfo) episcopo Albanensi, apostolice sedis legato.

De abbatibus Florentis ordinis per alias litteras fraternitati tue respondimus. Nunc autem et de illis de ordine sancti Guillelmi, quos abbates appellas, et de aliis ordinis sancti Benedicti, quos asseris vitiosum habuisse ingressum, tam amovendis quam aliis substituendis eisdem, sive ante susceptam a te legationem monasteria dicta vacaverint sive postea, liberam tibi tenore presentium concedimus facultatem. Idem etiam per omnia dicimus de Neapolitanis abbatibus, qui in tuis manibus resignarunt. Illud videat tua prudentia, ut, quantum possibile fuerit, bone preficiantur ubique persone, cum sit et fuerit inter regnicolas magna infectio prelatorum.

Venerabilis frater noster, si tamen hoc habent ipsius merita, Iacobus Sipontinus archiepiscopus iuramento requisitus a camerario nostro dixit se numquam in aliquo favisse Manfredo preterquam in locutione, de quo multi mirantur. Tu ergo inquiras inquisitione plenaria et secreta sive iuramento, quid de hoc posset, si sollempnis inquisitio fieret, inveniri. Et scribe, quod invenieris, festinanter.

298.

Clemens IV. an König (Jakob I.) von Aragón: mahnt ihn unter Androhung von Kirchenstrafen, seine Geliebte Berengaria zu verlassen, andernfalls könne er nicht an dem geplanten Kreuzzug teilnehmen.

1267 Januar 16, Viterbo

Carissimo in Christo filio nostro regi Aragonum illustri.

Tue serenitatis litteras recepimus inter alia continentes, quod ad transfretandum in Terre Sancte subsidium pro vindicanda Crucifixi iniuria te disponere proponebas, quod licet cum gaudio receperimus, scire tamen te volumus, quod illius obsequium Crucifixus non recipit, qui incestuoso contubernio se commaculans in se ipsum iterum crucifigit. Ideoque serenitatem tuam sicut alias sic et nunc iterato familiariter rogamus, monemus et hortamur attente, quatenus nobilem mulierem Berengariam, quam in carnale commercium non absque nota incestus et salutis tue discrimine admisisti, a te prorsus abicias nec ei ulterius copula commiscearis carnali. Alias

enim complacere non poteris Crucifixo nec iniurias eius redimere, si ab eius iniuriis ipse nolueris abstinere. Insuper autem scire te volumus, nisi nostris monitis acquieveris, nos te ad dimittendum eandem per censuram ecclesiasticam compulsuros.

Datum Viterbii, XVII Kalendas Februarii, anno II.

299.

Clemens IV. an die Kapitäne der (exilierten) Guelfen (von Florenz): unterrichtet sie, daß er König K(arl I. von Sizilien) geraten habe, ein Heer in die Toskana zu schicken; erörtert die Probleme bei ihrer geplanten Rückkehr in die Stadt.

1267 Januar 18, Viterbo

Dilectis filiis capitaneis Guelforum et cetera.

Quarta dies est hodie, ex quo ad carissimum in Christo filium nostrum C(arolum) illustrem regem Sicilie nuntium misimus specialem precise consulentes eidem, quod ad partes Tuscie mittat militiam competentem, alioquin denuntiamus eidem grave sibi periculum imminere, cui forsitan non valebit occurrere, quando volet. Si ergo vultis, quod nuntii reditus expectetur, Florentinis nichil scribemus ad presens, et, si creditis melius esse contrarium, rescribatis nobis, et statim precipiemus eisdem, quod capitaneum prorsus expellant et unum de tribus advocent, qui in potestatem fuerant nominati. Quia vero centum boni Theutonici et fideles sunt apud Aquam Spartam bene in equis et armis instructi, credimus, quod, si eos haberetis vobiscum saltem ad unum mensem vel duos, inimici vestri plurimum terrentur et crederent contra se maiora parari. Scire vero vos volumus nobis esse familiariter intimatum, quod cito vobis reditus in Florentiam offeretur, sed tot erunt parati Senenses, Theutonici et Pisani cum vestris adversariis, quod vos omnes in ipso reditu vel maiorem partem vestrum, quod Deus avertat, involvent. Et ideo volumus et consulimus, quod in vobis nostris <consiliis>, dilecti filii, columbina simplicitas comitem semper habeat prudentiam serpentinam²⁴⁹.

Datum Viterbii, XV Kalendas Februarii, anno II.

300.

Clemens IV. an König K(arl I.) von Sizilien: mahnt ihn, die Pisaner, die zur Kirche zurückgekehrt seien, geneigt zu behandeln.

1267 Januar 29, Viterbo

Carissimo in Christo filio C(arolo) regi Sicilie illustri.

Licet transeuntium mutatio temporum nostrum ex suo transitu non immutet iudicium, mutat tamen affectum in melius condicio melior personarum, que mutare in statum alterum meliora subsidia promerentur. Sane cives Pisani, qui ab olim multa grata servitia nostris predecessoribus exhibuerant, proximis retro temporibus *in arcum conversi perversum*²⁵⁰, nuper per Dei gratiam a

²⁴⁹ Vgl. Matth. 10,16.

²⁵⁰ Ps. (G) 77,57.

Domino visitati ad ecclesie gremium redierunt, ad cuius reverentiam, quantum exterioribus perpendere valemus indiciis, sue parant et exhibent promptitudinem voluntatis. Cum igitur te non deceat a tua gratia illos excludere, qui Romanam ecclesiam matrem tuam promptis volunt obsequiis honorare tibi que carissimo nostro filio, quibus modis efficacius poterunt, complacere, serenitatem tuam rogandam duximus attentius et hortandam, quatenus cives eosdem, quos non solum nobis et tibi utiles fore posse perspicimus, nec non et misere Terre Sancte, que ab ipsis sustentatur cotidie et speratur in posterum adiuvanda, nec abhorreas nec abicias, sed ad tuum illos favorem admittens te illis velis reddere favorabilem et benignum nec ex illis temporibus occasionem assumas, que status possunt redimi studio melioris.

Datum Viterbii, IIII Kalendas Februarii, anno II.

301.

Clemens IV. an König Karl I. von Sizilien: äußert sein Befremden darüber, daß er alle Pisaner bis zum 1. März aus seinem Reich weisen wolle, und mahnt ihn, die Frist zu verlängern.

1267 Januar 30, Viterbo

Eidem.

Nuper edictum, prout accepimus, a tua serenitate processit, ut omnes cives Pisani, qui sunt in tuo regno vel districtu, cum omnibus mercibus et aliis bonis suis exeant nec ultra proximas Kalendas Martii ibidem remanere presumant. Cum igitur ab ipsis civibus, qui, prout exteriora indicia perpendere possumus, tam ecclesie Romane quam tuo beneplacito modis, quibus poterunt, se coaptare proponunt, Terra Sancta cotidie sustentetur et speretur in posterum adiuvari et propter hoc non credamus expediens ipsos exturbari ad presens, magnitudinem tuam rogandam duximus attentius et hortandam, quatenus, si forte, prout per alias nostras litteras tibi scribimus, ad tuum favorem non vis eos admittere, quod nec nobis nec tibi nec etiam ipsius Terre Sancte negotio credimus expedire, prefixum saltem terminum, cum citra illum tempus ad navigandum non consueverit aptum esse, in ulteriorem tibi placeat prorogare, quo dicti cives cum omnibus bonis suis liberius exire valeant terram tuam vel tecum interim concordare.

Datum Viterbii, III Kalendas Februarii, anno II.

302.

Clemens IV. an den Franziskanerbruder und päpstlichen Kaplan M.: gebietet ihm, sich um den Abschluß seines Friedens oder Waffenstillstandes zwischen Pisa und Lucca zu bemühen, die Pisaner zur Abstellung von mindestens zehn Schiffen für die für März geplante Kreuzfahrt ins Heilige Land zu bewegen und ihnen aufzutragen, von den Luccheser Gefangenen keine finanziellen Leistungen zu verlangen.

1267 Februar 3, Viterbo

Dilecto filio fratri M. ordinis Fratrum Minorum, capellano nostro.

Mandatum Pisanis dedimus de captivis Lucanis, quos detinent, pace inter eos vel saltem treuga ad quadriennium firmata reddendis. Quod si neutrum procedere contingat, precipimus eisdem, ut illos restituant, quos extra suum districtum Lucanis existentibus in ecclesie Romane devotione

ceperunt. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, si inter ipsos plenam pacem fieri non contigerit, interponas sollicitudinis tue partes ad treugam saltem firmandam ad quadriennium inter eos. Speramus enim in Domino, quod per hanc viam inter partes pax perpetua reformetur. Quia vero iidem Pisani Romanam ecclesiam multipliciter offenderunt, volumus, quod ex parte nostra iniungas eisdem, ut certum galearum numerum, X ad minus bene paratas, mittant instanti mense Martii in subsidium Terre Sancte nec ullam in hoc difficultatem ingerant, cum sit huiusmodi satisfactio modica consideratis eorum excessibus, quos in Romanam ecclesiam commiserunt. Ex parte etiam nostra eisdem precipias, quod pro nostra et apostolice sedis reverentia nullum onus date seu collecte captivis dictis imponant. Quod si fecerint, pro certo teneant, quod de pignoribus, que ab eis recepimus, conservabimus ipsos captivos indemnes.

Datum Viterbii, III Nonas Februarii, anno II.

303.

Clemens IV. an Oddone Gualducci, Bürger von Pisa: mahnt ihn, sich persönlich für den geplanten Kreuzzug ins Heilige Land einzusetzen.

1267 Februar 3, Viterbo

Dilecto filio Odoni Galduccii civi Pisano.

Devotionem, quam ad Romanam ecclesiam, et affectum, quem ad Terram Sanctam gerere diceris, dignis in Domino laudibus commendantes sinceritatem tuam rogamus et hortamur attente in remissionem tibi peccaminum suadentes, quatenus periculosum statum dicte terre diligenter attendens ad illius iniuriam ulciscendam, qui pro te voluit crucifigi, labores non differas exponere personales. Per nullum enim aliud obsequium magis ecclesie Romane poteris complacere quam, si tibi placuerit, virtuose in predicte terre subsidium personaliter laborare. Nosque te exinde habebimus propensius commendatum.

Datum Viterbii, III Nonas Februarii, anno II.

304.

Clemens IV. an R(aoul Grosparmi,) Kardinalbischof von Albano, apostolischer Legat: zeigt sich ungehalten über die unangemessenen Steuererhebungen König (Karls I. von Sizilien) in seinem Reich; eine Gesandtschaft aus Griechenland sei bei ihm eingetroffen.

1267 Februar 5, Viterbo

R(adulfo) episcopo Albanensi, apostolice sedis legato.

De collecta, quam in regno rex facit vel motu proprio vel suorum consilio, tua sciat fraternitas, quod, sicut Deo displicet, sic et nobis. Et, si quis tibi dixerit, quod de nostra facta fuerit etiam conscientia, in caput suum illum noveris esse mentitum. Immo vagantibus in verbis regis nuntiiis coram nobis et quasi non querendo querentibus, quid rex faciet, unde suis stipendiariis satisfaciet, unde solvet ecclesie debita, si collectas non faciat, nos respondimus plus eorum intentioni quam verbis, quod ad eas procedere sine sue salutis discrimine non valebat sine hominum terre consilio et assensu gratuito, non per aliquam impressionem extorto. Unde, quia nobiscum non colligit,

verendum credimus, ne dispergat. Multa quidem contra ipsum parantur alibi. Et, si regnum contra se provocat et aliunde veniunt adversarii et, quod est gravius, Deum sibi constituit adversarium, non immerito formidamus, ne nos et se in extremam, quod absit, confusionem adducat. Nam, quod dicit se pauperem, quod recedere servientes de castris, quod necessitatem urgere, sibi imputet, qui se in huiusmodi necessitatem immersit suas destruens massarias, de quibus vivere poterat abundanter. Hec est enim vita regum Sicilie. Et, si hodie haberet Sardiniam, sic eum vivere oporteret. Sed quid ad rumbum? Si pauper est, qui terram magnam et redditus multos habet, nonne de suo ad tempus redditus obligando vel aurum suum et argentum et lapides distrahendo sibi deberet consulere, non de spoliis alienis? Sue tamen ad presens conscientie relinquatur. Quod autem ab hominibus ecclesiarum accipiat aliquid, non sustineas nec sub pretexto requisitionis ipsius ballivorum suorum frangere differas contumaciam, nam hac via nervum dissolveres ecclesiastice discipline. Verum hominum suorum, quos contra suam promissionem spoliat, dissimulare potes iniuriam, cum nulla querimonia deferatur, ad quam eos provocare non debes. Et, si ad te ipsam venire contingeret, expedire tue quieti credimus, quod ad nos remittas eandem, ne querentibus negando iustitiam ab ipsis, qui modo te diligunt, contempnaris. Has autem litteras cum anima interclusa solus legito, postquam eas plene collegeris, comburendas.

Greci sunt apud nos, quorum credentes expeditionem instare tibi que rescribere diutius nuntium tuum tenuimus. Qua in tempus dilata longius nuntium statim duximus remittendum. Et ideo moram ei non ascribas ad culpam.

Datum Viterbii, Nonis Februarii, anno II.

305.

Clemens IV. an König Karl I. von Sizilien: lehnt seine Bitte ab, die Geistlichkeit in seinem Reich besteuern zu dürfen; zeigt sich reserviert gegenüber seinem Vorhaben, persönlich nach Viterbo zu kommen; rät Mäßigung hinsichtlich seiner Steuerpolitik.

1267 Februar 6, Viterbo

Carissimo in Christo filio C(arolo) regi Sicilie illustri.

Duas tue magnitudinis litteras nuper recepimus, quarum prime duos certos articulos, alie vero generalem habebant tenorem finaliter concludentes, quod venerabili fratri nostro Salernitano archiepiscopo et dilectis filiis P(hilippo) de Monte Forti et R(oberto) de Lavena super hiis, que ex parte tua proponerent, crederemus.

Ad primas igitur respondemus, quod, quamvis te pleno diligamus affectu, preces tuas exaudire non possumus in hiis, que vergunt in ecclesiarum iniuriam et ecclesiastice preiudicium libertatis. Unde, cum ab ecclesiarum hominibus exigere nichil valeas omni conventionione submota, nisi quod tibi iure scripto vel de consuetudine approbata debere constaret eosdem, multo minus exigere debes indebitum conventionibus tam expressis artatus. Quod si tuam intentionem aliquo iure vallari confidis, coram venerabili fratre nostro R(adulfo) Albanensi episcopo, apostolice sedis legato debes proponere familiariter et sine contentionis specie seu figura et interim ab exactione desistere, qui nec tuam iustitiam minui nec ecclesiarum iura permittet extingui. Quod si pravo ductus consilio viam Deo et equitati contrariam ingredi tibi placet, te quidem caritate paterna debemus corripere non ipsum ab executione iustitie cohibere. Illud enim pro certo volumus te tenere, quod in universis et singulis conventionum articulis, quas nobis valida sponsione firmasti,

*unum iota*²⁵¹ nullatenus mutaremus. Quod adeo apud nos et fratres nostros noveris esse fixum, ut non solum mutari non liceat, sed quod nec de mutandis eisdem vel ipsorum aliquo fratrum consilia sunt querenda.

Sane ex commissa sibi credentia tui nobis proposuerunt nuntii supradicti, quod iter iam arripueras ad nostram presentiam, si de beneplacito nostro procederet, personaliter accessurus. Et, cum super hoc, quid nobis placeret, exquirerent, eis viva voce de consilio fratrum nostrorum respondimus, sed et tibi tenore presentium intimamus, quod, licet multis sapientibus videatur te hoc tempore regnum tuum ad tempus vel modicum dimittere non debere quibuscumque munitum presidiiis, quibus omnibus tua prevalet personalis presentia, propter quod et quedam alia, que ex hiis, que premisimus, colligere satis potes, non iudicant nobis tutum tibi consulere, quod ad nos venias in hoc tempore ex conceptu tam subito et non satis, prout eis videtur, excoccto. Scire tamen volumus tuam excellentiam, quod, si ex tuo arbitrio veneris, iocundo animo atque serena facie suscipiemus filium non quemlibet, sed carissimum venientem, licet ob ea, que possent contingere, nec requirere nec consulere audeamus adventum. Quia vero non patitur civitatis Viterbiensis angustia, si cum magna veneris multitudine, te et tuos recipi infra eiusdem ambitum tibi que non expedit venire cum paucis, decet, ut nos prius certifies de adventu, quem si precise duxeris eligendum, cum tuorum, qui apud nos remanent, conscientia et consilio parari tibi locum, prout fieri poterit, faciemus. Scire tamen te volumus, quod, quando Romani principes convenire consueverunt cum papa, expansis tentoriis morabantur in castris, et, si illis instructus veneris, convenientius poteris, quod intendis, explere. Sit tecum Dominus in hoc consilio et in omnibus factis tuis. Tuum enim honorem et nostrum, quantum decet et expedit, satis appendimus equa lance.

Demum super exactionibus, quas facis in regno, que multorum exasperant animos, excusationibus tuis inspectis blandiri tibi nolumus nec dicere malum bonum, sed te tue relinquimus conscientie. Et, si forsitan aliqui tui nuntii tibi dixerint, quod ab eis super ista materia tuo nomine requisiti non assensum expressum, sed quandam patientiam dederamus, scias eos a veritate recedere in hac parte. Numquam enim consensimus nec prestitimus conniventiam, sed tunc diximus, quod et nunc scribimus, te videlicet prelati et baronibus et locorum communitatibus convocatis tue necessitatis instantiam et utilitatem defensionis eorum debere patenter exponere et de ipsorum ordinare consensu, quale tibi a tuis impenderetur auxilium, quo contentus et aliis tuis iuribus eos in sua dimitteres libertate. Quod si tibi vis esse liberum, quantum volueris, quando et quotiens tibi placuerit, exigere ab eisdem, scire potes hanc amarissime speciem servitutis tuorum in te animos provocare. Et hec eadem satis expressimus dilecto filio nostro R(icardo) sancti Angeli diacono cardinali, cum in regnum dirigeret iter suum.

Datum Viterbii, VIII Idus Februarii, anno II.

306.

Clemens IV. an (Raoul Grosparmi,) Kardinalbischof von Albano, apostolischer Legat: empfiehlt ihm zwei Geistliche aus der Auvergne, die er zur Reform der Klöster (im Königreich Sizilien) heranziehen könne.

1267 Februar 6 oder 7, Viterbo

²⁵¹ Matth. 5,18.

Episcopo Albanensi, apostolice sedis legato.

Venientes ad curiam monachos circumspicimus et, quos tibi possumus mittere, non habentes novos cotidie prestolamur. Tua tamen fraternitas pium minime suspendat propositum, si qui tibi boni occurrerint, de eisdem, prout tibi videbitur, collapsis monasteriis providendi. Sane duos invenimus bonos clericos de Alvernia prudentes pariter et fideles prorsus secundum cor nostrum et ad obediendum paratos, in iure peritos et exercitatos in causis, quos ad te nolumus mittere nescientes, an mense tue patiat angustia maiorem numerum convivarum. Quod si eisdem indiges et eis potes sufficere, scribe nobis. Et protinus transmittemus, quorum unus ab olim re nobis est notus et nomine, alter nostris experientia, nobis fama.

Datum Viterbii, VIII/VII Idus Februarii, anno II.

307.

Clemens IV. an (Raoul Grosparmi,) Kardinalbischof von Albano, apostolischer Legat: erteilt detaillierte Anweisungen zur Neuordnung der Kirche im Königreich Sizilien.

1267 Februar 7 oder 9, Viterbo

Eidem.

Ecclesiis regni vacantibus cito providere proponimus, quamvis tuo iudicio nimis tardatum fuerit nostrum cito dante causam dilationi huiusmodi multorum instantia, qui a nobis episcopatus petebant pro suis domesticis minus dignis. Et est nostre intentionis aliquibus pastores preficere, aliis electiones suas reddere de tuo faciendas assensu. De Cassanensi ecclesia locuti fuimus magistro Helie, et non placuit dilecto filio nostro I(ohanni) sancti Nicholai in Carcere Tulliano diacono cardinali, cuius consilio se commisit. De matrimoniis contra statuta canonum celebratis nichil tibi rescribendum credimus, cum sufficere tibi debeat ea dirimere cum ordine, quo debite veritas fuerit patefacta. Nos enim in huiusmodi nolumus dispensare, nisi forsitan evidens causa nos moveat ad faciendam gratiam, quod est rarum. Minorensem autem electum dudum ad te remisimus iuxta merita iudicandum. Et, si latitat, cita sollempniter, inventum detine, reum condempna, ecclesie provide, prout videris expedire. Arnaldum monachum Cararensem monasterio sancti Facundi prefecimus, et recessit. Episcopari nolumus Theobaldum, qui dicitur Sarracenus. Uniones episcopatum, quamvis multum sint tenues, nostris non placent fratribus, quia multiplicatio cathedrarum sepe apostolice sedi profuit, ut possit facile necessitate instante magnam a proprie synodum congregare. De inconstante Constantino quondam archidiacono Nimocensi placet, quod carcerem habeat et adhuc habeatur a carcere, ita tamen, quod nec fame nec frigore pereat, sed salva custodia vita sibi misera reservetur. Iohannem autem de Duaco potes dimittere satis hactenus maceratum. Ecclesie Lavellensi provideas de pastore, prout videris expedire. Cum clericis secularibus, qui ab intrusis scienter ordines susceperunt, dispensandum non credimus, nisi religionem intraverint vel sint alias valde boni, quod si per ignorantiam, cum ipsis valeas dispensare. Cum religiosis autem et hiis, qui religionem intrare voluerint vel quos utiles aut necessarios suis ecclesiis esse videris, sed et cum Castrensi episcopo, quem asseris boni nominis et honestum, super etatis defectu in littera sue provisionis tacito valeas dispensare. Cum Lombarda quondam etiam marchionis Lancee filia volumus, quod dispenses et eam facias abbatissam defectu natalium, si quis est, non obstante.

Datum Viterbii, VII/V Idus Februarii, anno II.

Clemens IV. an König (Jakob I.) von Aragón: fordert ihn auf, seine Geliebte zu verlassen.

1267 Februar 9, Viterbo

Carissimo in Christo filio regi Aragonum illustri.

Qui recte diligit, sic ad amicum afficitur, ut eum diligit et eius vitia persequatur, nec amicitie certius est indicium quam ea persequi in amico, que ipsius corpus et animam trahunt ad exterminium sempiternum. Numquid ergo tue magnificentie nostram subtrahimus gratiam, si peccatum tuum arguimus, quod contra Deum inverecunde committens ob iniuriam Creatoris penis sempiternis obnoxius tuam nichilominus exeris et propalas infamiam toti mundo? Non est hoc, fili carissime, subtrahere gratiam, sed augere. *Quem enim filium pater diligit, hunc castigat et e contrario parcens virge pater odisse filium comprobatur*²⁵². Sane, quod ad circumspiciendas remotas et finitimas regiones et earundem principes nos transmittis, in quibus dicis fieri, que non facis, male nostrum pacavit animum, cum aliquantulum in hac parte Pharisei sententiam videaris amplexus, qui se ipsum non sicut ceteros hominum esse iactans iustificare se voluit alios condemnando, cui tamen Dominus pretulit publicanum se ipsum accusantem humiliter et alios non mordentem²⁵³. Numquid eger, si prudens fuerit, dicit medico: „Cur me curas, qui ad tot infirmorum alibi laborantium medicinale studium non exerces?“ Nonne rectius ei dicit: „Gratias ago tibi, qui multis egrotantibus curam mei specialem assumis.“ Scias autem, quod, licet a te incepisse nos credas, iam ad plurimos misimus manum nostram principes et prelatos, quibus parcere non intendimus, ne silentio tam dampnabili quam dampnoso eorum vitiis involvamus. Sed quid addis? Confiteris, in quo iaces, peccatum, sed procuras amotionem obstaculi, dum probare proponis te, antequam cum nobili muliere Taresia convenisses, eiusdem consanguineam in gradu tertio cognovisse. Vide, fili, ne testes habeas, quales bone memorie comes Tholosanus induxit, ut a tua valeret amita separari, quod si forte presumpseris, in laqueum inestimabilem te involves, et, si testes legitimi fuerint, excusabitur aliquatenus adulterium, et remanebit incestus. Adhuc adicis, quod peccatum tuum potest per penitentiam dilui, quod concedimus mecha dimissa. Sed quid facies interim servus semper manens Diaboli, nullum habens cum Christo commercium a sacramento corporis eius et sanguinis alienus? Quis certitudinem tibi dedit, ut possis, cum volueris, confiteri? Eya, fili carissime, non tardes converti ad Dominum et mulierem relinquere, quam in Dei contemptum ad tuum concubinium admisisti. Alioquin scire te volumus, quod, quanto sincerius te diligimus, tanto minus in salutis tue dispendium tue magnificentie blandiemur.

Datum Viterbii, V Idus Februarii, anno II.

Clemens IV. an Erzbischof (Iohannes de Curtiniaco) von Reims: fordert ihn auf, in seiner Diözese Sparsamkeit walten zu lassen.

1267 Februar 9, Viterbo

²⁵² Prov. 13,24. Vgl. Ecclus. 30,1.

²⁵³ Luc. 18,10–14.

I(ohanni) archiepiscopo Remensi.

Fraternitatis tue litteras letanter recepimus et, licet tua nobis placuerit excusatio, nichilominus erubescimus, quod ob nostrum et nostre curie servitium tam enormiter tuam ecclesiam exhausisti. Satage igitur, frater carissime, relevare sponsam tuam oppressam parsimonie studio salva tua in omnibus honestate nec pompis seculi delecteris, sed ad edificationem animarum intendens ad temporalia reformanda piam des operam consequenter, ut eisdem bene dispositis spiritualibus eo plenius quo liberius valeas indulgere.

Datum *ut supra in proxima*.

310.

Clemens IV. an L., Witwe des Ritters Alba: erteilt seinen Segen zu ihrer neuerlichen Eheschließung; hält sie zur Sorge für ihre Kinder und zu einer christlichen Lebensführung an.

1267 Februar 10, Viterbo

Dilecte in Christo filie nobili mulieri L. relicte quondam Albe militis.

Litteras tuas vidimus novum nobis coniugium nuntiantes, quod sua Dominus benedictione perfundat, et nos, qui licet immeriti vices eius in terris gerimus, nostram utrique coniugum benedictionem transmittimus ad Dei gloriam et honorem. Tu vero, filia, que diu circa liberos laborasti, non te subtrahas eorundem consilio, nam te, dum vixeris, indigebunt, qui, licet ab uberibus carnis tue dudum fuerint ablactati, cum tamen multum sint teneri, adhuc procul dubio lactis indigent alimonia melioris. Assiste igitur salubribus monitis et consiliis in moribus. Insta orationibus, *iacta tuum in Domino cogitatum*²⁵⁴, vigiliis et ieiunia cum discretione proseguere. Confessorem elige, quem volueris, cui damus audiendi confessionem tuam et a peccatis et ab excommunicationum sententiis omnibus absolvendi te auctoritate nostra plenam et liberam potestatem.

Datum Viterbii, IIII Idus Februarii, anno II.

311.

Clemens IV. an seinen Kaplan Nicolaus: bittet ihn, Abt (Bernardus Ayglerii) von Montecassino, dem er den Kampf gegen die Sarazenen von Lucera aufgetragen habe, mit Hilfe von Sieneser Kaufleuten bis zu 1000 Unzen Gold zukommen zu lassen.

1268 Februar 15, Viterbo

Dilecto filio Nicolao capellano et cetera.

Ecce nostrum pulsavit auditum Sarracenorum Lucerie preconcepta malitia, qua spiritu rebellionis presumpte partes regni sibi conterminas assidua, prout fertur, impugnatione concutiunt iunctis sibi quibusdam proditoribus solo nomine christianis. Volentes igitur hiis malis occurrere, presertim in carissimi in Christo filii nostri C(aroli) regis Sicilie illustris absentia, dilecto filio

²⁵⁴ Ps. (G) 54,23.

abbati Montis Casinensis viva voce precepimus, ut acceptis secum ducentis militibus de Campania illuc se conferat in subsidium Christi fidelium et regni defensionem eiusdem. Quia vero propter viarum pericula pecuniam eis dare nequivimus transvehendam, discretionem tuam, de qua fiduciam plenam gerimus, rogamus attentius, quatenus eidem abbati usque ad mille uncias auri, cum a te eas petierit, subministres, quas exnunc tradimus Bonaventure et eius sociis mercatoribus et civibus Senensibus tuo nomine possidendas et tibi, ubi et quando volueris, assignandas. Hoc autem taliter implere studeas, ut negotium fidei, quod habemus cordi pre ceteris, non tardetur.

Datum Viterbii, XV Kalendas Martii, anno III.

312.

Clemens IV. an R(aoul Grosparmi,) Kardinalbischof von Albano, apostolischer Legat: unterrichtet ihn, daß er Abt (Bernardus Ayglerii) von Montecassino und dessen Bruder, Erzbischof (Ayglerius Ayglerii) von Neapel, den Kampf gegen die Sarazenen von Lucera aufgetragen und sie beide zu ihm geschickt habe; er habe König (Karl I. von Sizilien) geschrieben, daß er in sein Reich zurückkehren solle; tröstet ihn in seinen Befürchtungen.

1268 Februar 15, Viterbo

Episcopo Albanensi, apostolice sedis legato.

Auditibus rumoribus de Luceria dilectum filium abbatem Casinensem vocavimus in nostra curia constitutum. Cui et fratri eius archiepiscopo Neapolitano iniunximus, ut ad te festinanter alter accederet, alter vero, abbas scilicet, CC milites de Campania in nostris stipendiis secum duceret et cum eis ad tuam presentiam se conferret facturus, quod ei duceres iniungendum. Regem rursum nuntiis inculcatis per nostras litteras revocamus ad regnum. Et speramus in Domino, quod hoc malum multorum erit bonorum occasio, que recte non poterant alias obtineri. *Esto igitur constans²⁵⁵, nec concidat vultus tuus²⁵⁶ nec animus prosternatur. Omnia enim ad bonum venient exitum, ad laudem bonorum et malefactorum vindictam²⁵⁷.*

Datum ut supra in proxima.

313.

Clemens IV. an den Ritter Bertrandus Albe: rät ihm, sich über Erzbischof (Bertrand de St-Martin) von Arles oder seinen Schwager, den Marschall, an König K(arl I.) von Sizilien zu wenden.

1267 Februar 24, Viterbo

Dilecto filio Bertrando Albe militi.

Per venerabilem fratrem nostrum Arelatensem archiepiscopum vel per tuum sororium marescallum debes, fili, cum carissimo in Christo filio nostro C(arolo) illustri rege Sicilie promovere, quod per nos fieri postulabas, cum nos non deceat super talibus regi scribere. Damus tamen tibi

²⁵⁵ Act. 23,11.

²⁵⁶ Iud. 6,5; auch Gen. 4,5.

²⁵⁷ 1. Petr. 2,14.

consilium, quod contra te eum non provocas, cuius semel amissa gratia de facili postea non habetur.

Datum Viterbii, VI Kalendas Martii, anno III.

314.

Clemens IV. an König K(arl I.) von Sizilien: erteilt ihm Anweisung, wie er bei der Beilegung von Streitigkeiten zwischen Franziskanern und Dominikanern um die Ansiedlung zweier Ordenskonvente letzterer in Capua und Sulmona zu verfahren habe.

1267 März 10, Viterbo

Carissimo in Christo filio C(arolo) regi Sicilie illustri.

Graves admodum nostris auribus nec minus animo tua credat serenitas onerosas religionum pauperum contentiones et lites, que nonnullis suspicionem ingerunt, quod de multis multum contenderent, si multa licite possiderent, que, quantum licuit, circumcise in illo modico, quod eisdem auferri fragilitatis humane necessitas non permisit, minus pacifice, quam vellemus, sese compati nostris temporibus, prout dicitur, inceperunt, quamquam in omni statu eas tenerrime dilexerimus et tandem ad maiora proventi eis nos reddiderimus favorabiles et benignos. Sane nobis per tuas litteras intimasti, quod, cum Capue dilectis filiis Fratribus Predicatoribus locum quendam restituendum duxeris, quem M(anfredus) quondam ecclesie persecutor eis abstulerat, dilecti filii Fratres Minores in tua proposuerunt presentia, quod locum eundem dictis Fratribus Predicatoribus non licebat habere iuxta nostre provisionis indultum ab ecclesia eorundem trecentarum annorum spatio non distantem nec obstabat, si forsitan diceretur, quod locum ipsum, quem restitueras, ante nostrum indultum Fratres Predicatores possederant, cum ab illo eum habuerint, qui nullum ius habuit conferendi. Adiecisti insuper in tuis litteris, quod, cum in Sulmona eisdem Fratribus Predicatoribus locum, qui Capella et Palatium Regis dicitur, ab ipsorum Fratrum Minorum ecclesia dicto spatio non distante regia liberalitate contuleris, dicti Fratres Minores postulant, ut revoces, quod fecisti. Quia vero tua prudentia circumspecta nos super hiis duxit, ut debuit, consulendos, consultationi tue breviter respondemus, quod donationem, quam Fratribus Predicatoribus in Sulmona fecisti de rebus ad te iure regio pertinentibus, ratam volumus permanere indulto huiusmodi non obstante. De hiis autem, que Capue eisdem Fratribus Predicatoribus reddidisti, conqueri vel contendere ad Fratres Minores non pertinet, sed arbitrio tuo committimus, ut, si tue placeat magnitudini, ibidem remaneant dicti fratres. Alioquin, quod a predonibus habuerunt, tibi remaneat, ita tamen, quod, si semel sacer extitit dictus locus, nullatenus prophanetur, sed divinis semper obsequiis maneat mancipatus.

Datum Viterbii, VI Idus Martii, anno III.

315.

Clemens IV. an S(imon de Brion, Kardinalpriester) von Santa Cecilia, (apostolischer Legat): trägt ihm auf, die Erhebung des G(ui) d'Auvergne zum Erzbischof von Vienne zuzulassen, wenn keine ernstlichen Hindernisse entgegenstünden.

1267 März 13, Viterbo

Dilecto filio S(imoni) tituli sancte Cecilie et cetera.

Vacante nuper ecclesia Viennensi per mortem bone memorie I(ohannis) archiepiscopi eiusdem ecclesie dilecti filii capitulum Viennense dilectum filium G(uidonem) de Alvernia prepositum Insulensem tunc ad sacros ordines non promotum in suum archiepiscopum et pastorem a nobis concorditer postularunt, prout nobis per litteras patuit eorundem et assertionem procuratorum ipsorum, quos ad promotionem postulationis eiusdem ad nostram presentiam destinaverunt. Sane, licet predicta postulatio ex forma et tenore decreti nobis et nostris fratribus favore digna, si canonicum aliud non obsisteret, videretur, quia tamen idem postulatus plura beneficia videtur habere, que sine sedis apostolice gratia speciali canonicè tenuisse non poterat nec tenere, postulationem eandem non subito duximus admittendam.

Et, quamquam de hoc postea nobis sit adeo satisfactum, ut ei nec obici valeat nec obesse, quia tamen in aliis tu melius scire potes, quid expediat ecclesie memorate, que tali persona propter circumstantium principum et magnatum, qui eidem ecclesie oppido sunt infesti, malitiam multum dicitur indigere, discretioni tue de ipsorum fratrum consilio committimus, ut ipsius ecclesie utilitate et necessitate pensatis auctoritate nostra, si videris expedire, postulationem admittens eandem de predicto preposito Insulensi ecclesie memorate provideas et promotum per singula ordinationum tempora successive in episcopum per illos ex suffraganeis Viennensis ecclesie, quibus hoc duxeris committendum, eadem auctoritate facias consecrari. Quod si tibi forsitan visum fuerit ex causis aliis non fore postulationem huiusmodi admittendam, causas, que te ad istud moverint, nobis statim rescribere non omittas provisionem eiusdem ecclesie nobis hac vice reservans et eidem capitulo interdicens, ne procedant ad electionem vel postulationem quamcumque, nostra nichilominus auctoritate decernens irritum et inane, si quid secus fuerit attemptatum. Administrationem autem bonorum et iurium archiepiscopaliū personis idoneis de eodem capitulo in hoc casu committas, donec super hiis aliud duxerimus ordinandum.

Datum Viterbii, III Idus Martii, anno III.

316.

Clemens IV. an den Kapitan und die Partei der (exilierten) Guelfen von Florenz: empfiehlt ihnen den Magister R(aynerius), Propst von Florenz und päpstlicher Kaplan, und gebietet ihnen, diesen zu unterstützen.

1267 März 31, Viterbo

Dilectis filiis capitaneo et parti Guelforum Florentinorum.

*Levate capita vestra, quia vestra redemptio appropinquat*²⁵⁸. Sitis tamen viri pacifici et in *humilitatis spiritu*²⁵⁹ divine gratie beneficium expectantes. Sane dilectum filium magistrum R. prepositum ecclesie Florentine, capellanum nostrum vestre devotioni recommendantes obnixius universitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus in hiis, quibus vestro consilio indigerit vel auxilio, vos eidem ob reverentiam apostolice sedis et nostram tam fideliter quam viriliter assistatis.

Datum Viterbii, II Kalendas Aprilis, anno III.

In eodem modo capitaneo et parti ...

²⁵⁸ Luc. 21,28.

²⁵⁹ Dan. 3,39.

317.

Clemens IV. an Magister R(aynerius), Propst (von Florenz und päpstlicher Kaplan): mahnt ihn, sein Vorhaben mit Bedacht durchzuführen.

1267 März 31, Viterbo

Dilecto filio magistro R. preposito et cetera.

Tue providentie diligentiam commendantes monendum te duximus et hortandum, ut consulte procedens in omnibus zeli tui fervorem providentie freno reprimas nec incipias aliquid quod te posse non extimes probabiliter consummare. Quod si tibi cessurum credis prospere, quod intendis, sic te decet in omnibus laborare, quod ordinis tui periculum non incurras. Verum illis, quos tibi credimus in tuis negotiis fore utiles, scribimus, ut rogasti. Tu vero diligenter attende velut *servus fidelis et prudens*²⁶⁰, quod amicorum sic utendum est opera, ut felix rerum exitus iudicii subiti precipitio non turbetur. Tu tamen magis scire potes, quid liceat, quid deceat, quid expediat. Et idcirco salvo statu intimo civitatis, quem nulla volumus nec velle te credimus ratione turbari, te in aliis tue prudentie duximus relinquendum.

Datum Viterbii, II Kalendas Aprilis, anno III.

318.

Clemens IV. an A(ldobrandino Cavalcanti), Prior der römischen Dominikanerprovinz, und (Gerardus de Arcetro), Dominikanerprior von Florenz: trägt ihnen auf, all jene, die unter Eid erklären, an der Erhebung des P(etrus) Bernardi (Iuliani) zum Capitano (del Popolo) von Florenz gar nicht oder nicht freiwillig mitgewirkt zu haben, aus der deshalb verhängten Exkommunikation zu lösen und ihm die Namen der Absolvierten mitzuteilen.

1267 März 31, Viterbo

Dilectis filiis fratri A(ldobrandino) priori provincie Romane et priori Fratrum Predicatorum Florentie.

Cum cives Florentini post iuramenta de nostris mandatis implendis prestita fidem primam irritam facientes contra nostrum mandatum expressum per dilectum filium magistrum E(liam) capellanum nostrum inibi promulgatum P(etrum) Bernardini civem Urbevetanum in capitaneum nuper receperint, ob quam causam excommunicationis sententiam incurrerunt, discretioni vestre committimus, quatenus vos vel alter vestrum omnes illos, qui suo iuramento firmaverint se capitanei receptionem eiusdem minime procurasse nec eam procurantibus omnino voluntarie consensisse, a dicta excommunicationis sententia secundum formam ecclesie absolvatis. Illos autem non omnino voluntarios intelligimus, qui timore potentie vicinorum receperunt eundem eum alias, si resistere potuissent, minime recepturi. Eorum vero nomina, quos absolveritis, in scripturam fideliter redigatis et nobis remittatis eandem.

Datum *ut supra in proxima*.

²⁶⁰ Matth. 24,45.

Clemens IV. an Podestà, Rat und Bürger von Florenz: gebietet ihnen, nachdem sich Konradin (von Schwaben) anschicke, das Königreich Sizilien zu erobern, und er selbst König K(arl I.) von Sizilien als Friedenswahrer in Tuszien eingesetzt habe, dessen Kapitanen beizustehen.

1267 April 10, Viterbo

Dilectis filiis potestati, consilio et universis civibus Florentinis.

*De radice colubri venenosus egressus regulus*²⁶¹ suis iam inficit flatibus partes Tuscie, *viperarum genimina*²⁶², viros utique pestilentes et tam nostros quam vacantis imperii nec non et carissimi in Christo filii nostri C(aroli) Sicilie regis incliti proditores suo concordis proposito, sue voluntati conformes ad diversas destinat civitates, ad viros nobiles, ad villas et castra transmittit et per exquisita mendacia *fimbrias* suas *magnificans*²⁶³ quosdam precibus, quosdam pretio a via nititur incessanter avertere veritatis. Hic est, quem tangimus, quem notamus, adolescens, improvidus Corradinus Frederici nepos quondam principis Romanorum tam a Deo quam ab eius vicario iusto iudicio reprobati, cuius organa sunt grandiloqua viri reprobi (Guido) Novellus, Corradus Trincia et Corradus Capezia cum multis aliis, qui nephandum hoc ydolum in Tuscia moliantur erigere nec cessant, ut dicitur, clam et palam stipendiare Theutonicos, inire federa, coniurationes et pacta cum illis, qui pari cum scelere sunt polluti, quorum aliquis se vicarium eius dicit, et in eam prolabantur insaniam, ut et eum publice regem nominent et eundem ad id induxerint, quod sigillo iam utens regio regis Sicilie sibi nomen usurpat. Sane carissimus in Christo filius noster prefatus C(arolus) verus et unicus rex Sicilie tantum opprobrium apostolice sedis et suum equanimiter ferre non valens cito nostram aditurus presentiam sue partem premitit militie ad huiusmodi factionis auctores de Tuscie partibus expellendos, ut et pacis exturbatores exturbet et viros sobrios ac pacificos in pacis multitudine faciat delectari. Cum igitur idem rex tamquam pugil ecclesie singularis in hiis omnibus nostra fretus auctoritate procedat, universitati vestre per apostolica scripta firmiter precipiendo mandamus, quatenus, sicut caram nostram habetis gratiam, sic et eius, quos ad hoc destinat, capitaneis consilium et auxilium in tam pio negotio impendatis. Regem enim eundem e vestigio suam militiam secuturum in vestris partibus constituendum duximus ad nostrum beneplacitum paciariam generalem, ut, dum vacat imperium, cuius tuitio ad nos pertinet, tam vicina patrimonio nostro regio perversorum malitia nequeat lacerari, sed maiores, mediocres et minores propriis iuribus sui que status honore contenti discant potius iuste et pie vivere quam aliorum spoliis impinguari. Ceterum nullus timeat, quod se faciat partiarium, quem paciariam nominamus. Communem etenim cum omnibus esse volumus, qui vitam tranquillam eligent et quietam et eidem obedient, dum officio tali fungetur. Quod si malleus fuerit contumacium, non id nobis, non ei, sed ipsorum erit malitiis ascribendum.

Datum Viterbii, IIII Idus Aprilis, anno III.

²⁶¹ Isai. 14,29.

²⁶² Matth. 23,33.

²⁶³ Matth. 23,5.

Clemens IV. an Podestà, Capitano del Popolo und Anzianen von Pisa: rechtfertigt seine Zustimmung zu dem Vorhaben König K(arls I.) von Sizilien, seine Truppen in Tuszien einmarschieren zu lassen; fordert sie auf, diesen nicht weiter in seinem Vorgehen zu behindern.

1267 April 26, Viterbo

Dilectis filiis potestati, capitaneo et ancianis Pisani populi.

Turbatos vos fuisse scribitis in adventu militie carissimi in Christo filii nostri C(aroli) illustris regis Sicilie ab eodem in partes Tuscie destinate de nostra, ut asseritis, conniventia seu etiam voluntate, per quam dicitis terras aliquas deformatas vel verius desolatas, et, cum tante novitatis suspicio in discrimen totius provincie, amicorum vestrorum et vestrum vergere videatur, vos exinde iusto timore concepto equis et armis et aliis necessariis gentem vestram instruitis supplicantes, ne vestrorum suggestio mentem nostram concutiat emulorum, cum hoc facere minime proponatis in nostri vel regii derogationem honoris. Sane *perturbatum Herodem* legimus *et omnem Ierosolimam cum eodem* ortu Salvatoris audito²⁶⁴, qui ante receptum tante novitatis indicium Pilatum virum pessimum adiacenti provincie presidentem vel volens vel dissimulans toleraverat, et vos, quod pudet dicere, regis nostri catholici novam viciniam abhorretis, cum Manfredum Diaboli filium in ulteriorem familiaritatem admissum in vestrarum animarum perniciem olim duxeritis multipliciter honorandum. Verum, ut vestris litteris, si non iuxta scripture seriem, tamen eius collecta sententia responsum congruum refundamus, volumus vos advertere, quam periculose fundabatur in Tuscia perfidissima machinatio proditorum, que non in angulis delitescens, sed sub omnium oculis denudata novum ydolum iam erexerat Corradinum nominans sibi regem castris imperii, immo cameris specialibus occupatis. Et, si illos amicos dicitis, scriptum esse noveritis, quod *amicus stultorum similis efficietur*²⁶⁵ eisdem, si non illos amicorum nomine intelligitis, nescimus alios, qui per dicte manum militie status sui senserint detrimentum, et hii quidem iuste multorum iudicio, quia factis digna recipiunt, digni recipere graviora. Quod si de nostra tacite nos requiritis conniventia vel, prout adicitis, voluntate, vestram prudentiam volumus non latere, quod, cum ad regis supradicti notitiam pervenisset, quod fiebat in Tuscia quorumque studiis aleretur, nobis secretius intimavit, quod contra omnes Corradini fautores illuc militiam mittere proponebat, nisi nos aliud mandarem, super hoc nostrum sibi postulans beneplacitum aperiri. Quid ergo, quesumus, fuisse nobis creditis eo tempore respondendum? Numquid expediens fuit dicere ipsius nuntiis: „Stet in pace nec in aliquo sibi provideat, donec pedes suorum hostium sint in regno.“ Ecce vobis providetis, ut scribitis, adhuc nemine vos tangente, et ipse tam crudeliter impetitus et tactus in regni nomen et titulum alio iam intruso prohibendus erat a nobis inter ipsa malitie procedentis initia vires hostium enervare. Iam sui proditores et nostri apud Tuscos fame celebris et magni nominis habebantur, iam creatus erat vicarius a non ente, verus autem et unicus rex Sicilie dormire debuit aut positus manibus sub acellis tante nequitie, tante fraudis perniciosum exitum tacitus prestolari. Nos autem temporis et negotii circumstantiis evolutis nec precise consulere nec omnino suadere volumus rem ambiguam, ne, si forsitan sinistrum aliquid evenisset, nostre posset improvidentie imputari, sed nec eius impedire propositum nobis placuit, ne manu malignantium roborata regis dampnum nobis posset impingi. Sue tamen eum relinquimus libertati predicentes pericula, que utrimque verisimiliter poterant formidari. Ac, si

²⁶⁴ Matth. 2,3.

²⁶⁵ Prov. 13,20.

queritis, cur hec vobis aut aliis manifesta non fecimus, satis est in promptu responsio. Dicti namque regis archanum nos cum eius periculo minime decuit publicare. Nec intelleximus vestram vel aliam Tuscie civitatem sibi ex aliquo privilegio vindicare, quod eandem provinciam nulla debeat intrare militia vobis aut aliis provincialibus inconsultis. Si vero vos vel alii privilegium hoc habetis, cur suppressum extiterit retroactis temporibus, cum militia plena malitia Tusciam peragrabat contra Deum et Romanam ecclesiam ad suorum subversionem fidelium, non videmus. Et, si dicitis, quod de nostro fiebat assensu, vestram utique turpitudinem allegatis.

Desinite igitur perturbari de christianissimi regis successibus, qui reformatum extimat, quod esse creditis deformatum. Nos vero communibus oculis intuemur negotium suam cuique, cum ad nos venerit, dante Deo iustitiam reddituri ad id, quod ultimo de vestre gentis instructione scribitis, breviter respondentes, quod nec vobis providentie viam claudimus nec, si cum impiis vos involvitis, indemnitate aliquam pollicemur. Si tamen, prout alias spondistis, amicitiam regis queritis, ad eam vobis, prout expediet, acquirendam libenter dabimus opem et operam diligentem et, si Deo placuerit, efficacem.

Datum Viterbii, VI Kalendas Maii, anno III.

321.

Clemens IV. an Äbte, Prioren, Archipresbyter (und sonstige Prälaten von Rom): gebietet ihnen, seinen Kaplan B., der für ihn der Stadt und ihrer Umgebung Reliquien besorgen sollte, wohlwollend zu behandeln.

1267 April 29, Viterbo

Dilectis filiis abbatibus, prioribus, archipresbyteris et cetera.

Attendentes sanctorum merita, quorum suffragiis indigemus, pro ipsorum reliquiis requirendis dilectum filium magistrum B. subdiaconum et capellanum nostrum ad Urbem et partes circumadiacentes duximus destinandum universitati vestre per apostolica scripta mandantes, quatenus in hiis, que circa illas a vobis ex parte nostra requisierit, pro nostra et apostolice sedis reverentia erga ipsum sic favorabiles vos reddatis, quod nos id gratum habentes devotionem vestram proinde merito commendare possimus.

Datum Viterbii, III Kalendas Maii, anno III.

322.

Clemens IV. an S(imon de Brion, Kardinalpriester) von Santa Cecilia, (apostolischer Legat): fordert ihn auf, die 10 000 Pfund Turnosen, die der verstorbene Bischof G(uillelmus de Grez) von Beauvais in seinem Testament für die Unterstützung des Kreuzzuges ins Heilige Land ausgesetzt habe, trotz des allgemein geltenden Testierverbots der Geistlichkeit zur Finanzierung der Kreuzzugsflotte zu verwenden.

1267 Mai 6, Viterbo

Dilecto filio S(imoni) tituli sancte Cecilie et cetera.

De multorum admiratione miramur, qui rationis iudicium non sequentes, sed legem sibi statuentes ad libitum contra tuam, ut dicitur, providentiam murmurarunt, quam commendare potius debuissent, dum executionem testamenti bone memorie G(uillelmi) Belvacensis episcopi precepisti suspendi, donec super ea responsum apostolicum habuisses. Sane, qui totiens audierunt, qui in suis legerunt codicibus, quibus sit finibus tam prelati quam clericis limitata potestas de suis peculiis in supreme voluntatis iudicio disponendi, quid obicere tibi valeant, non invenient. Qui si forsitan adiuvere consuetudine se voluerint, an sit rationabilis, debent inspicere, an rectius corruptela dicenda, ut cuidam huiusmodi usus obtentu contra sanctiones canonicas non sua distribuere legare liceat aliena. Verum nichil ad presens super hoc diffinire volentes de speciali gratia eiusdem episcopi voluntatem, quam nobis acceptabilem faciunt testatoris devotio et congesta tot opera pietatis, plene volumus executioni mandari. Tu vero de illis X milibus librarum Turo-nensium, que subsidio Terre Sancte reliquit, cum aliis adminiculis, que occurrerint, galeas instruas in eiusdem succursum celerius destinandas.

Datum Viterbii, II Nonas Maii, anno III.

323.

Clemens IV. an den Elekten Philippus (de Sabaudia) von Lyon: fordert ihn auf, endlich die Weihen zu empfangen.

1267 Mai 5, Viterbo

Dilecto filio Philippo electo Lugdunensi.

Nosti, quantum et quam pacifice sustinimus negligentie tue defectum, qui dudum ad sacros ordines debuisses ascendere, ut munere consecrationis obtento intenderes diligentius saluti crediti tibi gregis. Sane, quod tanta patientia prorogata, tot apostolice sedis gratiis inculcatis ulterius pati nolumus animarum dispendia, que pastoris diu regimine caruerunt, non ex odio, sed ex vera dilectione processit, quam sic a te habere volumus, ut utilitatem multorum nudo tuo beneplacito preferamus. Cum igitur in *duarum viarum capite* dudum *steteris*²⁶⁶, tempus est, ut in altera te stabilias nec ancipiti volvaris proposito, sed vel amodo prelatum impleas vel ecclesie Lugdunensi amplius non illudas. Nos vero suspensionis sententiam, quam in te olim tulimus, ad tempus prorogavimus ad preces venerabilis fratris nostri H(enrici) episcopi Hostiensis.

Datum Viterbii, III Nonas Maii, anno III.

324.

Clemens IV. an G(uido,) Kardinalpriester von San Lorenzo in Lucina, apostolischer Legat: gebietet ihm, angesichts mangelnder Erfolge von seiner Legation in Dänemark und Deutschland zurückzukehren.

1267 Mai 8, Viterbo

²⁶⁶ Ezech. 21,21.

Dilecto filio G(uidoni) tituli sancti Laurentii in Lucina presbytero cardinali, apostolice sedis legato.

Multa nobis de Dacia, non pauca de Germania referuntur, que mentem nostram non levi, sed mediocri ratione concutiunt, que te ferre molestius extimamus, qui cernis cominus et palpas iugiter multo tempore iam expertus ferocitatem gentium, que in suis erroribus plus, quam eis expediat, solidate nec increpationem recipiunt nec salutem. Sane, cum tibi Dominus *cor docile dederit*²⁶⁷ ab infantia et ex dono Dei proficiens, *doctus a Domino plures docueris*²⁶⁸ et *vacillantes plurimos confirmaverint*²⁶⁹ manus tue, materie vitium non artificis extimamus, si non, quantum conceperas, apud illos, ad quos missus extiteras, profecisti, nam et ille, qui quandoque *pugnavit ad bestias*²⁷⁰, sibi semper proficiens proficere voluit, sed non valuit apud omnes. Ei tamen non defuit approbati laboris meritum, qui ex fide negotium prosequens, quod susceperat peragendum, fecit, quod potuit, de contingentibus nil omittens. Tempus igitur arbitrans, ut *a tuis laboribus requiescens*²⁷¹ ad eum, qui te misit, amodo revertaris, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus tua, ut poteris, commoditate servata ad nostram presentiam accedere non postponas una cum tuis fratribus cotidiana apostolice sedis onera portaturus, que causis variis confluentibus sic nos angunt, ut moram tuam in curia longe magis credamus utilem et longe pluribus fructuosam.

Datum Viterbii, VIII Idus Maii, anno III.

325.

Clemens IV. an R(aoul Grosparmi,) Kardinalbischof von Albano, apostolischer Legat: unterrichtet ihn vom Verlauf seiner Gespräche mit König K(arl I.) von Sizilien über dessen problematische Herrschaftsführung; König L(udwig IX.) von Frankreich habe zusammen mit einigen Großen seines Reiches das Kreuz genommen; König K(arl I.) von Sizilien sei in Florenz und einigen anderen Städten Tusziens Podestà geworden; teilt Einzelheiten über die Neuordnung der Kirche (im Königreich Sizilien) mit.

1267 Mai 9, Viterbo

R(adulfo) episcopo Albanensi, apostolice sedis legato.

Nuntium tuum tenuimus, ut more fructum, quam carissimus in Christo filius noster C(arus) rex Sicilie illustris in nostra fecit curia, rescribere tibi certius valeremus. Sciat autem tua fraternitas, quod intellectis ab olim pluribus, que in status sui discrimen vergere videbantur, eundem monuimus diligenter, ut et nobis et sibi providens ea consultius emendaret, alioquin eversionis periculum non immerito poterat formidare. Inter que hec expressimus ea sibi verbo commendantes et scripto, ut videlicet ad restitutiones iniunctas sibi vel in posterum indicendas facilem et benivolum se preberet, iustitiam faceret in regno suo servari, officialibus certa salaria constitueret, ultra illa quicquam recipientes iuxta ipsorum merita seu demerita in aliorum puniret exemplum, stipendiariis debita solveret, ab eisdem regnicolas concuti non permetteret, domum suam disponeret, officiales singulos officiis suis uti sineret nec promiscuis actibus usum confunderet eorundem, sigilli sui questum sub equo moderamine limitaret, sapientum consiliis acquiesceret sue

²⁶⁷ 3. Reg. 3,9.

²⁶⁸ Dan. 11,33.

²⁶⁹ Iob 4,4.

²⁷⁰ 1. Cor. 15,32.

²⁷¹ Apoc. 14,13.

prudentie non innitens, expensis inutilibus parceret, temporibus competentibus super eis rationem audiret, adibilem et affabilem pro loco et tempore suis subditis et legatis ad eum venientibus se preberet, prelatis, quos ad suum vocabat consilium, certa vadia constitueret, libertatem ecclesiasticam tam ecclesiis quam earum hominibus conservaret, matrimonia suorum libera esse sineret, nisi fors personarum suspicio aliud suaderet, a collectis indebitis et albergis omnium abstineret, probis demum militibus et fidelibus servientibus terras daret, qui servire tenerentur eidem eo fidelius et instantius, quo non eius dumtaxat, sed suum negotium prosequi tenerentur. Hec et alia ei diximus non sub tali epilogo, sed intelligibiliter et diffuse, ad que omnia bene respondens proficere sibi suisque poterit, si fecerit, quod spondit.

Sane circa restitutiones, que nimis dilate sunt, faciendas, non ut tuo derogemus honori, sed ut onera relevemus, certas personas ad terras citra Farum duximus destinandas. Et tu interim in Sicilia facias, quod incumbit.

Scire rursus te volumus, quod in die Annuntiationis Dominice carissimus in Christo filius noster L(udovicus) rex illustris Francie cum tribus filiis suis P(hilippo), I(ohanne) et P(etro) crucem assumpsit et cum eo Atrabatensis, Britannie, Flandrie, Augi et quidam alii comites, barones et milites alii in magno numero, qui per Dei gratiam de die in diem augetur. Tempus autem passagii nondum scitur, sed subsidium militum ad Terre Sancte sustentationem interim destinatur.

Predictus rex Sicilie potestariam Florentie et quarundam aliarum terrarum in Tuscia usque ad Kalendas Ianuarii et inde usque ad VI annos recepit. Et iam multum depressa est potentia Gibelina.

Bethlemitanum quondam episcopum ad ecclesiam Cusentinam transtulimus, N(icolaus) Remensem canonicum in Tranensem, in Acherontinam fratrem Laurentium et P(etrum) Romani seu de Ferentino capellanum nostrum posuimus in Sorana, ad Montis Regalis ecclesiam Corinthiensem duximus transferendum. Nec de nostra disputes conscientia, quia sana fuit et integra in hac parte, sicut ex anima inclusa presentibus tibi fieri poterit manifestum. Super ecclesia Cassanensi tue satisfacimus voluntati. Et de quibusdam aliis tibi scribimus id, quod credimus expedire.

Datum Viterbii, VII Idus Maii, anno III.

326.

Clemens IV. an R(oyal Grosparmi,) Kardinalbischof von Albano, apostolischer Legat: trägt ihm auf, die Bistümer Malta und Cassano zu besetzen.

1267 Mai 9, Viterbo

Eidem.

De fraternitatis tue prudentia, quam ab olim probavimus, certis indiciis plenius confidentes tenore tibi presentium concedimus et committimus, quod Maltensi et Cassanensi ecclesiis cathedralibus de personis, quas idoneas estimaveris, providere auctoritate nostra valeas in episcopos et pastores et eis, quas prefeceris, munus facias consecrationis impendi in possessionem ecclesiarum ipsarum per te vel per alium eadem auctoritate inducturus easdem et tuiturus inductas.

Datum Viterbii, VII Idus Maii, anno III.

Clemens IV. an alle Untertanen der römischen Kirche im Herzogtum Spoleto und in der Mark Ancona: gebietet ihnen, sich unter dem Befehl des S(imone Paltinieri,) Kardinalpriester von San Martino, apostolischer Legat, gegen L(orenzo) Tiepolo und die Stadt Fermo zu erheben.

1267 Mai 9, Viterbo

Dilectis filiis universis ecclesie Romane fidelibus per ducatum Spoleti et Anthonitanam Marchiam constitutis.

Non vos decipiant Firmanorum mendacia, non L(aurentii) dicti Theopoli, qui *cecus dux cecorum* effectus eos secum traxit *ad foveam*²⁷² in profundo malorum veniens cum eisdem. Simulator quidem et callidus idem ductor veriusque seductor carissimum in Christo filium nostrum C(arolum) illustrem regem Sicilie circumveniens se admitti ad eius consilium procuravit, cuius fraudem ipsi regi deteximus, ut consultius a se abiciat hominem pestilentem et apostolice sedis ac nostrum capitalem et publicum inimicum. Qui nobis, prout debuit, tam benigne quam devote respondit, quod personam huiusmodi nobis iusta ratione suspectam indignam familiaritate regia iudicabat. Nos igitur tam ipsum L(aurentium) quam Firmanos Romane ecclesie pessimos proditores aperte dicimus et manifeste testamur nostros publicos inimicos universitati vestre per apostolica scripta precipiendo mandantes, quatenus ad dilecti filii nostri S(imonis) tituli sancti Martini presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati mandatum sicut viri potentes et fideles ecclesie filii in eosdem viriliter insurgatis, quorum bona mobilia, dum in sua perstiterint contumacia, vobis exponimus auctoritate apostolica eorum, qui eadem occupaverint, usibus et dominio applicanda. Personarum tamen mutilationem aut cedem nec querimus nec appetimus, quarum vitia sic persequimur, ut salutem animarum et corporum in ipsius persecutionis instantia sitiamus.

Datum *ut supra*.

Clemens IV. an Bischof (Richardus de Gravesende) von Lincoln: gebietet ihm, nachdem er in Frankreich mit den Feinden König (Heinrichs III.) von England Kontakte geknüpft habe, unverzüglich an seine Kirche zurückzukehren.

1267 Mai 11, Viterbo

Episcopo Lincolniensi.

Suadente dilecto filio nostro O(ttobono) sancti Adriani diacono cardinali, apostolice sedis legato deliberandum duximus circa tuum negotium, quid Deo placeat, quid requirat iustitia quidque demum misericordia patiat, sed egre non immerito ferimus, si veritatem habent, que relata sunt nobis, quod scilicet in Franciam veniens cum carissimi in Christo filii nostri illustris regis Anglorum hostibus conventicula frequentare non times et eisdem regis secreta pandere non vereris dasque eisdem de tuis aliquos, per quos possint in Anglia, que per se nequeunt, seminare. Non hec facta misericordiam postulant, sed in se potius severitatem iudicis provocantis. Quoniam pacto illos familiares habeas, quos a corpore precisos ecclesie non ignoras, quomodo *picem*

²⁷² Matth. 15,14.

*tangere valeas et ab ea non infici*²⁷³, non videmus. Licet autem persuasum sit nobis, quod sicut in Franciam sic ad nostram venire curiam sine magna difficultate valeres, tuo tamen adhuc parcere labori volentes fraternitati tue per apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatenus et a malo et a specie mala, prout decet et expedit, abstinens in premissis sine more diffugio ad ecclesiam propriam revertaris desque, quam poteris, opem et operam ad honorem regis et regni statum pacificum procurandum.

Datum Viterbii, V Idus Maii, anno III.

329.

Clemens IV. an O(ttobono Fieschi,) Kardinaldiakon von Sant'Adriano, apostolischer Legat: unterrichtet ihn über die Angelegenheit der englischen Bischöfe; er habe mit König K(arl I.) von Sizilien persönlich verhandelt; der König sei in Florenz und Prato Podestà geworden, in Pistoria stehe dies bevor; über Konradin (von Schwaben) würden viele Gerüchte verbreitet.

1267 Mai 11, Viterbo

Dilecto filio O(ttobono) sancti Adriani diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Venerabilis fratris nostri Lincolniensis episcopi tenebimus in suspenso negotium, donec Londoniensis, Wintoniensis et Cicastrensium episcoporum negotia fine debito terminemus, quod sine causa non facimus, sed ut dissimilium condicionum personis inferamus diversa stipendia meritorum. Sane noveris carissimum in Christo filium nostrum C(arolum) regem Sicilie illustrem venisse Viterbium et ibidem super multis articulis magnum nobiscum habuisse tractatum, cuius finem tibi non possumus indicare, donec certior habeatur. Intravit tamen Tusciam, et Florentia atque Pratum assumpserunt eundem in potestatem usque ad Kalendas Ianuarii et inde ad sex annos, idemque Pistorium faciet, prout fertur. Magna vero de Corradino finguntur, que licet non omnino velimus contempnere, nullam tamen in eis invenimus adhuc substantiam veritatis.

Datum *ut supra*.

330.

Clemens IV. an König (Jakob I.) von Aragón: unterrichtet ihn von seinen Gesprächen mit dem Infanten H(einrich) von Kastilien über die geplante Eheschließung mit einer Tochter des Königs; er freue sich über seine Bereitschaft, den Kreuzzug ins Heilige Land zu unterstützen, könne ihm aber hierfür gegenwärtig keine finanziellen Mittel bereitstellen.

1267 Mai 12, Viterbo

Carissimo in Christo filio regi Aragonum illustri.

Esse in curia nostra noveris dilectum filium H(enricum) filium clare memorie F(erdinandi) regis Castelle illustris, quem carissimus in Christo filius noster C(arolus) rex Sicilie illustris sub spe tenet vel in terra sua vel iuxta providendi eidem, quamquam nobis esset acceptus, quod a Laribus propriis non se penitus elongaret. Sane super hiis, que magnificentia tua scripsit, locuti fuimus ei secretius, quod cum multa gratiarum actione suscipiens non reputavit, id adeo validum,

²⁷³ Ecclus. 13,1.

ut a rege Sicilie multa sibi spondente sub incerto spei proposita crederet recedendum. Quia tamen, ut credimus, non fiet subito, quod a rege promittitur, et idem H(enricus) prudens et strenuus ad natale solum esset revocandus, omnino nec est aliquis, quem melius filia tua deceat, ut videtur, cogita, fili carissime, negotiari prudenter et illam pro te et carissimo in Christo filio nostro rege Castelle illustri procura mittere certitudinem, que eundem possit allicere et ad propria revocare.

Verum dudum audivimus, quem et quantum affectum habes ad subsidium Terre Sancte, ad quod carissimus in Christo filius noster illustris rex Francie intendens crucis signum vivifice cum tuo genero et filiis aliis duobus assumpsit multum desiderans te habere consortem, sed et nos idem plurimum affectamus, quia nullus utilius, prout credimus, transfretaret. Sed, dum orbem undique circumspicimus, unde tibi subsidium competens ministremus, invenire non possumus. Levandam siquidem vicesimam reddituum ecclesiasticorum decrevimus de terris populi christiani in cismarinis partibus constitutis exceptis Francie, Anglie, Yspanie et Ungarie regnis, que aliis sunt oneribus pregravata. Nec scimus, an in terris aliis nostrum propositum assequamur, tum quia guerris variis affliguntur tum quia, si barones eorum cruce signari contigerit, eos preferri in terris propriis circa subventionem huiusmodi personis exteris oportebit. Quocirca tua sciat sinceritas, quod certum promittere tibi non possumus, sed, si nobis occurreret vel aliquatenus eveniret, id libentissime faceremus.

Datum Viterbii, IIII Idus Maii, anno III.

331.

Clemens IV. an Patriarch (Guillelmus) von Jerusalem, apostolischer Legat, an die Großmeister des Hospitaliter-, des Templer- und des Deutschen Ordens, an G(aufriidus) de Sarginis, (Seneschall des Königreiches Jerusalem,) und an weitere Gläubige im Heiligen Land: mahnt sie, König (Hethum I.) von (Klein-)Armenien und Fürst (Boemund VI.) von Antiochien (und Tripolis) Hilfe zukommen zu lassen.

1267 Mai 17, Viterbo

Venerabili fratri patriarche Ierosolimitano, apostolice sedis legato et dilectis filiis Hospitalis et Templi et sancte Marie Theutonicorum magistris, nobili viro G(aufriido) de Sarginis et aliis Christi fidelibus ac defensoribus Terre Sancte.

Cum carissimus in Christo filius noster rex illustris Armenie Domino permittente, qui, quos recipit filios, corrigit et castigat, per Babilonici furorem exercitus attritus graviter fuerit et oppressus et sit eo dignius in suis necessitatibus adiuvandus, quo ad nostram tuitionem se reddidit hactenus promptiorem, devotionem vestram hortandam duximus et attentius obsecrandam, quatenus salva terrarum vestrarum custodia omne consilium et auxilium, quod poteritis, impendatis eidem ad terram suam, si opus fuerit, et tam ei quam dilecto filio principi Antiocheno ad civitatem Antiochensem contra inimicos fidei defendendas.

Datum Viterbii, XVI Kalendas Iunii, anno III.

Clemens IV. an Kaiser (Michael VIII.) P(alaiologos) von Byzanz: fordert ihn auf, bei dem geplanten Kreuzzug ins Heilige Land mitzuwirken.

1267 Mai 17, Viterbo

Viro magnifico P(aleologo) imperatori Grecorum illustri viam agnoscere veritatis.

Si pressuris compateris Terre Sancte, si carissimi in Christo filii nostri regis illustris Armenie, prout scribis, dampna deploras, tuum in hac parte commendamus affectum, quem propensius utique laudaremus, si affectui responderet effectus. Ecce siquidem, si ex animo crucis persequeris inimicos, tempus imminet satis proposito tuo congruum. Iam quidem carissimus in Christo filius noster L(udovicus) rex Francie illustris se cum filio primogenito et duobus sequentibus crucis caractere insignivit cum multis comitibus et baronibus, militibus et plebeis. Et, ne tantum negotium perfunctorie prosequi videatur, illud duxit longo presidio fulciendum tres filios iam adultos, sed multum iuvenes secum ducens, ut, si divina forsitan ordinatio ex eis aliquem a presenti peregrinatione subtraxerit, supersint alii, qui velint et valeant rem inceptam feliciter cursu prospero consummare. Sane totum occidentalem populum excitamus, qui tam nostris hortationibus quam Francorum provocatus exemplis ad opus simile se accingit. Et, si ipsis ex uno latere impugnantibus Agarenos tu ex altero certare volueris contra ipsos, ex propinquo iam poterunt inimici crucis et fidei secte sue pestifere prestolari ruinam.

Quod si dicis te timere Latinorum incursum, si terram, quam possides, ducto tecum exercitu nudam relinqueres et quasi penitus immunitam, non est longe querenda responsio, nam in te est timorem huiusmodi a radice precipere, si ad Romane ecclesie rediens unitatem eius consiliis salutaribus acquiescere et proferendis rigore iustitie temperato mandatis humiliter obedire volueris. Nec tue potest excusationi proficere, quod scripsisti, prelati scilicet et clero, non tibi vel tuo populo impingendum, si nobis obedientia debita non impenditur ab eisdem, cum certo certius habeatur, quod tu in prelatos et clerum longe maiorem, quam deceat, obtines potestatem. Quibus etiam contra Deum et omnem iustitiam in errore huiusmodi credere non deberes, sed eosdem tamquam scismaticos evitare, si coercere aliter non valeres.

Ceterum cum tenore presentium, quem postremum misisti, magnitudinis tue legatum tibi remittimus satis celeriter expeditum. Primum autem apocrisarium logotetam, virum providum et prudentem invitum non tenuimus, sed ultroneum et nostros apocrisarios expectantem, quos in brevi cum ipso ad tuam celsitudinem transmittemus.

Datum Viterbii, XVI Kalendas Iunii, anno III.

Clemens IV. an König (Hethum I.) von (Klein-)Armenien: unterrichtet ihn über die Kreuzzugsvorbereitungen in Frankreich; macht ihm Hoffnung in seiner bedrängten Lage.

1267 Mai 17, Viterbo

Carissimo in Christo filio regi Armenie illustri.

Iniuncte nos excitat servitutis officium, doctrina nos ammonet apostolica, ut ex paterne compassionis affectu *infirmemur cum infirmantibus et cum scandalizatis uramur*²⁷⁴, quod in tuis calamitatibus, fili carissime, nuper plus, quam vellemus, experti salvo tamen in omnibus divine beneplacito voluntatis, cui nos decet nostram in omnibus conformare, casu liberorum tuorum et excidio tue gentis ac depopulatione regionis auditis in multa cordis amaritudine regie maiestati compassi dampnaque tua totius populi christiani iacturam recto iudicio reputantes flendum credimus esse cum flentibus consolationis divine benivolum expectantes solacium, *quia post tempestatem tranquillum facit et post merorem et lacrimas exultationem infundit*²⁷⁵. Scimus quidem, quod et tota profitetur ecclesia, te transmarinum Latinum populum ex variis nationibus inibi congregatum diversis pro tempore roborasse presidiiis, te civitatis Antiochene civibus in suis necessitatibus astitisse, te crucis hostibus totis viribus restitisse, te ceteris omnibus nationibus Francorum amicitias pretulisse, te sedis apostolice preces et monita seu mandata cum omni reverentia suscepisse. Quis igitur prestolari non debeat eius tibi misericordiam affuturam, qui super te tot et tanta flagella multiplicans tuam voluit examinare constantiam, ut eo purior ex eas de fornace, quo flamma fueris acerbior purgatus?

Sane tuis et totius Terre Sancte pressuris, quas tue continent littere magnitudinis, intellectis reges ac principes et totum populum cismarinos ea, qua decuit, diligentia paternis monitis excitavimus ad vindicandas iniurias Crucifixi, et ecce per Dei gratiam exhortationis nostre primitias fecit Dominus et exhibuit gloriosas. Nam in festo Annuntiationis Dominice proxime iam transacto carissimus in Christo filius noster et regi regum omnium devotissimus L(udovicus) rex Francie illustris crucis humiliter accepit signaculum et eius primogenitus ac duo sequentes filii cum eodem et alii multi in ipsa hora cum ipso, quorum tibi nomina mittimus in quadam cedula presentibus litteris interclusa, qui se omnes ea die ad sui Redemptoris opprobria redimenda viriliter ac potenter armarunt, qua in mundum venire voluit Dei filius homo factus et homines redempturus. Verum post tot magnos et strenuos, quos ad crucis obsequium peperit dies illa, dilecto filio nostro S(imone) tituli sancte Cecilie presbytero cardinali, apostolice sedis legato crucem in regno Francie predicante fit in regno commotio generalis, certatim barones occurrunt, milites et plebei, et iam exurgit magna pars Alamannie, iam consurgent et alie regiones exemplis tam sublimibus provocate. Quem enim non commoveat regis Francorum exemplum, qui laborum et sumptuum, quibus exitit supra modum in Terre Sancte finibus pregravatus, quasi prorsus oblitus nunc novus et recens athleta Domini campum intrat certaminis et, ne forsitan pugnaturus credatur ad horam, tres filios secum ducit? Crede, fili, non humani, sed divini consilii opus esse, quod audis. Iam quidem aliorum regum intentionem audivimus, qui ad idem totis votis aspirant infra breve tempus conceptum, ut credimus et speramus, pium propositum opere completuri.

Leva igitur ad celum *oculos* et *auxilium* imminens patienter expecta²⁷⁶ particulari subsidio intetum destinando, quo terra valeat sustentari. Nec te tuosve terreat male solida Babilonici soldani superbia, quam ad tempus ascendere permisit Dominus, ut elatam allideret gravius, et fidelem populum humiliari voluit, ut gloriosius exaltaret. Demum apocrisarios tuos benigne recepimus et tue devotionis munera gratiarum actione prosequimur tuis petitionibus, quantum licuit et decuit, exauditis.

Datum *ut supra*.

²⁷⁴ 2. Cor. 11,29.

²⁷⁵ Tob. 3,22.

²⁷⁶ Ps. (G) 120,1, 122,1,

Clemens IV. an S(imon de Brion, Kardinalpriester) von Santa Cecilia, (apostolischer Legat): überträgt ihm eine neue Legation im Königreich Frankreich zur Vorbereitung des geplanten Kreuzzuges ins Heilige Land; unterrichtet ihn über die Ankunft einer Gesandtschaft aus Frankreich, über die Lage König (Karls I.) von Sizilien in Tuszien, über Konradin (von Schwaben) und über die Städte Norditaliens; zeigt sich unzufrieden mit die Herrschaftsführung des Königs.

1267 Mai 23, Viterbo

Dilecto filio S(imoni) tituli sancte Cecilie et cetera.

Licet tua presentia nobis multum esset accepta et Romane ecclesie pro negotiis emergentibus admodum fructuosa, quia tamen crucis negotium universis et singulis aliis servus debet preponere Crucifixi, novam tibi legationem ob causam huiusmodi in regno Francie duximus concedendam figentes *anchoram spei*²⁷⁷ nostre in omnium Redemptore, de cuius bonitate presumimus, quod, sicut liberationem regni Sicilie per tuum ministerium adiuvit plurimum et adiutum feliciter consummavit, sic et istud quantiscumque perplexitatibus involutum ad sui gloriam nominis attinget fortiter suaviterque disponet.

Sane dilectum filium G(uillelmum) in Parisiensi ecclesia archidiaconum et H(enricum) de Consenciis militem, carissimi in Christo filii nostri illustris regis Francie marescallum suos ac tuos nuntios benigne recepimus, diligenter audivimus et gratiose remittimus expeditos tantam eidem regi in regno suo et in quibusdam regionibus adiacentibus gratiam facientes, ut aut nichil supersit aut parum, quod aliis facere valeamus. Illud autem tuam prudentiam scire volumus, quod in nostrum non cadit animus de perpenso processisse iudicio tot regis filios et maxime primogenitum crucis caractere insigniri, et, quamvis alias audierimus ad oppositum rationes, vel omnino decipimur vel nichil habent penitus rationis.

Verum nobis ac tuis fratribus in confectione presentium erat bene. Rex vero Sicilie carissimus in Christo filius noster nobiscum est Viterbii, quem vacante imperio capitaneum Tuscie proponimus constituere. Et iam Florentini, Lucani, Pistorienses et Pratenses et quedam alia loca celebria eundem in potestatem usque ad Kalendas Ianuarii et inde ad sex annos continuos elegerunt et per eum hodie gubernantur. Et, quamvis Senenses hesitent, missa tamen militia procul dubio domabuntur. Multa nobis de Corradino dicuntur, cui locus parabatur in Tuscia terrendus, prout credimus, sic exclusus. Civitates Lombardie pacem fecerunt ad invicem nostris nuntiis mediantibus sola Papia excepta, sed speratur in proximo, quod ab aliis non discordet.

Ceterum regem Sicilie pauperem esse noveris et inordinate consumere bona sua, quem dirigere cupimus, quantum possumus, cum ad id caritas nos compellat et imminentis cautela discriminis nos invitet. Cuius utique non immerito formidamus eventum, cum sit onerosus ecclesiis et regnicolis universis et, quod dolentes referimus, nec suis nec exteris gratosus. Ad Terram vero Sanctam in verbis generalibus maximum zelum habet, sed, cum venit ad species, nichil certum habere possumus ab eodem, nec de galeis mittendis vult facere, quod spondit. Et idcirco timeamus plurimum, ne pauca bene peragat, dum ad multa festinat. Hec autem omnia clausa teneas nec divulges, si tamen non notoria esse possunt.

Datum Viterbii, X Kalendas Iunii, anno III.

²⁷⁷ Hebr. 6,18–19.

335.

Clemens IV. an S(imone Paltinieri, Kardinalpriester) von San Martino, (apostolischer Legat): fordert ihn auf nachzuforschen, was sich der Abt (Peregrino) von Farfa in der Mark Ancona auf unrechtmäßige Weise angeeignet habe; gebietet ihm zum wiederholten Male, die Güter des Conradus Trincii zerstören zu lassen.

1267 Mai 25, Viterbo

Dilecto filio S(imoni) tituli sancti Martini et cetera.

Nulla litteras tibi mittimus, que suo careant condimento, ut ex ipsarum serie manifeste possis advertere, quod sic aliis sua volumus iura servari, quod ius nostrum et Romane ecclesie semper maneat inconcussum. Et idcirco non cogaris ea facere, que dilectus et utinam diligendus filius abbas Farfensis per mendacium impetravit. Sane volumus, quod, cum poteris, diligenter inquiras, que alienavit in Marchia et, qualiter inveniri valeat veritas, et inventa rescribere non postponas. Demum et nos et fratres nostros turbat non leviter, quod, licet sepius mandaverimus, contra nostrum manifestissimum proditorem Corradum Trincii nil fecisti. Unde, quanto artius possumus, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad demolitionem bonorum ipsius absque omni dilatione procedas.

Datum Viterbii, VIII Kalendas Iunii, anno III.

336.

Clemens IV. an Erzbischof (Raimundus) von Sevilla: gebietet ihm, die Einziehung des Zehnten in Kastilien und León zur Finanzierung des geplanten Kreuzzuges ins Heilige Land einzustellen, falls König (Alfons X.) die Zusage, nach drei Jahren auf seinen Anteil an den Abgaben für die Kirchenfabriken verzichten zu wollen, nicht allgemein bekanntmachen sollte; gebietet ihm weiterhin, die Einziehung des Zehnten in Portugal auszusetzen, falls König (Alfons III.) durch Kämpfe mit den Mauren oder durch seine Kreuzzugshilfe für den König von Kastilien belastet sein sollte.

1267 Juni 1, Viterbo

Archiepiscopo Yspalensi.

Sicut tua fraternitas non ignorat, anno primo, quo fuimus ad summi gradum pontificatus assumpti, carissimo in Christo filio nostro regi Castelle et Legionis illustri ecclesiasticorum proventuum regnorum suorum et Portugalie sub certo moderamine decimam duximus concedendam per te vel eos, quibus velles committere, colligendam et assignandam eidem dantes tibi per alias nostras litteras in mandatis, quod ante omnia paterne memorato regi exponeres, quomodo in anime sue dispendium et fame nichilominus detrimentum, sicut olim in minori officio constituti sue consideratione salutis et honoris obtentu ei scripsisse meminimus, tertiam eorundem ecclesiasticorum proventuum recipit ad ecclesiarum fabricam deputatam, et ipsum sollerter induceres, quod tibi nomine nostro et ecclesiarum regnorum predictorum expresse promitteret et patentes litteras super hoc exhiberet, quod exacto tempore ad colligendam prefatam decimam prefinito tam ab ipsius decime quam a prefate tertie perceptione omnino desisteret et ecclesias ac loca, de quorum proventibus decima ipsa percipitur et ad que dicta tertia pertinet, super eisdem tertia et decima extunc nullatenus molestaret. Concessimus tamen, quod post promissionem et litterarum concessionem huiusmodi tertiam eandem per totum idem tempus libere

perciperet et omnia, que perceperat ex illa, in instantis tunc negotii subsidium licite posset convertere nec ad ipsorum restitutionem aliam teneretur. Tu vero, prout ex parte regis eiusdem accepimus, in collectione predicte decime minime processisti. Causam tamen, quare cessaveris, ignoramus et idcirco per alias nostras litteras tibi scribimus, ut procedas iuxta priorum continentiam litterarum.

Sed, ne credat rex idem, quod ultra finem primi triennii fabriles decimas de nostro percipere possit assensu, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, nisi suas det tibi patentes litteras tot numero, ut singulis archiepiscopis regnorum suorum singulas valeas assignare, de decimis fabricalibus supradictis post triennii dicti finem dimittendis omnino et a se vel suis successoribus nullo tempore percipiendis, ulterius in exactione predicte decime non procedas. Sed nec huiusmodi litteris ab ipso rege habitis in regno Portugalie te de collectione huiusmodi decime aliquatenus intromittas, si carissimo in Christo filio nostro regi Portugalie illustri ad presens in eodem regno suo guerra contra Sarracenos immineat aut in proximo imminere verisimiliter timeatur vel si forsitan idem rex Portugalie prefatum memorati regis Castelle negotium assumat personaliter aut eidem in hoc competens subsidium, prout eiusdem negotii qualitas exigit et ipsum regem Portugalie decet, impendat.

Datum Viterbii, Kalendis Iunii, anno III.

337.

Clemens IV. an König (Alfons X.) von Kastilien und León, erwählter römischer König: empfiehlt ihm seinen Kaplan R. de Mahazan, der im Vorfeld von geplanten Schiedsverhandlungen im deutschen Thronstreit zwischen ihm und (Graf Richard von Cornwall) geheime Informationen des Papstes überbringen sollte.

1267 Juni 3, Viterbo

Carissimo in Christo filio illustri regi Castelle et Legionis, in regem Romanorum electo.

Quanto divine gratie potioribus donis abundas, quanto regnis pluribus presidens locum obtines celsiorem, tanto plus tunc convenit excellentie, que assumis, negotia ea circumspectione discutere, ea maturitate librare, ut nil in eis lateat, nil promineat, quod iustitiam non redoleat, quod exactam non sapiat gravitatem. Sane dudum in regem Romanorum electus a felicis recordationis Urbano papa predecessore nostro petisti, quod et ab eius, ut dicitur, predecessore petieras, ad coronam imperii te vocari, et procuratore tuo petitionem eandem coram nobis semel et iterum refricante fuit ex adverso propositum, quod per saltum promoveri volebas, qui nondum recepta Colonie regni Romanorum corona requirebas propere venerandum imperii diadema. Licet autem ad objectionem huiusmodi, ut de aliis taceamus, responsum multiplex tui dederint sapientes, nos tamen, quos iuris veritas et facti qualitas non latebant, per aliam viam divertimus, ut tuo melius consuleremus honori, et negotio, prout decuit, ordinato prefiximus terminum peremptorium, quo tuus et adversarii tui procuratores se nostro conspectui representent interim diebus et terminis assignatis suos articulos probaturi. Verum urgente nos stimulo caritatis, qua te Deo teste diligimus ex affectu, dilectum filium R. de Mahazan capellanum nostrum et nostre conscium voluntatis ad te duximus transmittendum, in cuius ore verba nostra secreta posuimus, que tibi referet viva voce, cuius fidem dudum probavimus et industriam, cui te credere volumus incunctanter. Eius igitur verbis auditis tu, fili carissime, diligenter considerans, quid liceat, quid deceat, quid expediat, tuum nobis cito rescribere beneplacitum per eundem latorem presentium non post-

ponas. Nec enim imperii questionem nimis hactenus indecenter et dampnose dilatam tenere possumus amplius in suspensio, cum sit eius dilatio cum ecclesie Romane iactura et totius discrimine populi christiani.

Datum Viterbii, III Nonas Iunii, anno III.

338.

Clemens IV. an A(ngelo) Capocci, Capitano (del Popolo) von Rom: gebietet ihm, sich hinsichtlich der Unruhen in Rom an ihn zu halten und Erzbischof (Thomas de Lentino) von Cosenza sowie Bischof (Bartholomeus Accorombani) von Spoleto, die er deswegen in die Stadt entsandt habe, zu vertrauen.

1267 Juni 7, Viterbo

Dilecto filio nobili viro A(ngelo) Capocci capitaneo Urbis Rome.

Litteras tuas nuper recepimus ortam rebellionem in Urbe contra te continentes, quodque lator litterarum ipsarum aliqua nobis diceret, quibus nos credere postulabas, qui tamen nostram non vidit faciem nec quicquam viva voce vel scripto nobis aliud nuntiavit. Sane de tua et Urbis perturbatione dolentes, cuius nec sumus nec fuimus, sicut quidam mentiuntur, auctores, sicut omnes sincere brachiis caritatis amplectimur, sic pacem omnium totis visceribus affectamus. Ideoque venerabiles fratres nostros Cusentinum archiepiscopum et episcopum Spoletanum ad eandem fideliter procurandam duximus destinandos discretioni tue per apostolica scripta mandantes et nicholominus consulentes, quod tamquam vir pacificus et modestus memor semper devotionis illius, quam domus tua ad ecclesiam Romanam habuit, nostris in hac parte beneplacitis te cooptes, qui commune bonum inquirimus et omnium volumus gratam esse concordiam et sic Urbem ex animo cupimus gubernari, quod vigore manente iustitie status debitus universis et singulis conservetur. Demum super hiis et aliis, que dicti archiepiscopus et episcopus tibi dicent, eis te volumus fidem indubitam habere.

Datum Viterbii, VII Idus Iunii, anno III.

339.

Clemens IV. an König (Alfons X.) von Kastilien (und León, erwählter römischer König): bedauert, daß er ihn nicht persönlich treffen könne; er werde ihm die erbetenen Reliquien möglichst rasch zukommen lassen.

1267 Juni 9, Viterbo

Carissimo in Christo filio illustri regi Castelle et cetera.

Licet gratissima nobis esset loco et tempore oportunis tue presentia magnitudinis, quia tamen partes Ytalie sine magno discrimine in presentiarum relinquere non possemus, nec tuum nec nostrum possumus desiderium adimplere. Subest tamen et alia ratio, quam tibi per nostrum specialem nuntium intimamus. Nescimus tamen, quid lateat in divino consilio super rerum eventibus futurarum, qui forsitan necessitatem ingerent tam te quam alios mundi principes ad honorem divini nominis congregandi. Multa quidem status orbis prefert indicia commotionum instantium, de quibus nil certum pronuntiare possumus, cum ea pater omnium in sua posuerit

potestate. Verum reliquias, quas petisti, non habebamus nobiscum et idcirco colligi eas facimus excellentie tue, quam cito poterimus, transmittendas.

Datum Viterbii, V Idus Iunii, anno III.

340.

Clemens IV. an (Giovanni da Vercelli), Ordensmeister der Dominikaner: gebietet ihm, drei Ordensbrüder zu bestimmen und zu ihm zu entsenden, die die Kirchenunion mit den Griechen betreiben sollen.

1267 Juni 9, Viterbo

Dilecto filio magistro ordinis Fratrum Predicatorum.

Quantum et quotiens, quot etiam ministerio sapientum Romana ecclesia laboraverit ad Gregorum indomita colla domanda scissamque ab eis Domini *tunicam inconsutilem*²⁷⁸ reparandam, nec te nec fratres ordinis tui latuit, quorum aliqui non sine laboribus personalibus, non sine proprie vite discrimine iniunctam sibi per sedem apostolicam in opere tam laudabili sollicitudinem executi, licet propositum iuxta votum assecuti non fuerint, nichil tamen de contingentibus, prout creditur, omiserunt. Licet autem *multo labore sudatum fuerit* circa ipsos nec, quod dolentes referimus, *sic eorum rubigo consumpta*²⁷⁹, quia tamen ex quibusdam indiciis, que per litteras et legatos insinuant, ad salubrem videntur reditum anhelare, nos probare, si ex Deo sint, spiritus cupientes sue professione fidei, quam miserunt, accepta, quam in multis erroneam et in multis invenimus diminutam, nuper eis in scriptis misimus, que cum tota Latina ecclesia firmiter credimus et simpliciter confitemur, promittentes eisdem, quod temporis oportunitate captata apocrisarios nostros mitteremus eisdem *de ea, que in nobis est*, fide et *spe* iuxta verbum apostolorum principis *paratos reddere rationem*²⁸⁰.

Verum, cum cordi sit nobis homines ad hoc mittere, qui testamenti scientia polleant utriusque et ingenio nichilominus preediti naturali nec sint in gestibus incompositi nec in responsione precipites, sed exacta potius gravitate laudandi sciant in tempore proferre sermonem et eorum iactantiam, quorum scientia multum est tenuis, equanimiter tolerare, discretioni tue per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatenus tres ex fratribus tui ordinis, quos ad hoc magis idoneos iuxta dictas circumstantias esse noveris, ad nos mittere sine more dispendio non omittas, quibus huiusmodi prosecutionem negotii tute committere valeamus, ut, si Deo placuerit, per eorum industriam Greci dudum per invium aberrantes viam modo veritatis agnoscant et profitentes agnitam ad sedis apostolice redeant unitatem vel eorum detectis fraudibus et mendaciis *manus nostras servemus innoxias*²⁸¹, ne a nobis nunc vel in posterum *eorundem sanguis a Domino requiratur*²⁸².

Demum ne credas ex hiis, que scribimus, quandam tibi necessitatem indici discutiendi per totum ordinem fratrum merita et ex universis tres eligere ad huiusmodi ministerium potiores, sed scire te volumus nobis sufficere, si de illis, quos tecum habes vel intra fines Ytalie ad hoc credis idoneos, illos elegeris. Non enim Greci ad disputationem se offerunt, sed paratos se dicunt

²⁷⁸ Ioh. 19,23–24.

²⁷⁹ Ezech. 24,11–12.

²⁸⁰ 1. Petr. 3,15.

²⁸¹ Gen. 37,22.

²⁸² Ezech. 3,18.

ostensam sibi recipere veritatem, suntque apud nos rationes eorum, quibus suum errorem *fulciunt baculis arundineis innitentes*²⁸³.

Datum Viterbii, V Idus Iunii, anno III.

341.

Clemens IV. an Graf A(lfons) von Poitou und Toulouse: verspricht ihm 30 000 Turnosen für seine geplante Kreuzfahrt ins Heilige Land.

1267 Juni 10, Viterbo

Dilecto filio nobili viro A(lfonso) comiti Pictavensi et Tholosano.

Nota nobis a multo tempore tue devotionis sinceritas, sed et illa compassio, quam ad Terre Sancte miserandas angustias habuisse dignosceris, in cuius subsidium, licet olim personaliter laboraveris, adhuc tamen instantius laborare proponis, efficacius nos invitanti, ut, cum ad eiusdem terre succursum cum decenti ac nobili comitiva tuis tecum profectura stipendiis te accingas, cum facultas nobis occurrerit, ad tantarum relevationem expensarum et onerum gratum tibi subsidium offeramus. Verum, cum ad partes diversas legatos mittere proponamus, quorum incumbet officio certam ecclesiasticorum reddituum colligere portionem, de qua speramus sepedicte terre grande satis subsidium proventurum, de eodem, cum primum collectum fuerit, dari tibi favente Domino XXX milia librarum Turonensium faciemus.

Datum Viterbii, IIII Idus Iunii, anno III.

342.

Clemens IV. an Graf A(lfons) von Poitou und Toulouse: teilt ihm mit, daß er die Einkünfte für den geplanten Kreuzzug ins Heilige Land aus dem Königreich Frankreich einschließlich seiner Grafschaften König (Ludwig IX.) übergeben habe und für seine persönliche Verwendung nichts übriggeblieben sei; fordert ihn auf, seinem Kreuzzugselübe nachzukommen.

1267 Juni 12, Viterbo

Eidem.

Crucis subsidia, que possunt in regno Francie variis rationibus provenire, carissimo in Christo filio nostro germano tuo, illustri regi Francie dedimus terris tuis, quas in regno eodem obtines, in huiusmodi gratia de tuo comprehensis assensu, licet nostri fuisset propositi eas tuo succursui reservare. Nichil autem ad manum habentes, quod tibi dare manualiter valeremus, fecimus, quod potuimus. Quod ut secretius propter concursum petentium teneatur, factam super hoc litteram in manu dilecti filii nostri I(ohannis) sancti Nicholai in Carcere Tulliano diaconi cardinalis posuimus, ne nobis subductis de medio possit gratia deperire. Accipe igitur, quod offerimus ex affectu, quo te sincera caritate diligimus, et sicut vir strenuus et magnificus votum crucis prosequere iam annose prius tamen terris tuis ex ordine visitatis et tuis ac soceri forefactis plenius emendatis.

²⁸³ Ezech. 29,6–7.

*Immolantium enim ex iniquo vota non probat Altissimus*²⁸⁴, nec prodest corporis exercitium, dum premit animam sua mole peccatum.

Datum Viterbii, II Idus Iunii, anno III.

343.

Clemens IV. an R(aimundus) Seguini de Melgorio: gewährt Aufschub für seine geplante Kreuzfahrt.
1267 Juni 13, Viterbo

Dilecto filio R(aimundo) Seguini de Melgorio.

Cum ex mandato venerabilis fratris nostri Magalonensis episcopi te ad partes Acconenses transferre in instanti passagio sub iuramenti debito tenearis, quia tue paupertati compatimur, transitus tui terminum usque ad carissimi in Christo filii nostri illustris regis Francie et aliorum cruce signatorum generale passagium tibi de speciali gratia prorogamus.

Datum Viterbii, Idibus Iunii, anno III.

344.

Clemens IV. an Bischof (Bertrand de Saint-Martin) von Avignon und seinen Bruder, Decanus von Utecia: gebietet ihnen, mit Draconetus von Mons Albanus Frieden zu halten.

1267 Juni 13, Viterbo

**Venerabili fratri episcopo Avinionensi et dilecto filio nobili viro Decano domino Utecie
germano eius.**

Licet pacis consilia generaliter nobis placeant, ad quam omnes libenter inducimus, qui pacis filii esse volunt, illos tamen, quos diligimus specialius, ad eandem monemus attentius et efficacius invitamus. Quocirca, cum, sicut nostis, inter vos et dilectum filium P(etrum) Raymbaldi vobiscum ex uno latere et dilectum filium virum nobilem Draconetum dominum Montis Albani ex altero dissensio longa fuerit, prudentiam vestram rogamus et monemus attente per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus iuxta dilectorum filiorum fratris R(aimundi) de Medallis ordinis Predicatorum et E(rmengaudi) de Melgorio militis consilium ad pacem habendam cum eo vos promptos et faciles habeatis, ut ex hoc et vestrarum animarum salutem et cum divina gratia nostram vobis benivolentiam augeatis.

Datum *ut supra in proxima.*

345.

Clemens IV. an Randonus von Castrum Novum: gebietet ihm, seine Ehefrau zu sich zurückzuholen.

1267 Juni 13, Viterbo

²⁸⁴ Ecclus. 34,21, 23.

Dilecto filio nobili viro Randono domino Castri Novi.

Multa nobis in tuis occurrunt actibus admiranda, nam nec ad liberos nec ad fratres te, ut deceret, hactenus habuisti nec ad sociam thori tui nobilem utique mulierem et a te multipliciter honorandam tue vel sue nobilitati defers, prout lex divina requirit et tuum insuper deceret honorem. Quocirca tuam discretionem rogandam duximus et hortandam tibi per apostolica scripta mandantes, quatenus eam ad tuam cohabitationem reducas et eandem maritali affectione pertractans *infirmiori vasculo debitum impartiaris honorem*²⁸⁵. Alioquin ad id vel, si expedire viderimus, ad dotem suam restituendam eidem te per censuram ecclesiasticam compellemus.

Datum *ut supra in proxima*.

346.

Clemens IV. an König (Alfons X.) von Kastilien und León, erwählter römischer König: übermittelt ihm einige Auszüge aus dem Thronstreitregister Papst Innocenz' III. und fordert ihn auf, sich danach zu richten.

1267 Juni 14, Viterbo

Carissimo in Christo filio regi Castelle et Legionis, in regem Romanorum electo.

Post clare memorie H(enrici) quondam Romanorum imperatoris decessum votis principum, ad quos electio pertinebat, divisus quidam eorum nobilem virum Philippum quondam eiusdem imperatoris fratrem, ducem Suevie, alii Octonem quondam filium H(enrici) ducis Saxonie in Romanorum reges in magna et periculosa discordia nominarunt, quorum uterque se fecit in regem a diversis et in diversis tam locis quam temporibus coronari, et ambo per suos seu electorum suorum sollempnes nuntios a felicis recordationis Innocentio papa III predecessore nostro petierunt imperii diadema. Diu igitur questione pendente et utroque non solum iuribus, sed et viribus contra alterum confligente idem predecessor noster multa scripsit super dicto negotio sicut homo, qui multa legerat et suorum predecessorum scripta revolverat multorumque suffultus fuerat in hac parte consilio sapientum, ex quibus aliqua, que ex eius regestris collegimus, tibi duximus transmittenda, ut ex eis instructus plenius rectius tue consulas celsitudini et fidelius ponderes, quid circa imperium petere possis aut debeas iuris et facti pariter ignorantia relegata. Cum enim esset alter ex dictis nobilibus, Octo scilicet, a Coloniensi archiepiscopo Aquisgrani, alter vero, Philippus videlicet, in loco alio per Tarentasiensem archiepiscopum coronatus, idem Innocentius super diversis articulis negotium contingentibus nunc respondens scribentibus nunc eosdem preveniens multas decentes epistolas edidit tam facti certitudine quam iuris firmitate vallatas.

Unde archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum prelatibus, potestatibus, consulibus et rectoribus, marchionibus et comitibus et aliis nobilibus Lombardie sic scribit²⁸⁶: „*Novit scrutator renum et cordium Dominus Iesus Christus et cetera.*“ Et infra: „*Postquam a nobis unctio, consecratio et coronatio postulatur, sicut utraque pars a nobis sepius postulavit et cetera.*“ Et in eisdem litteris de Philippo sic loquitur: „*Preterea idem dux, nec ubi debuit nec a quo debuit, coronam et unctionem accepit. Memoratus vero rex, Octo scilicet, et ubi debuit, videlicet Aquisgrani, et a quo debuit, scilicet a venerabili fratre nostro Coloniensi archiepiscopo, recepit utrumque,*“ quod autem ad Coloniensem archiepiscopum hec pertineant.

²⁸⁵ 1. Petr. 3,7.

²⁸⁶ RNI 92, S. 240 Z. 15f., S. 243 Z. 8f., S. 242 Z. 12ff.

Idem scribit Treverensi archiepiscopo in hunc modum²⁸⁷: „Cum venerabilis frater noster Tarentasiensis archiepiscopus, qui, quod fieri sibi nollet, aliis non debuit irrogare, mirum satis ducimus et molestum, quod falcem in messem alterius mittere non expavit et <ius> sibi alienum temeritate propria usurpare.“ Et infra: „Cum enim dubium non existat coronationem regum Alamannorum ad venerabilem fratrem nostrum Coloniensem archiepiscopum pertinere nec ipse deliquerit, quare sua meruerit dignitate privari, cum, si etiam deliquisset, per eundem Tarentasiensem archiepiscopum suo non erat iure privandus, cuius ipse iurisdictioni minime subiacebat, ipse maturitate pontificali neglecta nec considerans, que debebat, nobilem virum Philippum ducem Suevie in regem temere coronavit et cetera.“

Petitioni vero coronationis eiusdem Philippi porrecte per electores ipsius sic idem predecessor respondet²⁸⁸: „Littere, que nobis fuerunt ex parte quorundam vestrum per dilectum filium P. iudicem Placentinum nuper oblate et cetera.“ Et infra: „Cum autem imperialis corona sit a Romano pontifice concedenda, et rite prius electo in principem et post in regem legitime coronato talem secundum antiquam et approbatam consuetudinem libenter ad coronam suscipiendam vocabimus et hiis de more perfectis, que ad coronationem principis exiguntur, eam sibi favente Domino sollempniter conferemus.“

Idem Innocentius Coloniensi archiepiscopo ita scribit²⁸⁹: „Ex uno eodemque negotio te nobis et nos tibi credimus obligatos et cetera.“ Et infra: „Cum apostolica sedes illum in imperatorem debeat coronare, qui rite fuerit coronatus in regem et cetera.“

Idem universis tam ecclesiasticis quam secularibus principibus Alamannie²⁹⁰: „Quantum ex imperii divisione dispendium et cetera.“ Et infra: „Cum et negotium imperii ad nos principaliter et finaliter pertinere noscatur, principaliter quidem, quia per Romanam ecclesiam fuit a Grecia pro ipsius specialiter defensione translatum, finaliter autem, quoniam, etsi ab alio regni coronam recipiat, a nobis tamen coronam imperii recipit imperator.“

Qualiter autem Octonis coronatio facta fuerit Aquisgrani, idem Innocentius scribit archiepiscopo Maguntino eidemque Sabinensi episcopo sic dicens²⁹¹: „Solidata in devotione sedis apostolice fides tua et cetera.“ Et infra: „Noveris igitur, immo iam nosti, quod post H(enrici) quondam imperatoris decessum vota se principum dividerunt ita, quod quidam eorum Octonem H(enrici) quondam ducis Saxonie filium, quidam vero Philippum quondam fratrem dicti H(enrici) imperatoris nominarunt in regem. Venerabilis autem frater noster Coloniensis archiepiscopus et alii, qui in nominatione predicti O(ctonis) favorem prestiterant et assensum, congregato exercitu obsederunt pariter Aquisgranum, et eo capto predicto O(ctoni) in sede posito augustali dictus archiepiscopus regni coronam imposuit, sicut ad ipsum de iure dicitur pertinere.“

Multa quidem et alia sumi poterant de registro, sed hec sufficere posse credimus ad tuum et prudentum tuorum consilia dirigenda. Tua vero sublimitas sic deliberet, ut undique circumspiciens rerum exitus prudenter et fideliter metiatur, cum dilatatum diu negotium sic disponere intendamus, ut per nos vel successorem nostrum in termino prestituto finem possit accipere Deo gratum et necessarium toti mundo.

Datum Viterbii, XVIII Kalendas Iulii, anno III.

²⁸⁷ RNI 74, S. 204 Z. 5ff., Z. 12ff.

²⁸⁸ RNI 15, S. 39 Z. 7f., S. 40 Z. 13ff.

²⁸⁹ RNI 55, S. 146 Z. 7f., S. 149 Z. 1ff.

²⁹⁰ RNI 31, S. 95 Z. 12, S. 97 Z. 9ff.

²⁹¹ RNI 1, S. 2 Z. 2, S. 3 Z. 7ff.

Clemens IV. an den Abt von Psalmody: gebietet ihm, seinem Kaplan R. de Mahazan, der als Gesandter nach Spanien unterwegs sei, auf Verlangen ein Pferd zu überlassen. – Mit entsprechenden Formulierungen an die Äbte von Saint-Gilles, Saint-André und Marseille sowie an den Prior von Saint-Saturnin-du-Port.

1267 Juni 14, Viterbo

Dilecto filio abbati Psalmodiensi.

Cum dilectum filium R. de Mahazan capellanum nostrum ad partes Yspanie pro quibusdam arduis nostris et ecclesie Romane negotiis destinemus, discretioni tue per apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatenus, cum per eum vel eius certum nuntium fueris requisitus, unum bonum equum expeditum et fortem, quo idem R. sit contentus, sibi pro nostra et apostolice sedis reverentia tradere non postponas recuperandum, si reduxerit eum salvum. Alioquin de ipsius pretio tibi ad plenum satisfieri faciemus.

Datum *ut supra in proxima.*

In eodem modo abbati sancti Egidii.

Item abbati sancti Andree Avinionensis diocesis.

Item abbati Massiliensi.

Item priori sancti Saturnini de Portu.

Clemens IV. an R(ichard, Graf von Cornwall,) erwählter römischer König: teilt ihm mit, daß er König K(arl I.) von Sizilien als paciarius in Tuszien eingesetzt habe.

1267 Juni 15, Viterbo

Carissimo in Christo filio R(icardo) in regem Romanorum electo.

Quia *lingua tertia multos commovet*²⁹², multos deicit et, que pio fiunt proposito, prava nonnumquam et subdola falsitatis admixtione pervertit, ex hiis, que iuxta nos intelleximus attemptata posse peiora subsequi in terris remotioribus, presumentes, ut tua premunita serenitas aurem mendaciis non accommodet, eorum, que gessimus, et intentionis, quam habuimus et habemus, veram et simplicem puritatem tibi tenore presentium duximus propalandam. Sciat igitur tua sublimitas, quod, cum sublato de medio Manfredo quondam Dei persecutore et nostro filii Sathane familiares ipsius in Lombardie et Tuscie partibus se videntes acephalos Corradini nomen invocare cepissent et iam Tusci quendam proditorem ecclesie tamquam eius vicarium erexissent, nos videntes discrimen in limine pacem per Tusciam iurari mandavimus et carissimum in Christo filium nostrum C(arolum) regem illustrem Sicilie non imperii, sicut quidam mentiuntur, vicarium, sed pacis constituimus servatorem, quem ad hoc eo magis idoneum esse credimus, quo in partibus illis factus erat robustior a Florentinis, Pistoriensibus, Pratensibus et quibusdam aliis in potestatem assumptus. Sane similia a nostris predecessoribus facta legimus, que non solum vacante imperio legitime possunt fieri, sed etiam fluctuante. Cautionem tamen ab eo recepimus, quod imperio ordinato datum sibi deponat officium infra mensem. Hec autem ideo tibi scribimus, ne

²⁹² Ecclus. 28,16.

veritatis immutator occultus vel publicus quicquam in tuum vel alterius preiudicium in hac parte nos mentiens ordinasse tuam possit prudentiam perturbare.

Datum Viterbii, XVII Kalendas Iulii, anno III.

349.

Clemens IV. an Podestà, Rat und Kommune von Mantua: mahnt sie, sich auch weiterhin für die Belange der Kirche einzusetzen.

1267 Juni 23, Viterbo

Potestati, consilio et communi Mantuano spiritum consilii sanioris.

Quia memores illius devotionis antique, quam dudum ad Romanam habuistis ecclesiam, omni studio laborantis ad machinationes hostium eludendas, quas ipsi contra nos et carissimum in Christo filium nostrum illustrem regem Sicilie moliuntur, sollicitudinem vestram in Domino commendamus universitatem vestram rogantes attentius et hortantes, ut sicut olim sic adhuc continue ad ea, que ad honorem et exaltationem ecclesie cedere videritis, laboretis. Speramus enim firmiter, quod per hoc in sua pace disponet Dominus actus vestros. Super hiis autem, que littere vestre continebant, nos una cum rege predicto auxiliante Domino oportunum consilium apponemus. Illud sane nostrum perurget animum, quod sententias in vos latas tamdiu in vestrarum sustinuistis periculum animarum. Ideoque discretionem vestram attente duximus exhortandam, quatenus sic vos nostris et ecclesie beneplacitis ac mandatis coaptare curetis, quod vos tamquam benedictionis filios favore benivolo prosequi paterna sollicitudine merito debeamus, cum hoc ipsum non mediocriter vobis valeat esse molestum, quod in ipso litterarum exordio, quas pro tempore vobis mittimus, apostolice benedictionis eulogia cum salute vobis scribere non valemus.

Datum Viterbii, IX Kalendas Iulii, anno III.

350.

Clemens IV. an (Guido Guerra), Pfalzgraf von Tuszien: stellt ihm in Aussicht, sich bei König K(arl I.) von Sizilien für ihn zu verwenden, damit dieser ihm die (beim Einmarsch der französischen Truppen in der Toskana) erlittenen Schäden wiedergutmacht.

1267 Juni 29, Viterbo

Dilecto filio nobili viro G. comiti Tuscie palatino.

Si qua tibi data sunt dampna in Tuscie finibus, ut scripsisti, nec de nostro mandato nec etiam simplici conniventia noveris irrogata. Nos enim in Tusciam nullam militiam destinavimus, sed carissimum in Christo filium nostrum C(arolum) illustrem regem Sicilie pacis in illis partibus fecimus servatorem ad illorum reprimendam malitiam, qui contra nos et ipsum cornua iam exerant nomen pueri Corradini pueriliter invocantes. Si igitur pacem iurare volueris et contra pacis temerarios turbatores eidem regi fideliter adherere, nos libenter scribemus eidem, quod ad suam gratiam te recipiat et non solum te in posterum non offendat, sed et de dampnis, que illata tibi contra iustitiam esse dicis, prout bonum et equum videbitur, satisfiat. Quod si medius esse volueris, ut nec prosis nec noceas dicto regi sitque terra tua communis omnibus tam devotis quam

infidelibus, tam inimicis ecclesie quam amicis, in hoc tibi non possumus condescendere nec ad id regem inclinare possemus. Tua ergo discretio sapienter advertat, quid tibi fuerit eligendum. Si enim fidem habes, de qua a viris religiosi plurimum commendaris, non utique stabis in verbis, sed eandem probabis operibus carni et sanguini Deum, cuius negotium agitur, ubicumque pax recte queritur, antepone, que per suum oppositum licite procuratur, cum insolentia contumacium id exposcit.

Datum Viterbii, III Kalendas Iulii, anno III.

351.

Clemens IV. an Bischof (Bertrand) von Avignon: schlägt ihm vier Personen für seine Nachfolge in Avignon vor, wenn er sich auf das Bistum Valence transferieren lasse.

1267 Juli 6, Viterbo

Episcopo Avinionensi.

Quatuor tibi personas scribimus, in quarum alteram Avinionensi preficiendam ecclesie, si in tuam translationem ad Valentinam consenseris, te volumus consentire, si in eam consenserint deputandi ab Avinionensi capitulo electores, quibus in nullam ex eis consentire volentibus tu unam preficias ex eisdem iuxta traditam per alias nostras litteras tibi formam. Persone autem quatuor predictae sunt hee: R. archidiaconus Nemausensis, prior ecclesie Posqueriarum, Bert. de Gardiis canonicus Nemausensis, magister P. Gantelmi Massiliensis canonicus, magister R. de Nemauso physicus et capellanus noster, Massiliensis prepositus. Quas, prout tue fraternitati videbitur, vel simul vel sigillatim electoribus nominabis, et, si non fuerint faciles ad consensum, finaliter melius fore videbitur simul eas nominare eisdem, ut ex eis eligant alteram, quam utilitorem sue ecclesie estimabunt.

Datum Viterbii, II Nonas Iulii, anno III.

352.

Clemens IV. an Bischof (Bertrand) von Avignon: erklärt, daß er den Archidiakon R. von Nîmes nicht kraft seiner Autorität zum neuen Bischof von Avignon erheben werde, wenn die Wähler nicht ihre Zustimmung erteilten.

1267 Juli 6, Viterbo

Eidem.

Licet inter personas, quas tibi scripsimus, dilectum filium R. archidiaconum Nemausensem, consanguineum tuum inseruerimus, ea tamen intentione id fecimus, ut, si electores in eum consenserint, possis et tu, si tua id sustinet conscientia, consentire. Eis autem dissentientibus auctoritate nostra eum nolumus prefici, cum antiquam eius infamiam timeamus, et, quantumcumque diligamus eundem, honori nostro expedire non credimus, quod ex officio eum demus.

Datum *ut supra*.

353.

Clemens IV. an Bischof (Bertrand) von Avignon: erteilt ihm Ratschläge für seinen bevorstehenden Amtsantritt als Bischof von Valence.

1267 Juli 7, Viterbo

Eidem.

Cum in iure peritus existas, duplex esse divortium non ignoras, quorum alterum bona gratia satis dulci, satis venusto nomine nuncupatur. Te igitur ad Valentinam ecclesiam transeunte et sic a prima sponsa, Avinionensi scilicet, divertente curam habe de bono nomine nec ecclesiam spoliis, quam dimittes, ne et conscientie tue laqueis involvaris et *irritam faciens fidem primam*²⁹³ recedas cum infamia Deo pariter et nobis offensis. Cum autem ad ecclesiam te transtuleris memoratam, licet negligere temporalia te nolimus, adverte tamen, quanto iam tempore in eadem et sua diocesi spiritualia sunt neglecta. Et idcirco, sicut caram gratiam nostram habes inter seculares clericos seculariter non victurus, sic eorum infirmitatibus condescendas, quod tui ordinis non precipites honestatem. Habet siquidem illa natio stultitie comitem levitatem, habet etiam in vestibus, sellis et frenis indecentem excessum et in choreis et cantibus, ludibriis et cachinnis aut nullum aut debile frenum, habet, que omnia sine ypocrisi detestaberis. Et in habitu circumcisis et gestu, liberalis in mensa tam domesticis quam extraneis, pauperibus et afflictis affabilis et compatiens sic ecclesiam tibi traditam gubernabis, quod Deo cedat ad gloriam, tibi ad meritum, subditis ad exemplum, nobis autem ad gaudium, ut semper placeat, numquam autem *peniteat hominem nos fecisse*²⁹⁴. Ademarium consanguineum tuum diligenter observa, ne vel gravatus recalcitret vel contemptus remurmuret vel superbiat dominari permissus, circa que provide disponenda certam regulam tibi dare non possumus, que nunc arte nunc iuribus et interdum melius viribus procurantur. Demum super negotio castri Criste tua debet esse intentio, ut, si ius deficit, pax queratur, cum semper fugienda sit guerra vitandumque litigium sine iusto ac solido fundamento.

Datum Viterbii, Nonis Iulii, anno III.

354.

Clemens IV. an Aymar III. von Poitiers, Graf von Valentinois: gebietet ihm, sich dem neuen Bischof (Bertrand de Saint-Martin) von Valence ergeben zu erweisen.

1267 Juli 7, Viterbo

Dilecto filio nobili viro Ademaro de Pictavia comiti Valentino.

Ecce iam, nisi fallimur, tuo laudabili desiderio satisfecimus, dum ecclesie Valentine providimus de persona provida et discreta et tibi sanguinis propinquitate coniuncta. Tuam igitur sinceritatem monendam duximus et hortandam per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus et episcopum et ecclesiam fide pura et devota prosequens reverentia sic ipsorum beneplacitis te coaptas, quod et vite premium merearis eterne et nos, qui te dudum dileximus, ad ea, que tui erunt honoris et commodi, artius obligemur.

²⁹³ 1. Tim. 5,12.

²⁹⁴ Gen. 6,6.

Datum Viterbii, Nonis Iulii, anno III.

355.

Clemens IV. an Erzbischof (Iohannes de Curbiniaco) von Reims: bittet ihn, die Forderungen des G(uillaume de Bray,) Kardinalpriester von San Marco, hinsichtlich der Kosten, die bei dessen Tätigkeit für das Erzbistum Reims entstanden seien, zu bedenken.

1267 Juli 12, Viterbo

Archiepiscopo Remensi.

Queritur inter suos domesticos dilectus filius noster G(uillelmus) tituli sancti Marci presbyter cardinalis de gravamine expensarum, quas in Remensis prosecutione negotii asserit se fecisse. Sane, licet super refusione earum nullam spem ei vel alii pro ipso dederimus, quia tamen id honori tuo credimus convenire, fraternitati tue consulimus te obnixe rogantes, quatenus in hac parte sic eum respicias, ut eidem, qui erga te obsequiosum se prebuit, non videaris ingratus. Nec causari potes ignorantiam, cum apud te sit procurator ipsius in eodem negotio, per quem de sumptuum quantitate pro maiori saltem parte, ut credimus, scire poteris veritatem et, que nosse non poteris, tua liberalitate supplere.

Datum Viterbii, IIII Idus Iulii, anno III.

356.

Clemens IV. an S(imon de Brion,) Kardinalpriester von Santa Cecilia, (apostolischer Legat): gebietet ihm, dem erkrankten Erzbischof (Guillaume de Brosse) von Sens einen Koadjutor zuzuweisen.

1267 Juli 12, Viterbo

Dilecto filio S(imoni) tituli sancte Cecilie presbytero cardinali et cetera.

Si languente venerabili fratre nostro Senonensi archiepiscopo ipsa languet Senonensis ecclesia cum eodem, si predonibus iacet exposita datisque temporalibus bonis in predam spiritualia negliguntur, iuste populus murmurat, iuste clerus voces exaggerat, iuste provincia tota suspirat, iuste nos querimur, cum in nostrum cedat dispendium gravamen omnium subditorum. Sane nec cor est nobis saxeum, nec viscera gestamus ferrea, ut non compatiamur archiepiscopo, quem manus Domini tetigit pro sue beneplacito voluntatis. Compatimur utique nec de penis aliorum ridemus, qui de nobis, quid Deo placeat, ignoramus, sed ad eius pertinere salutem vel ad consolationem proficere sue lapsus ecclesie cum tam longo tamque continuo detrimento nec credere possumus nec ulterius defectum huiusmodi volumus tolerare. Quocirca, ne de bonis eiusdem ecclesie satietur illorum ingluvies, qui eam devorant, prout dicitur, ore toto, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus omni dilatione postposita, omni occasione semota coadiutorem providum et fidelem des eidem archiepiscopo, qui et eius necessitatibus consulat et proventus et redditus cum omnibus bonis et iuribus ipsius ecclesie diligentia conservet exacta, nisi forsitan idem archiepiscopus cedendum duxerit sine mora, quo in casu tu eiusdem cessione recepta ei congruam provisionem assignes, sicut tibi super hoc alias direxisse nos credimus scripta nostra. Nec te retrahat aut retardet ab istius executione mandati difficultas aliqua, quam circa decimam carissimo in Christo filio nostro regi Francie illustri concessam timeas imminere, nam,

*si ventum quemlibet observaveris, semper metues seminare et, si nubes consideraveris, numquam metes*²⁹⁵. Hec igitur, que sub divini contestatione iudicii tibi scribimus, quod nobis et tibi, si negligentes fuerimus, erit merito formidandum, cum ea studeas celeritate complere, ne de nostris vel tuis manibus ecclesie tante subversio cum provincie sue iactura in adventu supremi iudicis requiratur. Quid autem inde feceris vel facere disposeris, nobis rescribere non omittas.

Datum Viterbii *ut supra*.

357.

Clemens IV. an R(aoul Grosparmi,) Kardinalbischof von Albano, apostolischer Legat: gebietet ihm, den verarmten Bischof (Gualtarius de Calabria) von Dschabla in das Bistum Potenza zu transferieren.
1267 Juli 14, Viterbo

R(adulfo) episcopo Albanensi, apostolice sedis legato

Ne ulterius importabili paupertate prematur et incerte mendicitatis aduratur opprobrio venerabilis frater noster Gabulensis episcopus, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus eum auctoritate nostra a vinculo, quo ecclesie Gabulensi tenetur, absolvens ad ecclesiam transferas Potentinam, que sic vacare dicitur, ut eius sit ad nos ordinatio seu provisio devoluta, faciens eidem a suis subditis debitam obedientiam et reverentiam exhiberi. *Contradictores et cetera.*

Datum Viterbii, II Idus Iulii, anno III.

358.

Clemens IV. an den Dominikanerbruder Thomas von Aquin: gebietet ihm, Bischof (Gualtarius de Calabria) von Dschabla zwei Ordensbrüder zuzuweisen, in deren Begleitung sich dieser wieder der Ordensgemeinschaft anschließen könne.

(vor 1267 Juli 14)

Dilecto filio fratri Thome de Aquino ordinis Fratrum Predicatorum.

Cum *sit bonum pariter et iocundum habitare fratres in unum*²⁹⁶ et omne animal sibi simile diligat, nos venerabilis fratris nostri episcopi Gabulensis conceptum, quo ad sui ordinis fratres afficitur, quorum cupit consortio recreari, favore benivolo prosequentes discretioni tue per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatenus duos fratres tui ordinis, unum scilicet clericum et alterum laicum, eidem assignes, qui eundem associant et salva maiorum suorum in ordine obedientia eidem obediant et intendant.

²⁹⁵ Ecl. 11,4.

²⁹⁶ Ps. (G) 132,1.

Clemens IV. an König K(arl I.) von Sizilien: erteilt ihm Ratschläge zur Organisation seines Hofes und zur Regierung seines Reiches.

(1267)

Carissimo in Christo filio C(arolo) regi Sicilie illustri.

Urget nos Christi caritas²⁹⁷, urget illa specialis affectio, quam ad tui gerimus conservationem honoris, aliqua tibi scribere, que et vocis vive suffragio tue memorie commendavimus, quibus lectis et plenius intellectis et quieti regni tui provideas et periculis imminentibus eo certius quo prudentius via gradiens equitatis occurras. Sane tibi summo opere credimus expedire, ut moralis philosophi sequens consilium tribus temporibus te dispenses, preterita quidem recolens, presentia ordinans, futura precavens, sicut vir providus et in omnibus circumspectus. Si preterita recolis, semper eris ante Deum humilior et ferventius afficeris ad regnum tot sudoribus, tanto discrimine non humano consilio, sed divina virtute quesitum. Si hoc sepe mente pertractas, Romane ecclesie matri tue semper eris devotior, que te fidei pugilem eligens honoravit sublimius, honorabilius sublimavit. Ad ordinationem vero presentium pertinet principaliter, quod te primum ac deinceps ordines domum tuam et regnum, et te quidem, ut Deum diligas et eius honorifices sacerdotes tuo iure contentus nec cupias nec retineas aliena teque tuis adibilem prebeas, quotiens opus fuerit, tutela tui corporis, loci ac temporis oportunitate servatis.

Domum autem sic ordina, ut habeas bona latera, viros sapientes, providos et fideles te ex animo diligentes nec sibi invicem invidentes, sed nec tante necessitudinis vinculo colligatos, ut plures persone numero unicum representent. Sint distincta singulorum officia, sciat quisque, quid sibi faciendum incumbat, et promiscuis actibus non turbentur. Sit in tuo hospitio religiosus aliquis vel miles affabilis et afflictis compatiens, cui specialiter committatur, ut illis, quos audire nequiveris vel nolueris, benigne respondeat et ipsorum petitiones vel verbo tibi referat vel in scriptis assignet, ad quarum expeditionem celerem eo modo, quo fieri poterit congruentius, per te vel alios previa ratione procedas. Sit tibi honesta familia et urbana, que venientes benigne suscipiat et, quos admittere pro temporis qualitate non poterit, sine contumelia cum honesta excusatione repellat. Legatos principum et civitatum pro honore tuo, quantum et eos decebit, honores et a tuis iubeas honorari, ut nomen tuum apud externos et domesticos clarius et celebrius habeatur. Sigillo tuo certam legem impone, ut tollatur infamia de horrendis exactionibus eo nomine sepe factis, quibus similes nullus audivit. Quod quicumque tenuerit, a te districte sub iuramenti debito recipiat in mandatis, quod cito, prout commode poterit, satisfaciat litteras expectantibus, cum interdum ipsa dilatio solum questum sapere videatur. Sedeant in domo tua, cum tu ipse vacare non poteris, omni die iuridico aliqui sapientes, qui ea, que poterunt expediri, ibidem expediant et ea, que tractum habebunt, tibi renuntient, ut vel forma expeditionis detur aut ad suos iudices remittantur. Conquerentes de te vel tuis officialibus patienter audias, citius quam alios illos expedias nec conviciis affici aut comminationibus deterreri permittas. Si prelatos de tuo parlamento feceris, ad certa parlamenta veniant annuatim, quibus vadia certa constituas, cum nec ecclesias suas deserere diu debeant nec in tuo servitio suis stipendiis militare. Nec omittimus, quod circa tue domus expensas vigilantior esse deberes, ut aliquam personam maturam habeas et honestam, que videat et provideat, quod nec ex nimia parcitate tuo quicquam honori deperat nec ex defectu debite providentie bona tua a garcionibus et gulosis hominibus aut aliis personis turpibus consumantur. Nec te pudeat de receptis et expensis certis temporibus rationem

²⁹⁷ 2 Cor. 5,14.

audire, cum et hoc sit tibi perutile et ad id etiam magnatum omnium provoceris exemplis. Et nichilominus rationales habeas non levis opinionis homines, sed explorate fidei et gravitatis exacte.

Ad ordinationem autem regni tui spectare videtur, quod iustitiosos et iudices bonos habeas puras habentes manus, ad quod eos publice iuramento astringas, quod scilicet sine personarum et nationum acceptione ius reddant, ab omni munere seu dono abstineant exceptis esculentis et poculentis, quorum summa in mense auri unciam non excedat, nec aliquatenus in eorum iuramentis adicias, quod sine tua licentia non recipiant. Est enim hec condicio suspectissima nec in bonorum auribus bene sonans. Et habeant singuli certa salaria, quibus maneant omnino contenti. Ut autem libere fiat iustitia, magistratus in suo officio non impedias nec incepta coram eis negotia ad audientiam tuam revoces ad instantiam aliquorum, nisi magna et evidens causa urgeat, sed lites suo cursu procedant, et gravati, si viderint expedire, appellent. Occasionales inquisitiones, que nichil aliud quam questum sapiunt, fieri non permittas. Quarum exemplum ponimus in hiis, quas audivimus factas nuper in regno contra possessores equorum vel pecorum, quibus imponitur equos illos seu pecora fuisse Manfredi, quod cum probari nequeat, eis indicitur probandi necessitas, unde eos habuerint. Aliis imponitur, quod cum eo fuerunt in bello, quod cum probari nequeat, indicitur probandi necessitas, ubi erant in die belli. Et hiis similia dicta sunt nobis dampnabilia pariter et dampnosa et nullatenus toleranda. Capi homines, qui satisfacere poterunt, non permittas, nisi quantum in casibus specialibus id iura permittunt. Innocentem autem pro nocente capi, quantumcumque sit sanguine vel affinitate nocenti coniunctus, non tolere, nisi ad hoc pacto proprio fuerit obligatus. Cogi personas honestas ad recipiendum hospites omnino prohibeas, nisi forsan in loco fueris, ubi domus stabulariorum non sufficiunt genti tue, et tunc etiam illis deferas, quibus honor debet propensior exhiberi. Cum matrimonia libera esse debeant, filias militum, qui nec sunt comites nec barones nec castrorum fortium possessores, similiter et burgensium et aliarum privatarum personarum et a parentibus superstites libere nuptui tradi sinas, et parente vel parentibus sublatis de medio nubant libere suo motu vel suorum consilio amicorum. Sed et de filiabus comitum et baronum viventium sustinere debes, quod eas cum pecunia tradant nuptui, quibus voluerint, qui tibi non debeant esse suspecti. Si vero cum terra eas maritare voluerint, decens est, ut tuus requiratur assensus, quem negare non debes, nisi persone suspicio persuadeat contrarium evidentem. Orphane autem filie comitum et baronum cum amicorum consilio et tuo maritentur assensu, sic tamen quod hac occasione non cogas eas hominibus nubere, quibus eas non deceat copulari. Tutelas impuberum testamentariis legitimisve tutoribus contra iura non auferas nec consuetudinem in hac parte tyrannorum observes, quod felices reges Sicilie nullo tempore tenuisse dicuntur. In qua duplex versatur iniquitas, dum tutores suo iure privantur et impuberes, quibus ratio nulla redditur, bonorum suorum fructibus spoliantur. Collectas ab ecclesiis vel monasteriis vel domibus aliis religiosis aut a quibuscumque personis ecclesiasticis secularibus aut regularibus aut de bonis aut rebus earum numquam exigas, an vero ab ecclesiarum hominibus seu vassallis, in quibus habent iurisdictionem ordinariam et tu merum imperium, mediante iustitia vel interveniente concordia decidetur. Verum, ut officiales tui et consilarii a muneribus abstineant metu pene, quos a malo non revocaverit timor Dei, consulimus tibi, quod, quicumque predictorum contrafecerit, cum infamia ab officio, in quo erit, privetur idem vel aliud in regno tuo nullo tempore habiturus. Dans vero munera tertia parte bonorum suorum mobilium denudetur aut ad tempus vel in perpetuum relegetur. Et, ut hec celari non possint, fiat frequens inquisitio per personas religiosas non amantes pecuniam contra ipsos. Quia scandalum magnum est in regno tuo de collectis, quas hoc anno levasti, consulimus tibi, quod vocatis baronibus et prelatibus et personis egregiis civitatum et locorum celebrium tractetur forma competens, ut sciatur, in quibus casibus in tuis vel alienis hominibus collectas levare valeas. Et

speramus, quod tibi utilis et terre portabilis poterit inveniri, ad quod peragendum legatus esse poterit fructuosus.

360.

Clemens IV. an den Abt von Montmajour: erklärt, daß die Spenden für die Antoniter von Saint-Antoine besser dem Priorat als dem benachbarten Hospital zuzuweisen seien.

1267 Juli 18, Viterbo

Dilecto filio abbati monasterii Montis Maioris Arelatensis diocesis.

Cum in villa sancti Antonii Viennensis diocesis sit principalis ecclesia seu prioratus sancti Antonii ad tuum monasterium pertinens, cuius etiam prioratus tu rector existis, in quo corpus sancti requiescit eiusdem, quod frequentat peregrinantium multitudo, sit et in villa eadem domus magni nominis, que hospitale vel elemosina sancti Antonii appellatur, in qua dominus et fratres eiusdem illos recipiunt, qui morbo, quem ignem sancti Antonii vulgus appellat, miserabiliter laborantes ad eiusdem sancti limina visitanda spe salutis veniunt obtinende, quesivisti a nobis, utrum legata, que beato Antonio vel ibi vel alibi relinquuntur, nec non promissiones et vota, que sancto fiunt eidem, dicte ecclesie seu prioratui, in quo sunt sancti eiusdem corpus pariter et altare, an ipsi hospitali seu elemosine, ubi recepti pauperes eiusdem sancti precibus, cuius prius altare visitant, miraculose curantur, licet ibi eiusdem sancti nec corpus sit nec altare, debeant assignari. Nos igitur consulationi tue breviter respondentes ex recta et propria significatione verborum, si legantis, promittentis aut voventis voluntas alia non appareat, in assecutione legatorum, promissionum et votorum huiusmodi ecclesiam ipsam dicte elemosine dicimus preferendam.

Datum Viterbii, XV Kalendas Augusti, anno III.

361.

Clemens IV. an den Dominikanerprior und den Franziskanerguardian von Beauvais: gebietet ihnen, den Elekten R(enardus de Nanteuil) von Beauvais von etwaigen Kirchenstrafen zu absolvieren.

1267 Juli 20, Viterbo

Dilectis filiis priori Predicatorum et gardiano Fratrum Minorum Belvacensium.

Cum ecclesie Belvacensi dilectum filium R(enardum) decanum eiusdem iuxta votum capituli concesserimus in episcopum et pastorem, quem, prout nobis aliqui postea nuntiarunt, quidam conservatores carissimi in Christo filii nostri C(aroli) regis illustris Sicilie et suorum, qui sepe suo abutuntur officio, sicut dicitur, vel excommunicaverunt vel in nostram incidisse sententiam publicarunt, nos nolentes eidem electo ex hoc aliquod impedimentum afferri discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel alter vestrum eundem electum tam a nostra, si, quod non credimus, in eam incidit, quam ab illorum ad cautelam absolvatis sententia. Nos autem, si quod electioni de ipso facte vel confirmationi nostre seu provisioni secute ex hac causa parabatur obstaculum, illud tollimus et penitus abolemus de nostre plenitudine potestatis.

Datum Viterbii, XIII Kalendas Augusti, anno III.

Clemens IV. an König Jakob (I.) von Aragón: teilt ihm mit, daß er das Königreich Sardinien gegenwärtig weder ihm noch König Karl I.) von Sizilien noch dem Infanten Heinrich von Kastilien zusprechen wolle. – Mit entsprechender Formulierung an seinen Sohn Jakob.

1267 Juli 23, Viterbo

Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri.

Tarde nimis tua misit serenitas dilectum filium Maioricensem archidiaconum et Vicensem capellanum nostrum. Iam enim cum duobus tractatus processerat super regno Sardinie, carissimo scilicet in Christo filio nostro C(arolo) rege Sicilie illustri et dilecto filio nobili viro H(enrico) fratre carissimi in Christo filii nostri regis Castelle illustris. Est et alia tarditas in negotio, quoniam inter moras illam partem amisimus, iudicatum videlicet Turritanum, per quem dare poteramus ingressum ei, qui conveniret nobiscum. Unde tuam non lateat magnitudinem, quod nec tibi illud concedere possemus nec ad presens id dabimus alterutri de predictis, sed tenebimus in suspenso negotium, donec aliud videamus, malentes ad tempus perdere, quod iam dudum perdidimus, quam inter personas nobiles grave scandalum suscitare. Verum de eiusdem archidiaconi, quem misisti, negligentia nulla tibi superest querimonia, cum de improbitate eiusdem et instantia nimia nos potius conqueri valeamus, quam semper continuat sui desiderii exitum meliorem expectans.

Datum Viterbii, X Kalendas Augusti, anno III.

In eodem modo Iacobo filio suo verbis competenter mutatis.

Clemens IV. an den Infanten (Heinrich) von Kastilien, römischer Senator, sowie Rat und Kommune von Rom: empfiehlt ihnen seinen Kaplan B(erardus,) Kanoniker von San Pietro in Rom, der im Streit zwischen ihnen und König Karl I.) von Sizilien vermitteln solle.

1267 Juli 26 oder 27, Viterbo

Dilecto filio nobili viro H(enrico) nato clare memorie F(erdinandi) regis Castelle et Legionis illustris Urbis senatori, consilio et communi Urbis eiusdem.

Quam sit orbi et Urbi utilis quamque Deo pariter et hominibus esse debeat et possit accepta vestra cum carissimo in Christo filio nostro C(arolo) illustri rege Sicilie firma concordia, persuasione non indiget, ut probetur. Ipsa enim se veritas exhibet, ipsa aperientibus oculos se ostendit. Quocirca, cum aliqua audierimus, que inter ipsum et vos possent non modicum scandalum suscitare, quibus inter ipsa decet initia obviari, dilectum filium B(erardum) canonicum basilice sancti Petri, capellanum nostrum ad vos duximus destinandum, cui super hiis, que vobis ex parte nostra dixerit, indubitanter credatis sicque paternis vos beneplacitis coaptetis, quod pacis et concordie veri probemini zelatores, quibus nil Deo gratius, nichil ad rei publice vestre statum utilius esse potest.

Datum Viterbii, VII/VI Kalendas Augusti, anno III.

364.

Clemens IV. an Erzbischof (Bonifatius von Savoyen) von Canterbury: gebietet ihm, dem O(ttobono Fieschi,) Kardinaldiakon von Sant'Adriano, apostolischer Legat, Gehorsam zu erweisen; sagt ihm zu, bei der Besetzung eines Kirchenamtes, das früher sein Bruder, Graf P(hilipp) von Burgund, in seiner Diözese in Besitz gehabt habe, nach seinem Rat zu verfahren.

1267 Juli 26, Viterbo

Archiepiscopo Cantuariensi.

Licet tibi negare iustitiam non velimus, satis tamen amare gerimus regno precipue perturbato, si nude voluntatis arbitrio dilecti filii nostri O(ttoboni) sancti Adriani diaconi cardinalis, apostolice sedis legati iustos niteris impedire processus, cuius te debes, quantum honeste poteris, beneplacitis coaptare et eidem assistere in angustiis, quibus premitur pro salute publica nec pericula veritus nec labores. Quocirca fraternitatem tuam rogandam duximus et hortandam per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus nostram in ipso personam intuens et eidem reverenter obediens laboranti collaborare studeas et compati patienti et sic ad regni negotia, que legatus ex fide prosequitur memoratus, humeros applicare non cesses, ut a nobis et ipso pro meritis valeas commendari. Sane, licet beneficia, que dilectus filius Philippus frater tuus, nunc comes Burgundie, tunc vero Lugdunensis electus in tua diocesi obtinebat, dudum nostre collationi reservaverimus decernentes irritum et inane, si quid super ipsis per te vel alium contingeret attemptari, nos tamen de altero, quod maioris valoris dicitur, alicui bone persone de tuo libenter provideremus consilio, que linguam Anglice nationis haberet et esse posset utilis animabus.

Datum Viterbii, VII Kalendas Augusti, anno III.

365.

Clemens IV. an Bischof (Gui de la Tour) von Clermont: gebietet ihm, dem (Zisterzienser-)Kloster (Aubazine) die durch ihn entfremdete Grangie zurückzuerstatten.

1267 Juli 26 oder 27, Viterbo

Episcopo Claromontensi.

Sepe mirati fuimus, cum minori officio fungeremur, multorum studia prelatorum attentissime contemplantes, qui suis sedibus opulentis et pinguibus non contenti religiosorum prioratus et grangias nunc blanditiis nunc terroribus nunc surrepticiis apostolice sedis indultis sibi dari ad temporis certum spatium vel, quoad viverent, procurabant de bonis pauperum, que ab olim fidelium commendanda devotio usibus aliis deputaverat, suam ingluviem satiantes. An vero in eorum te numero ponere debeamus, hesitare nos cogunt fratrum et sororum de Obezina clamor assiduus et querela continua, quorum unam grangiam ab abbate dumtaxat eorum obtinuisse diceris non interveniente conventus assensu, quam etiam multipliciter dissipas aliqua ad ipsam grangiam pertinentia emens ab aliis et tuis vel tuorum usibus applicans sub huiusmodi emptionis obtentu. Quocirca, cum hec, que diximus, si eis veritas suffragatur, tanto magis nostrum amaricent animum, quanto sincerius te diligimus quantoque pontificalis gravitatis honori, sed et tue religionis proposito gravius adversantur, fraternitatem tuam rogandam duximus attentius et hortandam per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus Deum habens pre oculis et non negligens famam tuam, si hec ita se habent, sic te ipsum emendare procures, ne cogente iustitia

ictus sentias mallei durioris. In hiis enim tibi parcere non possemus, si ad nos super eis querelam devenire contingeret iteratam.

Datum Viterbii, VII/VI Kalendas Augusti, anno III.

366.

Clemens IV. an O(ttobono Fieschi,) Kardinaldiakon von Sant'Adriano, apostolischer Legat: gebietet ihm, ihn zu unterrichten, welche Kirchenämter, die nicht dem Präsentationsrecht von Laien unterstehen, Graf Philipp von Burgund, ehemals Elekt von Lyon, in England innegehabt habe.

1267 Juli 26 oder 27, Viterbo

Dilecto filio O(ttobono) sancti Adriani diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Cum ab olim dilectum filium Philippum tunc Lugdunensem electum, nunc Burgundie comitem, si certis terminis, quos tunc sibi prefiximus, ad sacros ordines et demum ad sacerdotium non ascenderet, beneficiis omnibus, dignitatibus et personatibus privaverimus excepta prelatione ecclesie Lugdunensis collationi nostre eadem reservantes, decernentes insuper irritum et inane, si quid per quamcumque personam super eis contingeret attemptari, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus nos, quam citius poteris, certificare procures, que beneficia idem Philippus ad presentationem non pertinentia laicorum in Anglia possidebat.

Datum *ut supra* in proxima.

367.

Clemens IV. an (Thomas Agni), päpstlicher Vikar in Rom: verkündet gegen alle, die sich König K(arl I.) von Sizilien in Tuszien widersetzen, Exkommunikation und Interdikt und gebietet, dies in den Kirchen Roms verkünden zu lassen. – Mit entsprechenden Formulierungen an die Prälaten in Tuszien, der Romagna und der Lombardei.

1267 Juli 28, Viterbo

Vicario nostro in Urbe.

A fidelibus et devotis ecclesie, quos in Tuscie partibus dure iugum tribulationis oppresserat, carissimus in Christo filius noster rex illustris Sicilie C(arolus) in eorum vocatus auxilium et primum a dilectis filiis civibus Florentinis, dehinc ab aliis civitatibus et locis celebribus in rectorem ad tempus assumptus suam illuc misit militiam, ut malitiam frangeret superbiorum et *potentibus de sede depositis humiles exaltaret*²⁹⁸. Nos sane datam nobis oportunitatem de celo protinus attendentes et sperantes obnixius per eum salutem Tuscie dari posse, per quam, dum olim regeretur a perfidis, hostes ecclesie fuerant roborati, multi fidelium bonis propriis spoliati, multi macerati carceribus, multi in exilium dati, multi more bidentium cesi gladiis, multi membris aliquibus mutilati, nostros in ipsum direximus oculos et iam ex parte pacis turbatoribus exturbatis et erectis cornibus devotorum intelligentes regie celsitudinis brachium confirmatum eidem regi de fratrum nostrorum consilio pacis tutelam in Tuscie finibus, que vacanti subsunt imperio, duximus committendam eundem inibi paciariam statuentes data sibi sub certa forma plenaria potestate omnes

²⁹⁸ Luc. 1,52.

illos, qui pacem iurare nollent aut iuratam violare presumerent, coercendi. Cum autem rex idem sicut ecclesie filius devotissimus onus huiusmodi officii assumpsisset et nedum cum benivolis, sed etiam cum hiis, qui pacem oderant, vellet esse pacificus, quia tamen in locis aliquibus pacis filios non invenit, attente considerans et prudenter attendens, quod iuxta sanctorum sententias pax tantum est bonum, ut per suum licite queratur contrarium, si nequeat aliter obtineri, subegit aliquos manu valida et nonnullos obsidione vallavit illuc se conferens personaliter, ut non solum utilius, quin etiam citius et humanius ceptum tantum negotium consummetur. Ne igitur aliquorum insana temeritas pacis angelum, Christi pugilem memoratum perversis pariter et adversis audeat impedire conatibus, sicut dudum omnes, qui regnum eius et terras adiacentes eidem perturbare presumpserint, excommunicationis mucrone pertulimus, sic et nunc in omnes, qui in dictis Tuscie finibus eidem seu genti sue se opposuerint vel opponentibus consilium openve prestiterint, excommunicationis sententiam promulgamus loca, in quibus se opposentes eidem recepti fuerint, interdicto ecclesiastico supponentes, fraternitati tue in virtute obedientie districte precipiendo mandantes, quatenus hoc per Urbis ecclesias publicas aut per alios facias publicari.

In eodem modo prelati in Tuscia et Romaniola et Lombardia constitutis.

Datum Viterbii, V Kalendas Augusti, anno III.

368.

Clemens IV. an Bischof (Tommaso Fusconi) von Siena: überlässt es seinem Ermessen, trotz der dortigen Unruhen in Siena zu bleiben oder sich in die Sabina zu begeben, wo er für eine Zeitlang in Vertretung des Papstes die bischöfliche Amtsführung ausüben könne.

1267 Juli 23 oder 30, Viterbo

Episcopo Senensi.

Si natalis aeris intemperies tibi licet indigene non pepercit, minus siquidem miramur, sed non minus pietate suggerente compatimur, si domesticam tuam familiam molestavit densis Urbis vaporibus insuetam. Sane, cum Senenses se penitus nescientes in erroris deciderunt laberintum et tot nostris ingrati gratiis mala malis accumulans, clerum spoliants, opprimunt innocentes, quid apud eos facias aut proficias, si illuc ieris, non videmus. Dati enim *in sensum reprobum*²⁹⁹, ut videtur, timorem Domini et hominum reverentiam abiecerunt nec doctrinam sanam recipiunt doctrinis variis et peregrinis abducti. Verum tue committimus providentie viam tuam, ut, si vel eorum vocatio te invitats vel inspiratio secretior ammonet, ut aberrantem visites gregem tuum, eas ad illos vel, si, quod probabilius credatur, posse te prodesse diffidis, intres Sabiniam et ibidem exerceas episcopale officium vice nostra tua semper oportunitate servata, donec vires resumas ad plenum. Quod si nec illa tibi terra placuerit, elige tibi, quem malueris, aerem, ubi saltem ad tempus valeas cum familia respirare. Si Sabiniam forsans elegeris, ab omnibus et in omnibus tibi facias de nostris iuribus responderi. Quid autem ex predictis elegeris, nobis rescribere non omitas.

Datum Viterbii, X/III Kalendas Augusti, anno III.

²⁹⁹ Rom. 1,28.

Clemens IV. an alle Herrschafts- und Amtsträger im Tuszischen Patrimonium: verbietet ihnen zum wiederholten Male, den Geboten (des römischen Senators) H(einrich von Kastilien) zu gehorchen. – Mit entsprechender Formulierung an alle Herrschafts- und Amtsträger in der Sabina.

1267 Juli 23 oder 30, Viterbo

Dilectis filiis universis baronibus et nobilibus, potestatibus, rectoribus, capitaneis, consiliis, communitatibus et universitatibus civitatum, castrorum et villarum per Patrimonium beati Petri in Tuscia constitutis nostris et ecclesie Romane fidelibus.

Nil iustitie dissonum, nil contrarium equitati vestre nuper devotioni scripsimus, cum ad nostrum pervenisset auditum, quod nobilis vir H(enricus) senator Urbis suas vobis vel vestrum aliquibus direxerat litteras et nuntios speciales multa vobis sub certis penis precipiens, que in grave Romane ecclesie preiudicium nostrumque dispendium redundabant. Nos siquidem hiis auditis, qui sic omnibus iura sua servari volumus, ut nostra minime negligamus, et eidem senatori super hiis aperuimus per nostras litteras mentem nostram et vobis universis et singulis sub debito fidelitatis, quo ecclesie memorate tenemini, et sub penis per nostrum vobis arbitrium inferendis districte precipiendo mandavimus, quod nunc etiam iterato mandamus, quatenus mandatis huiusmodi, si qua vobis per senatorem eundem iam facta fuerant, vel similibus, si in posterum vobis fierent, minime pareatis. Et, si forsitan non omnino hiis verbis usi fuerimus, hanc fuisse intentionem nostram minime dubitetis, quam ex forma litterarum priorum satis committere poteratis.

Datum Viterbii *ut supra in proxima.*

In eodem modo per Sabiniam constitutis.

Clemens IV. an seinen Kaplan Helius Peleti, Kanoniker von Beauvais: gebietet ihm, die Bewohner des belagerten Poggibonsi sowie von Pisa und Siena zum Gehorsam gegenüber dem dort von ihm als paciarius eingesetzten König K(arl I.) von Sizilien anzuhalten, gegen die Widerspenstigen aber mit Exkommunikation und Interdikt vorzugehen.

1267 August 4, Viterbo

Dilecto filio magistro Helie Peleti capellano nostro, canonico Belvacensi.

Si filius noster carissimus in Christo C(arolus) rex illustris Sicilie paciarius constitutus a nobis in Tuscie finibus subiectis imperio nunc vacanti pacis inibi generaliter filios invenisset, super omnes utique tam pax nostra requievisset quam sua, sed obsistentibus eius proposito viris discolis, qui *viam pacis minime cognoverunt*³⁰⁰, ecce, quod dolentes referimus, factus aliquibus in < suis actibus > crudelis ferro compellitur mederi vulneribus, que fomentorum non sentiunt medicinam. Sane nos, qui iustitiam, cuius pax opus est, sic diligimus, ut etiam ipsis impiis pietatis paterne viscera non claudamus, te, cuius fidem dudum probavimus et industriam, ad dictas partes duximus destinandum per apostolica tibi scripta firmiter precipiendo mandantes, quatenus tam

³⁰⁰ Rom. 3,17.

homines castri Podii Boniti, quod a gente predicti regis obsessum dicitur, quam Pisanos perfidosque Senenses et omnes rebelles alios finium eorundem ad dicti regis obedientiam in officio, quod eidem commisimus, salutaribus monitis diligenter et prudenter inducas ipsumque regem reddas eis placabilem, qui saniore freti consilio tuis monitis acquieverint, et sic eorum securitati provideas salva semper in omnibus moderate iustitie disciplina, quod tam gravi tempestate sedata pars illa Tuscie, que tot malis dedit originem, tot ecclesie suisque fidelibus scandala suscitavit, nunc saltem domita per eundem in pulchritudine pacis sedeat, in *tabernaculis fidei*³⁰¹ et requie opulenta. Eos vero, qui *in suis fecibus quiescentes*³⁰² obtemperare tibi noluerint, post insinuatam eis sententiam, quam in eos tulimus, qui dictum regem in commisso sibi per nos officio perversis et adversis conatibus temptaverint impedire, nec non et omnes, qui in hoc consilium vel opem eis dederint, excommunicatos terrasque, in quibus recepti fuerint, ecclesiastico suppositas interdicto denunciare publice non omittas.

Datum Viterbii, II Nonas Augusti, anno III.

371.

Clemens IV. an seinen Kaplan Helias Peleti, Kanoniker von Beauvais: gebietet ihm, Vorfälle auf dem Gebiet des O(ttaviano Ubaldini), Kardinaldiakon von Santa Maria in Via Lata, durch die sich König K(arl I.) von Sizilien oder die Seinen angegriffen fühlen könnten, zu regeln oder bei schwieriger Sachlage ihm zu berichten.

1267 August 4, Viterbo

Eidem.

Cum te ad partes Tuscie nunc vacanti subiectas imperio destinemus, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, si in terra dilecti filii nostri O(ctaviani) sancte Marie in Via Lata diaconi cardinalis, postquam carissimi in Christo filii nostri C(aroli) illustris regis Sicilie partes Tuscie gens intravit, aliqua commissa dicuntur aut dicentur, dum ibi fueris, ex quibus rex idem aut sui reputare possint aut debeant se offensos, tu super eis ex officio de plano et sine strepitu ac figura iudicii veritatem inquirens ad plenum ea facias emendari aut, si casus tibi nimis difficilis visus fuerit, nos confestim consulere non postponas responsum nostrum protinus habiturus. Non tamen fingas difficile, quod non erit, ne non tam consilium quam subterfugium querere videaris.

Datum *ut supra* in proxima.

372.

Clemens IV. an König K(arl I.) von Sizilien: mahnt ihn, Grausamkeiten zu vermeiden; untersagt ihm, die Befugnisse seines Amtes als paciarius auf dem Gebiet des O(ttaviano Ubaldini), Kardinaldiakon von Santa Maria in Via Lata, wirksam werden zu lassen, und verweist ihn auf seinen Kaplan H(elias) Peleti, Kanoniker von Beauvais, der Vorfälle gegen ihn und die Seinen regeln werde.

1267 August 4, Viterbo

³⁰¹ Iob 18,14.

³⁰² Ier. 48,11.

Carissimo in Christo filio C(arolo) regi Sicilie illustri.

Cum *firmetur clementia thronus regis*³⁰³, decet te, fili carissime, Deum semper habere pre oculis, cuius geris negotium viris pacificis pacem nutriens et eam offerens indevotis. Sane, quamvis tantum sit pacis bonum, ut per suum licite queratur contrarium, si forte nequeat aliter obtineri, quia tamen imitari te convenit illum pro viribus, qui, *cum irascitur*, semper *misericie recordatur*³⁰⁴, serenitatem tuam rogandam duximus et hortandam, quatenus in tuis actibus et tuorum crudelitatem evitans victorem potius impleas quam ultorem et quieti provincie consulens diligi magis eligas quam timeri eo semper adhibito moderamine, ut nec terror honorem habeat nec dissoluta pariat mansuetudo contemptum.

Sane, licet in Tuscie finibus te paciarium constituerimus generalem, mirari non debes aliquatenus aut turbari, si forsitan aliquid speciale statuimus in terra dilecti filii nostri O(ctaviani) sancte Marie in Via Lata diaconi cardinalis, qui, cum sit nobile corporis nostri membrum, non eadem cum aliis est censura tractandus. Ad terram igitur eius, quam fuisse et fore tibi spondet pacificam, commissum tibi non extendas officium, sed, si qua contra te vel tuos facta dicuntur inibi vel dicentur, ecce mittimus dilectum filium magistrum H(eliam) Peleti capellanum nostrum, canonicum Belvacensem, qui veritatem inquiret et emendanda faciet emendari in difficilioribus, si emergerint, nostrum consilium petiturus. Qui etiam super hiis nostrum propositum tibi plenius denudabit, cui te credere volumus tamquam nobis. Cardinalis quidem iniuriam equo animo tolerare minime valeremus, quo offenso seu leso et nos et fratres nostri per consequens lederemur.

Datum *ut supra*.

373.

Clemens IV. an König K(arl I.) von Sizilien: teil ihm mit, daß er wegen der Belagerung eines Kastells im Herrschaftsbereich des Königs an den römischen Senator (Heinrich von Kastilien) geschrieben, von diesem aber noch keine Antwort erhalten habe.

1267 August 13, Viterbo

Eidem.

Sepe cogimur scribere senatori, qui seductus consilio aliquorum et aliorum excitatus impulsibus temptat plurima, que in nostrum ac tuum videntur cedere preiudicium et gravamen. Licet autem verbis verba reddiderit et iam substiterit in aliquibus et in aliis pertransierit perfunctorie, nos tamen solis adhuc comminationibus insistentes non processimus contra ipsum, cum nec occasio se prebuerit importabilis nec in inceptis perseveraturus credatur a multis sapientibus, prout dicitur, increpatus. Verum ad id, quod ultimo tuis receptis litteris de occupatis rocca et castro in tui regni finibus ei scripsimus, nondum eius responsum habuimus id mox, ut venerit, tue cum ipsis litteris magnitudini transmissuri. Demum stantes suspensis auribus cum multitudine copiosa fidelium obsidionis, qua tot vallasti perfidos, felicem siquidem, sed humanum expectamus eventum, ex quo pendet hostium tuorum confusio, non illorum dumtaxat, quos inibi conclusisti, sed ubilibet consistentium, quorum utique, si quos obsides obtinueris, frangentur animi, cadent manus, genua dissolventur. Confidimus autem in Domino, quod, qui te suum ministrum inter

³⁰³ Prov. 20,28, 29,14.

³⁰⁴ Hab. 3,2.

catholicos principes preelegit ad impiorum superbiam edomandam, in hoc negotio te non deseret, sed inceptum feliciter longe felicius consummabit.

Datum Viterbii, Idibus Augusti, anno III.

374.

Clemens IV. an seinen Kaplan Helias Peleti, Kanoniker von Beauvais: gebietet ihm, in Pisa darauf zu dringen, daß der unter Rückendeckung der Kommune erfolgte Angriff auf den Judikat Logudoro in Sardinien eingestellt werde.

1267 August 13, Viterbo

Dilecto filio magistro Helie Peleti capellano nostro, canonico Belvacensi.

Quas ex nostro speciali mandato inhibitiones Pisanis feceris de Sardinie finibus non intransis, cum commissa tibi negotia prosequens moram traheres apud eos, a tua non credimus excidisse memoria, sed iam sue salutis immemores *in arcum pravum*, prout dicitur, *sunt conversi*³⁰⁵. Nam comes Hugolinus eorum civis non minimus in manu valida iudicatum Turritanum seu regnum invasit cum Tuscio Rufo et aliis perfidis ecclesie Romane fideles infestans, secum habens in isto scelere adiutores de communis Pisani speciali mandato Pisanos omnes, qui in Sardinia moram trahunt, prout dilectus filius magister G. Gellonis capellanus noster, quem dudum in illis partibus nostrum vicarium constituimus, nobis scripsit. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus eosdem moneas et eisdem districte nostra fretus auctoritate precipias, quatenus sine more dispendio revocent dictum comitem et per ipsum vel alios sui districtus vel alterius homines dictum regnum et specialiter homines Cassari non infestent et de dampnis eis et aliis nostris fidelibus irrogatis satisfieri faciant indilate. Alioquin sententiis ratis manentibus, in quas incidisse creduntur, omittere non poterimus, quin contra ipsos acrius exigente iustitia procedamus.

Datum Viterbii, Idibus Augusti, anno III.

375.

Clemens IV. an den mongolischen Ilkhan Abaqa: freut sich über seine Bekehrung zum christlichen Glauben; dankt ihm für seine Bereitschaft, am Kreuzzug ins Heilige Land teilzunehmen.

O. D.

Viro illustri et magnifico principi in gente nobili Tartarorum elchani Apacha in presenti gratiam Creatoris et in futuro gloriam obtinere.

Nuper virum nobilem tue magnitudinis nuntium benigne recepimus et ab eo sub tuo nomine quasdam recepimus litteras et, que nobis per interpretem exponere voluit, intelleximus diligenter. Sane, quia litteras, quas exhibuit, nullus de hiis, qui erant in nostra curia, legere nobis scivit nec tu, sicut alias feceras, in lingua Latina scripseras nobis quicquam, solis verbis illius, qui eas attulit, oportuit nos intendere et iuxta qualitatem illorum tue magnificentie respondere.

³⁰⁵ Ps. (G) 77,57.

Imprimis igitur gratias agimus Deo nostro bonorum omnium largitori, qui *tui cordis illuminavit oculos*³⁰⁶, ut eundem agnosceres et eius filium unigenitum pro salute humani generis crucifixum humiliter adorares et crucis sue vexillum reverenter honorares. Ecce gaudes, ut asseris, de victoria, quam habuimus in regno Sicilie, cuius Manfredus naturalis filius Frederici quondam Romanorum imperatoris temerarius occupator per manum validam carissimi in Christo filii nostri C(aroli), cui regnum idem concessimus, in bello campestri regno cecidit privatus et vita cum perfidorum christianorum et Sarracenorum multitudine copiosa. Ecce reges Francie et Navarre cum multis comitibus, baronibus et militibus et aliis infinitis Terre Sancte negotium assumentes crucis insigniti caractere contra crucis et fidei inimicos se viriliter preparant et potenter, iamque de regionibus aliis multi magni et parvi eorum provocantur exemplo, ut Christi nomen totis exaltent viribus et potentiam Sarracenorum, sectam etiam et nomen extinguant. Verum super hiis, que scripsisti, quod videlicet simul cum tuo socero adiuvere Latinos intendis, grates tibi referimus copiosas. Quo tamen nostri venire proponant itinere, rescribere tibi non possumus regibus inconsultis, sed eisdem significabimus tuum et soceri tui consilium, ut melius deliberare valeant, quid eis videatur agendum, et super hiis per certum nuntium tuam magnificentiam possimus reddere certiozem.

Sta igitur, princeps magne, in salubri proposito, nam sperare debes in Domino, quod, si bene ei servieris, tuum firmabit solium et multipliciter exaltabit. Sua est enim potentia, suum regnum, *in manu eius sunt corda regum*³⁰⁷. *Quos vult, humiliat et, quos vult, exaltat*³⁰⁸. Eius nutu universa reguntur, nec est, qui valeat eius resistere voluntati.

Datum Viterbii, anno III.

376.

Clemens IV. an Erzbischof (Filippo Fontana) von Ravenna, apostolischer Legat: teilt ihm mit, daß sich die Berichte von der Ankunft Konradins (von Schwaben) als falsch erwiesen hätten und er der Angelegenheit gelassen entgegensehe; fordert ihn auf, seine (kurz zuvor begonnene) Legation gewissenhaft auszuführen.

1267 August 17, Viterbo

Archiepiscopo Ravennatensi, apostolice sedis legato.

De adventu juvenis Corradini multa dudum audivimus, que, sicut hactenus extimavimus, sic et probavimus esse falsa. Sane tuam laudamus prudentiam, quia nobis, que recipis, scribere non omittis, quod et continuare te volumus, cum ad nostram instructionem utilia et ad exercitacionem fidelium videantur quamplurimum oportuna. Nos vero Dei nos beneplacito confirmantes equanimiter ferre proponimus, quicquid ei placuerit, non sic tamen, ut temptantes eundem imminentibus rerum eventibus nos absque providentia committamus, sed facturi, quicquid poterimus, ut ecclesie status pacificus conservetur. *Si consistant adversus nos castra, quantumcumque sint valida, non timebimus et, si exurgat adversus nos prelium, sperabimus in hoc ipso*³⁰⁹. Tua igitur circumspecta fraternitas onus impositae legationis exequens sic instet, sic vigilet, sic laboret in omnibus, ut in terris tue gubernationi commissis et fidelium fulciatur devotio et marcescat improbitas perfidorum.

³⁰⁶ Eph. 1,18.

³⁰⁷ Prov. 21,1.

³⁰⁸ Dan. 5,19.

³⁰⁹ Ps. (G) 26,3.

Datum Viterbii, XVI Kalendas Septembris, anno III.

377.

*Clemens IV. an Bischof (Tommaso Fusconi) von Siena: mahnt ihn, Siena zur Kirche zurückzuführen.
1267 August 21, Viterbo*

Episcopo Senensi.

Cum potens sit Dominus de lapidibus filios Abrahe suscitare³¹⁰, si a suis erroribus tuum populum revocaret, cum sanctis angelis super tot peccatoribus agentibus penitentiam gauderemus³¹¹. Quocirca, cum ad eos de nostra properes licentia speciali, fraternitatem tuam rogandam duximus et hortandam in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatenus materna viscera cum paternis verberibus eis exhibens ad nostram et Romane ecclesie gratiam eos reducere studeas, ut melioribus intenti studiis in pace pectoris pacem temporis valeant obtinere. Nos enim eis ad cor humiliter revertentibus, quantumcumque nobis illuserint, quantumcumque se ipsos in preceps dederint, parati sumus pandere sinum melliflue pietatis.

Datum Viterbii, XII Kalendas Septembris, anno III.

378.

Clemens IV. an Podestà, Rat und Kommune von Corneto: verbietet ihnen, dem Senator (Heinrich von Kastilien) und dem Volk von Rom, die sich im Gebiet der römischen Kirche die Gerichtsbarkeit anmaßen, Gehorsam zu leisten oder sie gegen den Papst und König (Karl I.) von Sizilien zu unterstützen.

1267 August 20, Viterbo

Dilectis filiis potestati, consilio et communi Cornetano.

Licet dilecti filii nobilis vir senator et populus Romanus, quorum iura nolumus intervertere, sic iure suo deberent esse contenti, quod non invaderent alienum, quia tamen, prout accepimus, in terra Romane ecclesie iurisdictionem sibi temere usurpantes a vobis et aliis nostris et eiusdem ecclesie Romane fidelibus multa exigunt in nostram iniuriam et nostre preiudicium libertatis, vobis universis et singulis sub debito fidelitatis, quo nobis et ecclesie ipsi tenemini, et sub pena V milium marcharum et amissionis omnium privilegiorum et libertatum, que a sede apostolica ullo tempore habuistis, per apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatenus venientibus ipsis vel nuntiis eorundem in huiusmodi minime pareatis, sed nec eis contra nos vel carissimum in Christo filium nostrum C(arolum) regem Sicilie illustrem vel quascumque terras nostras consilium vel auxilium vel favorem aliquem impendatis. Alioquin et in penas incidatis ipso facto.

Datum Viterbii, XIII Kalendas Septembris, anno III.

³¹⁰ Matth. 3,9.

³¹¹ Luc. 15,10.

379.

Clemens IV. an König Karl I. von Sizilien: verlängert den Zahlungstermin für den Lehnszins auf den 29. September.

1267 August 28, Viterbo

Carissimo in Christo filio C(arolo) regi Sicilie illustri.

Compatiuntur tibi fratres et tamen suam aliqui paupertatem causantur, ut non sit eis facile successivis dilationibus spe certi debiti defraudari. Sane, quia tue prospicimus necessitatis instantiam, votis tuis ad presens annuimus nolentes incurrere te periurium, si eundem censum in Kalendis Septembris proximis vel ante non solveris, dum tamen, si interim solvere illum oportune nequiveris, saltem infra festum sancti Michaelis proximo veniens illum solvas. Ulteriorem autem dilationem non expectes tenens certissime, quod prorsus deficeres in eadem.

Datum Viterbii, V Kalendas Septembris, anno III.

380.

Clemens IV. an Simon de Brion, Kardinalpriester von Santa Cecilia, (apostolischer Legat): gebietet ihm, trotz der Beschwerden der Domkapitel von Reims, Sens und Rouen den Zehnt zur Finanzierung des Kreuzzuges ins Heilige Land einzuziehen.

1267 September 14, Viterbo

Dilecto filio S(imoni) tituli sancte Cecilie et cetera.

Ut os suum omnis opilet iniquitas³¹² et sermonibus veritatis detrahere³¹³ non presumat, hiis, qui presunt, non mediocriter pro loco et tempore credimus expedire imprudentium hominum ignorantiam sic obstruere, sed et impudentium multo magis audaciam sic reprimere, ut a voce tonitruum formidantes³¹⁴ supra se plus, quam licet, decet aut expedit, insolenter erecti in suam demum resilient parvitatem, ad quam, si se sano consilio tam humiliter quam fideliter inclinaverint, aperiendum eis benivole sinum misericordie non negamus. Sane nuper recepimus dilectorum filiorum decanorum et capitulorum Remensis, Senonensis et Rothomagensis ecclesiarum et suffraganeorum suorum procuratores et litteras voce nobis et scripto plurima proponentes, que supplicatione huiusmodi clauderentur, ut, cum carissimus in Christo filius noster Ludovicus rex Francie illustris decimam vel aliquotam ecclesiasticorum reddituum in Francia portionem pro Terre Sancte subsidio a nobis petere diceretur, in supplicatione huiusmodi nos taliter haberemus, quod sancta mater ecclesia temporibus nostris de variis oppressionibus respiraret, ad pacem et ad tranquillitatem resurgeret, et hanc suam conclusionem in suarum serie litterarum multis prius instruxerant argumentis, quorum quedam in dubiis, quedam in falsis, quedam in prorsus impertinentibus fundabantur. Verum dicti procuratores litterarum narratione simplici non contenti subiunxerunt expressius aliqua, que conceptam malitiam detegebant, inter cetera verba blasphemie temere proponentes, quod, si decimam concederemus petitam, mallent dicta capitula excommunicationum sustinere sententias quam in hoc casu nostris obedire mandatis, cum apud ipsos

³¹² Ps. (G) 106,42.

³¹³ Iob 6,25.

³¹⁴ Ps. 103,7.

communiter diceretur, quod non cessaret exactio tributorum, donec cesset devotio subditorum. Nos igitur insolentiam contemptorum merito contempnentes litteras litteris et verbis verba reddidimus supplicationem ipsorum, quam iam gratia nostra dicto regi facta prevenerat, repellentes et appellationem a te interpositam, quia supplicationes eorum non admiseras, prout asserunt, reprobantes, cum sit nostrum immobile fixumque propositum dictam gratiam executioni mandare non obstante cuiuslibet appellationis aut contradictionis obiectu.

Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus et in tuorum tibi peccaminum remissionem iniungimus, quatenus iuxta traditam tibi formam in predicto procedens negotio ad collectionem decime supradicte per te et alios, prout expedire cognoveris, procedas viriliter et instanter non obstantibus appellationibus interpositis vel interponendis in posterum, privilegiis vel indulgentiis seu litteris quibuscumque impetratis vel impetrandis, cuiuscumque tenoris existant, etiamsi in eis contineatur expresse vel in iure sit cautum, quod eis apostolice littere non preiudicent, nisi de ipsarum tenore de verbo ad verbum vel aliqua religione vel ordine vel loci nomine vel persone vel quacumque alia circumstantia fiat in eis mentio specialis vel aliqua exceptione seu defensione quacumque, per quam exactio dicte decime impediri valeat vel differri, contradictores et rebelles, cuiuscumque condicionis vel dignitatis etiam episcopalis aut archiepiscopalis existant, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellendo non obstante, si aliquibus a sede apostolica est indultum, quod excommunicari, interdicti nequeant aut suspendi et cetera.

Datum Viterbii, XVIII Kalendas Octobris, anno III.

381.

Clemens IV. an Graf A(lfons) von Poitou und Toulouse: bedauert, seinem Wunsch nicht nachkommen zu können.

1267 September 15, Viterbo

Dilecto filio nobili viro A(lfonso) comiti Pictavensi et Tholosano.

Cum id ipsum, quod tibi dare proponimus, in promptu non habeamus nec adhuc nobis liqueat, qua via super eo nostrum ac tuum desiderium compleamus, quomodo maiora tibi aut alii spondeamus, nulla ratione videmus. Quamvis enim lata sit nobis benefaciendi voluntas, artant ecclesiarum miserie facultatem, quarum ubique gemitus et suspiria nostras aures cotidie inquietant. Ab hiis ergo, que scribimus, non recedimus nec de pluri scribere volumus in incertum, cum semper, quando facultas aderit, tibi et aliis benemeritis benefacere valeamus.

Datum Viterbii, XVII Kalendas Octobris, anno III.

382.

Clemens IV. an seinen Kaplan Helias Peleti, Kanoniker von Beauvais: erteilt ihm die Vollmacht, bis zu 30 000 Pfund Turnosen als Darlehen aufzunehmen.

1267 September 15 oder 16, Viterbo

Dilecto filio magistro Helie Peleti canonico Belvacensi, capellano nostro.

De prudentia tua plenius confidentes recipiendi mutuuum usque ad summam XXX milium librarum Turonensium nomine Romane ecclesie simul vel divisim aut separatim a mercatoribus quibuscumque ac propter hoc cameram nostram et bona eiusdem ecclesie ipsis mercatoribus obligandi nec non promittendi eisdem, quod in locis et terminis, que cum eis ordinanda duxeris, pecuniam sibi, quam mutuo ab illis receperis aut confessus fueris recepisse, cum expensis, dampnis et interesse, que illis promiseris, si in solutione statutis per te eis locis et terminis cessaretur, solvi cum integritate plenarie faciemus quodque ratum habebimus, quicquid super hiis duxeris faciendum, discretioni tue de fratrum nostrorum consilio plenam auctoritate presentium concedimus facultatem statuentes, quod pecuniam ipsam fore conversam in utilitatem nostram et ipsius ecclesie Romane pretextu alicuius constitutionis canonice vel civilis memoratis mercatoribus probandi necessitas non incumbat.

Datum Viterbii, XVII/XVI Kalendas Octobris, anno III.

383.

Clemens IV. an König (Karl I.) von Sizilien: erklärt, daß er angesichts der Gerüchte von der bevorstehenden Ankunft Konradins (von Schwaben) in Italien auf seine Geldforderungen nicht eingehen wolle, zumal seine angebliche Bedürftigkeit in keinem Verhältnis zur Maßlosigkeit seiner Amtsträger stehe.

1267 September 15 oder 16, Viterbo

Carissimo in Christo filio C(arolo) regi Sicilie illustri.

Nova de Corradini adventu, quantumcumque crebrescant, cito casura credimus, sicut et hacenus ceciderunt. Verum, si venerit in Ytaliam, quod non credimus, nullatenus expedit, quod eidem occurras, ne a regno tuo tanto terrarum spatio segregatus tuis hostibus aggrediendi, que timetur, audaciam prebeas opportunam. Et hoc sentiunt apud nos, qui te diligunt, universi. Sane, cum regnum tuum pessime laceretur a tuis, culpe tue ascribitur, quod es indigenus tot in tuis officiis furibus et latronibus opulentis, qui ea in regno tuo faciunt, que Deus sustinere non poterit, contra quem nullo potes consilio te munire. Ibi enim officiales tui raptus et adulteria, prout a viris religiosis accepimus fidedignis, cum variis exactionibus et rapinis exercere in publico non verentur, et, cum totiens super hiis fueris increpatus nec ea correxeris aut punieris, profecto vitiis pollutus remanes alienis. Quis ergo tuam plangere poterit paupertatem, qui de regno non potes aut necis vivere, de quo vir nobilis Fredericus Romanorum olim imperator, ut nosti, maiores te sumptus faciens in immensum se suosque ditabat et insuper Lombardiam et Tusciam, utramque Marchiam et Alamanniam satiabat? Verum non speres in nostra curia mutuuum invenire. Si tamen hostis tuus predictus in potestate venerit formidanda, fratres nostri, ut credimus et speramus, consentient, quod pro querenda tibi pecunia, quam petisti, demus potestatem alicui Romanam ecclesiam obligandi receptis a te magnis et arduis cautionibus pro eadem ecclesia indempni servanda.

Datum *ut supra*.

384.

Clemens IV. an König K(arl I.) von Sizilien: unterrichtet ihn von der Invasion auf der Insel Sizilien; beschwert sich über die Steuerpolitik in seinem Reich; rät ihm ab, in Norditalien einzumarschieren; unterrichtet ihn von den jüngsten Ereignissen in Rom.

1267 September 17, Viterbo

Eidem.

Non libentius licet letantius blanda quam aspera nuntiamus, cum in illis pro tempore arri-
dente blanditie sperni valeant et in aliis imminentes angustie nec ad horam prudentie dilationem
admittant. Sane navim quandam pro certo comperimus de Sicilia venientem applicuisse Neapo-
lim. Et, qui in ea venerunt, Neapolitani fideles tui narrant de Tunicii partibus hostes tuos intrasse
Siciliam in castro receptos, quod dicitur Achium, et inde ad Agrigentinam civitatem vocatos. Ad
quam tamen utrum transierint, ignoratur. Et dicitur, quod in eis erant CCC Theutonici et C
Latini milites et C cum arcubus Sarraceni. An a tergo comitivam expectarent maiorem, nescieba-
tur, sed certum est, quod contra eos tota Sicilia procedebat. Turbati sunt regnicole citra Farum
in mutuo et exactionibus aliis plus, quam credere velis aut valeas. Utinam magis crederes et ple-
nius scire velles. Nullo quidem poteris iuvare consilio, nullo fulcieri auxilio, si tu ipse, qui te
Domini pugilem confiteris, ipsum in suis ecclesiis et personis ecclesiasticis, viduis, orphanis et
aliis membris suis impugnas. De hiis autem omnibus scribit tui, prout credimus, magnitudini
venerabilis frater noster Albanensis episcopus. Venturus est etiam in proximo frater Amalricus de
Ruppe, per quem super hiis omnibus scire poteris veritatem. Illud vero iterato concludimus, quod
et scripsimus tibi nuper, ut ad Lombardiam intrandam nullatenus te involvas, ne ad anteriora
progrediens et posteriorum oblitus, quod avertat Dominus, non proficias, sed deficias in utrisque.
De Urbe aliud non habemus, nisi quod paulatim multiplicantur milites apud Sutrium et senator
magnas machinas imponi facit turribus quasi magnum aliquid temptaturus. An sint ista terroris
presidia, an gravius aliquid arbitretur sibi possibile, penitus ignoramus. Demum, quamvis de tuis
aliqui nobis scripserint et etiam tui nuntii dixerint, quod parandum esset in Urbe discidium, scias
tamen post collationes diversas nos adhuc nullum aditum invenisse. Pars enim non confidit de
parte, et ambe timent senatorem ut fulgur. Nec iuxta se potentiam magnam conspiciunt, per
quam possent expedite iuvare, quam etsi viderent, non essent ea contenti, nisi eisdem pecunie
puteus inexhaustibilis pararetur. Quicquid autem scribamus, finaliter credimus, quod, si te Dei
beneplacito coaptaveris in te et tuis corrigens, que tam Dei quam hominum oculos evidenter
offendunt, benefaciet tibi Dominus. Alioquin non credimus, quod dolentes referimus, tua nost-
raque negotia eo cursu posse procedere, quo ceperunt.

Datum Viterbii, XV Kalendas Octobris, anno III.

385.

Clemens IV. an S(imon de Brion, Kardinalpriester) von Santa Cecilia, (apostolischer Legat): fordert ihn auf, den Elekten (Gui d'Auvergne) von Vienne zum Erzbischof zu erheben, sofern sich alle Hindernisse ausräumen lassen.

1267 September 19, Viterbo

Dilecto filio S(imoni) tituli sancte Cecilie et cetera.

Super dubiis, que in negotio Viennensis ecclesie tibi scribis et asseris occurrisse, que sine nostra decidere conscientia noluit, tuam prudentiam commendamus, non quasi ad huiusmodi et maiora luculentius explicanda defectum aliquem patiaris, sed quia mandati, quod a nobis receperas, si quid forsan ambiguum continebat, nullus rectius nobis poterat, nullus securius verba discutere et eorum mentem excutere et excussam discretioni tue eo planius, quo et plenius, intimare. Sane recte de nobis sentiunt, qui nostre intentionis asserunt non fuisse, quod admitteretur postulatio alicuius, quem excommunicatum fuisse constaret eo tempore, quo fuerat postulatus, nec possumus intelligere, quid ad credendum oppositum aliquorum animos inclinaverit, cum in litteris, quas tibi direximus, excommunicationis mentio nulla penitus habeatur, sed inobedientie parcebatur, si per postulati procuratores eiusdem, quibus iniuncta fuerat, solutio decime, quam debebat, facta non extitit tempore competenti. Etsi culpam domini de suis bene procuratoribus sentientis eorum negligentia excusare non poterat, attenuare tamen videbatur in tantum, ut digna venia videretur. Quod si preter huiusmodi notam inobedientie excommunicationis obstaculum gravius supervenit, adhuc tamen, si dolo caruit postulatus procuratorum fidei se committens, si personarum condicio hoc habebat, ut eisdem committere merito se deberet, licet expers culpe non fuerit, qui negotiari cautius non curavit, adhuc tamen novam gratiam ei facimus, ad quam dictum non extendebatur rescriptum, ut, si probaverit vel iuraverit se predictis procuratoribus solutionem predictae decime ante adventum termini iniunxisse et postulationis sue tempore credidisse per eosdem procuratores extitisse solutam tempore prestituto et, ut scivit contrarium, <super> restitutione sibi celeri postmodum providisse et absolutionis beneficium impetrasse, tu, si canonicum aliud non obsistat et alias ad Viennensis ecclesie regimen inveneris eum idoneum, auctoritate nostra postulatione cassata ipsi ecclesie de eodem provideas ex nostre plenitudine potestatis.

Illud autem obesse nolumus, quod aliquorum spiritum perturbavit, quod scilicet dilectis filiis Viennensi capitulo de futuri pastoris electione tractantibus unus ex eis in hec vel equipollentia verba prorupit: „Quid queritis de archiepiscopo? Inter nos habemus bonum, Guidonem scilicet de Alvernia.“ Quem sigillatim protinus approbarunt omnes et singuli preter unum, qui tamen postmodum in eundem consentiens in hoc se petiit honorari, ut daretur sibi potestas ab omnibus eligendi pastorem ecclesie supradicte et ipse Guidonem postularet eundem, cui dicta potestas concessa dicitur nulla de dicto G(uidone) in concessione huiusmodi habita mentione, quamquam omnium esset intentio, quod de illo et non de alio provideretur eisdem. Verum, si omnes, qui simul quasi per inspirationem in unum consenserant, illam formam voluissent assumere, ut in unam convenirent personam, que consensus singulares eorum una pronuntiatione communis electionis exprimeret, et hoc in publico fieret, non in angulis et, antequam ad alia diverteretur negotia, quis hoc diceret vitiosum? Hoc quippe in electionibus compromissarii faciunt, qui, cum in unam personam eligendam convenerint, uni ex se ipsis tribuunt potestatem illam et nullam aliam eligendi. Cur ergo, quod licet compromissariis sic concordibus, toti capitulo in sua concordia non licebit? Ceterum, quod diximus hoc obesse nos nolle, nec diffiniendo protulimus nec ius etiam statuendo, sed, si quis in hoc defectus extitit, supplendum eum duximus et supplementum.

Tu ergo sicut fidelis et prudens ecclesie predictae compatiens procede viriliter in negotio iuxta prius et nunc etiam traditam tibi formam Deum semper habens pre oculis, cuius utique peculiare negotium agitur, quotiens de pontificis institutione tractatur.

Datum Viterbii, XIII Kalendas Octobris, anno III.

Clemens IV. an den römischen Adligen P(etrus) Romani (Papareschi): fordert ihn auf, sich der Kirche gegenüber treu zu verhalten und ihre Untertanen nicht zu belästigen.

1267 September 21, Viterbo

Dilecto filio nobili viro P(etro) Romani proconsuli Romanorum.

A tua non credimus excidisse memoria post offensas non modicas neque paucas, quibus unicam matrem tuam Romanam ecclesiam molestaveras, quam gratiose, quam plene, quam celeriter, quam iocunde te ad gremium redeuntem eiusdem cum omni mansuetudine receperimus. Nec tibi grave vel asperum quicquam iniunximus, quamvis ad nostra facienda mandata ante absolutionem obtentam iuramento astrictus fueris, quo et adhuc obligatus existis, nec oblivioni tradimus, quam generaliter, quam effuse te et tua nobis obtuleris absolutus spondens et vehementer affirmans, quod a devotione materna ac nostra nulla posses in posterum ratione divelli. Tue igitur incumbit prudentie, ut eorum non immemor, que per manum Romane ecclesie domum tuam multipliciter impinguarunt, et gratie per nos postea tibi facte nec non et obligationis, qua permanes alligatus sic ad nos et matrem tuam te in omnibus gerere, ne videaris ingratus filius et indignus obtentis gratiis et inhabilis ad futuras nec queras pilum in ovo sive nodum in cirpo ex causis frivolis contra fideles nostros colligens argumenta. Scimus enim, quid dixit: „*Occasiones querit, qui vult recedere ab amico*³¹⁵“, sed ambula in veritate nobiscum. Nullius enim iustitiam vel absorbere cupimus vel in modico mutilare, sed equanimiter ferre non possumus, quod nobis omnino contemptis et iustitiam nemini denegantibus terra nostra hostiliter invadatur.

Datum Viterbii, XI Kalendas Octobris, anno III.

Clemens IV. an den Abt des Benediktinerklosters Saint-Gilles: bestätigt ihm das Recht zur Ausübung der geistlichen Gerichtsbarkeit in der Ortschaft Saint-Gilles und ihrer Umgebung.

1267 September 21, Viterbo

Dilecto filio abbati monasterii sancti Egidii ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis ordinis sancti Benedicti Nemausensis diocesis.

Cum de villa sancti Egidii ad tuum monasterium pertinente traxisse noscamur originem, in qua tam nos longa, quam ibidem habuimus, conversatio quam familiaris et crebra privilegiorum tuorum inspectio nos ignorare non sinunt, quod in villa eadem et eius districtu in clerum et populum exercendi censuram ecclesiasticam habeas et habueris tuique predecessores habuerint plenariam hactenus potestatem, quam et tibi tuisque successoribus tenore presentium nichilominus duximus concedendam, exercendi eandem in omnes, qui in dictis villa et eius territorio seu districtu deliquerint seu contraxerint vel rei ratione in eisdem villa aut territorio consistentis ad vestrum iudicium fuerint evocati, cuiuscumque condicionis aut religionis seu ordinis vel etiam dignitatis extiterint episcopali dumtaxat quoad delicta et contractus excepta, auctoritate presentium plenam et liberam vobis concedimus facultatem non obstantibus privilegiis aut indulgentiis quibuscumque religionibus aut personis religiosis vel secularibus ab apostolica sede concessis seu

³¹⁵ Prv. 18,1.

etiam concedendis, cuiuscumque tenoris existant, etiamsi in eis de ipsis religionibus vel ordinibus aut personarum nominibus vel alia qualibet circumstantia aut ipsorum privilegiorum seu indulgentiarum tenore in totum vel in partem etiam de verbo ad verbum oporteat fieri mentionem, salva tamen, quoad privilegiatos et exemptos attinet, moderatione seu declaratione felicitis recordationis Innocentii pape IIII predecessoris nostri, cui superaddendum duximus in hac parte, ut occasione nostre liberalitatis huiusmodi generalis in exemptis seu privilegiatis personis ad delicta, que ad correctionem pertinent regularem, manus vestras minime porrigatis, utputa si prelati suis non obdierint, si habuerint proprium, si citra raptum seu violentiam carnis lubricum passi fuerint, que cum suis similibus suis maioribus relinqui volumus corrigenda, nam et civili cautum legimus sanctione, quod, licet militum delicta communia ad provincie presidis pertineant notionem, militaria tamen magistri militum iudicio relinquuntur. Nulli ergo *et cetera* nostre concessionis *et cetera*. Si quis *et cetera*.

Datum *ut supra*.

388.

Clemens IV. an König Karl I. von Sizilien: mahnt ihn, dem römischen Senator Heinrich von Kastilien die geforderte Geldzahlung zu leisten.

1267 September 24 oder 26, Viterbo

Carissimo in Christo filio C(arolo) regi Sicilie illustri.

Conquestus est nobis dilectus filius nobilis vir H(enricus) natus clare memorie F(erdinandi) regis Castelle, senator Urbis, quod super quadam eius pecunie summa penes te deposita iniuriarum eidem. Unde, cum non te deceat rem suam detinere contra voluntatem ipsius, celsitudinem tuam rogamus et hortamur attente, quatenus sic provideas super huiusmodi restitutione depositi, quod tue fame per hoc in aliquo non decrescat nec ei remaneat de te materia conquerendi, sciturus, quod eidem in hac parte suam querimoniam prosequenti negare non poterimus iustitie complementum.

Datum Viterbii, VIII/VI Kalendas Octobris, anno III.

389.

Clemens IV. an König (Ottokar II.) von Böhmen: dankt ihm für seine Mitwirkung bei der Befreiung des Patriarchen (Gregorio da Montelongo) von Aquileja; mahnt ihn, sich nicht mit den Feinden der Kirche zu verbünden.

1267 September 30, Viterbo

Carissimo in Christo filio regi Boemie illustri.

Excellentie tue dudum probata devotio, quam ad Romanam geris ecclesiam et ad personas ecclesiasticas in necessitatibus earundem ostendis, eo nuper indicio manifestius claruit, quod capto nuper venerabili fratre nostro patriarcha Aquilegensi te ad procurandam liberationem ipsius promptum nobis per tuas litteras obtulisti et, ne tam piam et humilem sponsonem occupatio quevis suspenderet, per te et venerabilem fratrem nostrum Salzбургensem archiepiscopum, ne-

potem tuum absolutionem eiusdem efficaciter procurasti, priusquam super oblati nostrum poses habere responsum. Quocirca de promissione tam grata et eius adimplerone tam prospera grates tibi quamplurimas referentes serenitatem tuam rogandam duximus et hortandam, quatenus sicut hactenus sic et in posterum in concepte devotionis instantia perseverans de bono semper procedas in melius, ut a rege regum et domino dominantium et in presenti gratiam et in futuro gloriam consequaris. Et nos, qui licet immeriti vices eius in terris gerimus, ad ea, que tui sunt commodi et honoris, accensi tuis semper crescentibus meritis vehementius animemur. Demum, licet pacem amare nos deceat, si comitem habeat veritatem, quia tamen sub pacis specie multa sepe paci contraria procurantur, magnitudinem regiam attentam reddimus et cautam esse volumus ac rogamus, ne cum inimicis ecclesie fedus in eas nec amicitia hiis, qui sunt contra Dominum, coniungaris salvo tamen in omnibus caritatis affectu, quem ipsis etiam inimicis precepit Dominus exhiberi, sciens, quod huiusmodi federa multorum merita denigrasse leguntur, quorum opera Deo placuerant ob hoc solum a Domino reprobata.

Datum Viterbii, II Kalendas Octobris, anno III.

390.

Clemens IV. an Philippe des Glis und die Johanniterbrüder im Königreich Sizilien: erteilt ihnen trotz der anderslautenden Bestimmung ihres Ordens die Erlaubnis, die Invasoren auf der Insel Sizilien zu bekämpfen.

1267 Oktober 15, Viterbo

Dilectis filiis fratri Philippo de Englis Hospitalis Ierosolimitani et aliis eiusdem ordinis fratribus in regno Sicilie constitutis.

Licet vestri ordinis habeat observantia contra solos arma vos sumere Sarracenos, quia tamen parum a Sarracenis differunt, immo secundum aliqua sunt deteriores eisdem carissimi in Christo filii nostri C(aroli) illustris regis Sicilie proditores, qui primo ad Sarracenos Tunicii transfugerunt et inde postmodum ingressi Siciliam cum incredule gentis auxilio quietem provincie perturbarunt se Deo et Romane ecclesie ac ipsi regi proditorialiter opposcentes, impugnandi eos cum armis viriliter et potenter in ecclesie et eiusdem regis subsidium nullo privilegio sedis apostolice nullaque constitutione vel observantia seu consuetudine vestre religionis obstantibus plenam vobis et liberam tenore presentium concedimus facultatem et laborem, quem pro tam pio negotio assumendum duxeritis, in remissionem vobis proficere volumus peccaminum presentibus post annum minime valituris.

Datum Viterbii, Idibus Octobris, anno III.

391.

Clemens IV. an G(uillaume) de Muideblé, Generalkapitän des Königreiches Sizilien diessseits des Faro: bedauert den Tod der Königin (Beatrix) von Sizilien.

(1267 nach September 23, Viterbo)

Dilecto filio G(uillelmo) de Modio Bladi militi, regni Sicilie citra Farum capitaneo generali.

Tuam commendamus prudentiam, quia sicut leta sic tristia nobis nuntias, cum scire nonnumquam expediat hec ut illa. Sane, licet de transitu talis et tante filie tum propter carissimum in Christo filium nostrum C(arolum) regem Sicilie illustrem tum propter communes eorum liberos inoffenso divino beneplacito doleamus, in hoc tamen consolationem recipimus, quia plene confidimus, quod, que tam pie, tam laudabiliter vixerat, vitam invenerit meliorem. In hiis ergo, que ad eius suffragia pertinebunt, intenti eidem regi consolatores mittimus magnos viros, qui dolorem ipsius levigent, de cuius speramus constantia, quod, quantumcumque in casu tam aspero dolendum videat, gaudendum in Domino minime dubitabit.

392.

Clemens IV. (an mehrere Bischöfe): gebietet ihnen, im Friaul eine Untersuchung der Gefangennahme des Patriarchen (Gregorio da Montelongo) von Aquileja durch Graf (Albrecht) von Görz, an der Bischof (Adalgerius de Villata) von Feltre maßgeblich beteiligt gewesen sein sollte, anzustellen.

O. D.

Horrendum facinus et sacrilegium detestabile, quod comes Goricie in venerabilis fratris nostri G(regorii) patriarche Aquilegensis captione commisit, multorum merito perturbavit auditum nostrum, tamen ac nostrorum fratrum precipue, quos eo gravius ex hac causa vulneravit dolor in intimis, quo preter excellentiam dignitatis habent hec spiritualia dicti merita patriarche, que tam apud sedem apostolicam commorans quam ad varia destinatus officia de bono proficiens semper in melius sibi multipliciter comparavit, propter quod eidem factam iniuriam nobis ipsis iudicamus illatam nec tam crudeliter tangi potuit, quin in eo nos pariter tangeremur. Addit sane super nostrum dolorem vulnere nuper ad nos missa delatio de venerabili fratre nostro Feltrensi episcopo, qui non solum huiusmodi tam scelesti factionis, quin etiam vel incentor vel actor dicitur ab aliquibus extitisse, quod, si veritatem haberet, tanto dampnabilius esset in ipso, quanto idem Aquilegensis ecclesie suffraganeus et patriarche predicto iuramento duplici fidelitatis astrictus multisque preventus honoribus et beneficiis ab eodem Dei timore postposito et honoris sacerdotalis gloria maculata, *fracto iugo ruptisque vinculis*³¹⁶ in patrem et dominum gravius et enormius impigisset. Verum, licet idem episcopus hec ab emulis sibi dicat imposita, qui confictis mendaciis innocentiam eius opprimere moliuntur, de hiis tamen in partibus Foroiiulii dicitur apud bonos et graves publice infamatus. Et non levis surgere contra ipsum videtur ex eo suspicio, quod duos ex suis fratribus captioni memorati patriarche interfuisse non negat, quamvis dicat ignorantes venisse nec ad ipsam opem vel operam prestitisse, sed obicitur ex adverso, quod non possunt per ignorantiam excusari, qui non solum capi viderant, sed etiam comitem associaverunt eundem usque ad castrum Goricii patriarcham ipsum perducentem captivum. Quos post scelus huiusmodi dictus episcopus in suis domibus receptasse dicitur, sicut prius et post captionem verba multa dixisse, per que apertius indicabat sibi, quod factum fuerat, placuisse, nec non et de ipso asseritur, quod liberationem patriarche non est veritus impedire, quod tamen memoratus episcopus infitiatur omnino.

³¹⁶ Ier. 2,20.

Nos igitur, qui iudicium nostrum impendere et iustitiam ponere volumus in mensura, cum in tanto negotio nichil agi deceat perfunctorie, sed exacta sit diligentia providendum, ne vel veritas occultata nocentem liberet vel divulgata falsitas obruat innocentem, fraternitati vestre per apostolica scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandamus, quatenus ad partes Foroiulii personaliter accedentes in locis, in quibus expedire videritis, super articulis, quos una cum interrogatoriis ab eodem episcopo nobis datis sub bulla nostra vobis mittimus interclusos, veritatem diligentissime perquiratis et inquisitam nobis remittere per nuntium proprium, quanto poteritis citius, nullatenus omittatis. *Contradictores et cetera. Testes et cetera.*

Datum Viterbii, anno III.

393.

Clemens IV. an König K(arl I.) von Sizilien: leitet einen Brief des königlichen Generalvikars in Sizilien, Fulco de Puy-Richard, an ihn weiter.

1267 Oktober 16, Viterbo

Carissimo in Christo filio C(arolo) regi Sicilie illustri.

Litteras venerabilis fratris nostri episcopi Albanensis, apostolice sedis legati nuper recepimus continentes interclusas quasdam alias litteras dilecti filii nobilis viri Fulconis de Podio Ricarii vicarii tui in Sicilia, quas interclusas presentibus tibi duximus destinandas, ut earum inspecto tenore deliberes ac provideas circa dictarum continentiam litterarum, prout videris expedire.

Datum Viterbii, XVII Kalendas Novembris, anno III.

394.

Clemens IV. an Amauri de la Roche, Meister des Templerordens in Frankreich: erlaubt ihm, die französischen Ordensniederlassungen zugunsten König K(arl I.) von Sizilien zu verpfänden.

1267 Oktober 23, Viterbo

Dilecto filio fratri Amalrico de Ruppe magistro domorum Militie Templi in Francia.

Intelleximus, quod tu carissimi in Christo filii nostri C(aroli) regis Sicilie illustris necessitates attendens ac gerens ad eum pie compassionis affectum domos Militie Templi in magistratu Francie tue gubernationi commissas nonnullis mercatoribus obligare proponis pro quibusdam pecuniarum summis certis eis terminis persolvendis, quas idem rex pro suis necessitatibus intendit mutuo recipere ab eisdem. Nos igitur tam pium in hac parte tuum propositum gratum et acceptum habentes devotionem tuam in Domino commendamus nichilominus dantes tibi faciendi obligationem huiusmodi plenam auctoritate presentium potestatem. Obligationem autem, quam dictus rex tibi faciet, de te et dictis domibus super hoc indempnibus conservandis, cum eam videbimus sigillo regio communitam, confirmatione sedis apostolice curabimus roborare.

Datum Viterbii, X Kalendas Novembris, anno III.

395.

Clemens IV. an König (Alfons X.) von Kastilien und León, erwählter römischer König: beglückwünscht ihn zu seinem Sieg über den König von Granada; verwirft seine Beschwerden über die Maßnahmen bei der Beilegung des deutschen Thronstreites.

1267 Oktober 23, Viterbo

Carissimo in Christo filio regi Castelle et Legionis illustri, in regem Romanorum electo.

De tuis successibus in omnibus et per omnia gratulantes in hiis gaudium maius recepimus, in quibus et tue celsitudinis honorem promovens temporalem et, quod maius est et iocundius, spiritualibus incrementis proficiens subactis hostibus fidei christiane divini nominis cultum amplias et dilatas honorem. Hoc quidem nobis tua nuper declaravit epistola, quam nobis intumare curasti, qualiter dante Domino detestabilis ille proditor, ille subdolos inimicus, rex Granate videlicet, cervicem ferream tuo tandem submisit imperio et speratur, quod reliquie barbarorum rebellium in brevi simile facere compellantur. Benedicimus igitur Dominum celi, qui tuo laudabili ministerio ecclesiam suam respiciens *bella conterit*³¹⁷, fidei comprimit adversarios in Yspanie partibus tam benivole favorem victoriae ad partes alias, cum in oculis eius acceptum fuerit, extensurus.

Sane super hiis, que scripsisti circa factum imperii, in quo videris conqueri de brevitate finalis termini et incertis auditoribus testium deputatis, tuam scire volumus magnitudinem nos omnia hoc perpenso statuuisse iudicio. Loca enim, que et quot petiit, tuo procuratori dedimus ad probandum, quamquam tunc nullus crederet audientium, quod in tot locis probationes haberes, et iam ad singula misimus personas providas et discretas, que testes audient, qui eis fuerint presentati, que profecto copiam sui facient et suam presentiam in locis publicis exhibebunt, ne procuratores partium, si affuerint, in incerto vagentur. Nec brevem debes causari terminum, qui fere anni spatium comprehendit, si pericula mundi circumspicis, si scissuras imperii, si detrimenta continua, si confusionem Ytalie, si Theutonie scandala, si ecclesiarum discrimina, si cetera tam in genere quam in specie perscrutaris, que ex parte pendent imperii vel scissura. Verum circa hec paucis agimus, quia per dilectum filium R. de Masano capellanum nostrum plurima tibi scripsimus et eidem dicenda commisimus, que te super universis et singulis reddere poterunt certiozem.

Datum Viterbii, X Kalendas Novembris, anno III.

396.

Clemens IV. an G(uido,) Kardinalpriester von San Lorenzo in Lucina, apostolischer Legat: gebietet ihm zum wiederholten Male, von seiner Legation zurückzukehren und den Platz für einen neuen Legaten in Deutschland freizumachen, was nun noch dringlicher geworden sei, weil Konradin (von Schwaben) bereits in Trient stehe.

1267 Oktober 25 oder 27, Viterbo

³¹⁷ Iudith 9,10.

Dilecto filio G(uidoni) tituli sancti Laurentii in Lucina presbytero cardinali, apostolice sedis legato.

Dudum tibi sub certa forma scripsimus, quod et nobis videbatur expediens et tuo consonum desiderio, ut rediturus ad requiem post laborem ad nostram presentiam te conferres, quod tamen ex causis, ut credimus, tibi magis quam nobis cognitius distulisti. Sane cogimur in instantis necessitatis articulo ad partes Alamannie generalem destinare legatum nec id ulterius differre possumus existente in ianuis semine reguli Corradino, qui Tridentum veniens et transire desiderans ad Veronam tempestatis magne materiam iam in Ytalie finibus concitavit. Eapropter discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus honori tuo consulens adventum legati venturi prevenias, cum longe sit honestius eum tibi succedere redeunti quam te eidem cedere venienti.

Datum Viterbii, VIII/VI Kalendas Novembris, anno III.

397.

Clemens IV. an R(aoul Grosparmi,) Kardinalbischof von Albano, apostolischer Legat: erteilt verschiedene Anweisungen hinsichtlich der Kirche (im Königreich Sizilien).

1267 Oktober 25 oder 27, Viterbo

R(adulfo) episcopo Albanensi, apostolice sedis legato.

De tuo reditu in Siciliam tu magis scire potes, quia terre vicinior, quid expediat, et idcirco tue prudentie te committimus sic te volentes providere negotio, quod provideas et persone nec inutiliter discrimini te exponas. Dari autem ecclesiarum monialibus, que supra vires facultatum suarum numerum sororum multiplicant, nostre intentionis nec extitit nec existit. Sed, si pro monialibus tibi scripsimus de Guileto, que de suis se asserunt facultatibus sustentari non posse, invitandi sunt circumquaque fideles ad subventionem earum et moniales per alia eiusdem ordinis monasteria dispergenda eisque numerus prefigendus, ad quem si semel redierint, eum ulterius non excedant. Confessionem Eunchi comitis Casertane penes nos esse non novimus et, quid super ea responderi debeat, ignoramus. Nec nos scienter *tali* commisimus administrationem ecclesie Casertane, sed volumus, quod non obstante commissione huiusmodi ad provisionem eiusdem ecclesie procedere non postponas. Idemque dicimus de Minorensi ecclesia, cum is, qui se pro electo gerebat, citatus, ut asserit, coram te noluerit comparere et satis postea fuerit expectatus.

Datum *ut supra*.

398.

Clemens IV. an R(aoul Grosparmi,) Kardinalbischof von Albano, apostolischer Legat: bittet ihn um Rat, welche Bischofssitze er zwei von König (Karl I. von Sizilien) begünstigten Franziskanerbrüdern, P(etrus) de Corneliaco und Olivarius, zukommen lassen könne; teilt ihm mit, daß Konradin (von Schwaben) in Trient stehe und sein Anhang wachse.

1267 Oktober 25 oder 27, Viterbo

Eidem.

Inquietamur incessanter a rege pro fratribus P(etro) de Corneliaco et Olivario Minorum ordinis cathedrandis, et inculcantur nuntii, et supplicationes exaggerantur immense. Nec recipere quales ecclesias, sed opulentas expectant. Rescribat nobis tua fraternitas, ubi eos collocare possemus.

Rex adhuc est in Tuscia, Corradinus Tridenti, ubi crescit eius societas. Et timemus, ne crescat amplius, quia eius avunculi duces Bavarie cum rege Boemie pacem habent, sicut rex ipsemet nobis scripsit. Mediolanenses autem cum parte sua veniunt Brixiam in manu valida, qui ad certamen se offerunt cum eodem. Nec creditur, quod invitis eisdem intrare valeat Lombardiam.

Datum *ut supra*.

399.

Clemens IV. an Erzbischof M(aurinus) von Narbonne: rät ihm, von seiner Irrmeinung über das Sakrament der Eucharistie abzurücken.

1267 Oktober 28, Viterbo

M(aurino) archiepiscopo Narbonensi.

Quanto sincerius personam tuam diligimus, tanto gravius perturbamur, cum ad nos ea de te perveniunt, que tui non decent officii gravitatem, et presertim cum in status tui vergunt periculum et honoris. Sane familiariter tibi scribimus illo dumtaxat conscio, qui presentem exaravit scripturam, ad nostrum pervenisse nuper auditum, quod tu in nostra existens curia cuidam magno viro tecum de sacramento altaris conferenti dixisti corpus Domini nostri Iesu Christi sanctissimum essentialiter in altari non esse, sed tantum sicut signatum sub signo, et hanc celebrem esse opinionem Parisius adiecisti. Repsit autem hic sermo latenter inter aliquos divulgatus et ad nos postremo perveniens scandalizavit nos plurimum, nec facile nobis exitit credere talia te dixisse, que heresim continent manifestam et illius sacramenti derogant veritati, in quo fides eo negotiatur utilius, quo sensum superat, intellectum captivat et suis legibus subicit rationem.

Eapropter tue fraternitati consulimus, ut non plus sapias, quam oporteat, nec imponas Parisiensibus, quod non sentiunt, sed fatearis humiliter et firmiter teneas, quod communiter tenet ecclesia, quod sancti docent et predicant, sub speciebus scilicet panis et vini post sacra verba iuxta ritum ecclesie ore sacerdotis prolata esse vere, realiter et essentialiter corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi, licet localiter sit in celo. Et, si forsitan habes memoriam, cui vel quibus asserueris, id scripto vel verbo revoces, ne de te male sentiant, qui male iudicant de tam insigni misterio te sentire.

Datum Viterbii, V Kalendas Novembris, anno III.

400.

Clemens IV. an König K(arl I.) von Sizilien: mahnt ihn, seinen Marschall J(ean de Brasseuse) mit einer Burg in der Provence auszustatten.

1267 November 6, Viterbo

Carissimo in Christo filio C(arolo) regi Sicilie illustri.

Cum dilectus filius I(ohannes) marescallus tuus tibi fideliter et instanter servierit pro honore tuo multis periculis corpus suum exponens nec quicquam grave reputans, quod utile tibi crederet vel etiam acceptum, decet tuam, ut credimus, excellentiam eius laboribus respondere pro meritis et devotum militem favore prosequi gratioso. Quocirca magnificentiam tuam rogandam duximus et hortandam, quatenus vel de castro de Trues, de quo totiens tractatum est tecum, vel de castro Misonis in Provincia vel alio, quod et dantem et accipientem deceat, ei taliter providere procures, quod et honori proprio satisfacias et idem miles recepisse se gaudeat ex fidelis obsequii tam proluxa continuatione proventum.

Datum Viterbii, VIII Idus Novembris, anno III.

401.

Clemens IV. an König K(arl I.) von Sizilien: erlaubt ihm, seine Kinder zu verheiraten, auch wenn dem eine verwandtschaftliche Beziehung im vierten Grad entgegenstehen sollte.

1267 November 6, Viterbo

Eidem.

Etsi coniunctio copule coniugalis in quarto consanguinitatis et affinitatis gradu sacris sit canonicis interdicta³¹⁸, apostolice tamen sedis providentia rigorem mansuetudine temperans super hiis dispensat interdum et, quod negat iuris severitas, de gratia benignitatis indulget, presertim cum necessitas exigit et causa rationabilis id exposcit. Cupientes igitur statum tuum ex omni latere stabiliri, ut liberos tuos utriusque sexus quibusvis personis matrimonialiter valeas copulare, etiamsi quarto consanguinitatis vel affinitatis gradu invicem se contingant, dummodo aliud canonicum non obsistat, auctoritate tibi presentium duximus indulgendum. Nulli ergo *et cetera* nostre constitutionis *et cetera*. Si quis *et cetera* quis *et cetera*.

Datum *ut supra*.

402.

Clemens IV. an Abt und Konvent des Klosters Saint-Gilles: übersendet ihnen eine Armreliquie des heiligen Georg sowie zwei Kandelaber.

1267 November 7, Viterbo

Dilectis filiis abbati et conventui monasterii sancti Egidii et cetera.

Ad decus et decorem monasterii vestri et devotionem peregrinorum et fidelium aliorum augendam, qui beati Egidii limina visitant et in posterum visitabunt, pretiosas reliquias vobis mittimus, brachium scilicet beati Georgii martiris gloriosi, cum duobus candelabris, que in processionibus vestris sollempniter cum cereis faculis idem brachium antecedant, statuentes, ut, quicumque dictas reliquias extrahere inde temptaverit, anathemati sempiterno subiaceat ipso facto.

Datum Viterbii, VII Idus Novembris, anno III.

³¹⁸ X 4.14.8.

403.

Clemens IV. an Bischof (Martinus) von Vercelli: löst ihn aus der Exkommunikation und widerruft die Enthebung von seinem Amt unter der Auflage, daß er zu einem festgesetzten Termin vor ihm erscheine.

1267 November 10, Viterbo

Episcopo Vercellensi.

Cum ex causis diversis rerum exitus male considerans excommunicationis et suspensionis sententias incurrisse et nichilominus divina celebrans et exercens episcopale officium magno te nimis exposuisses discrimini, tandem in nostra fratrumque nostrorum presentia constitutus imprimis errorem tuum humiliter confitens, in quem te iurisperitorum consilia traxerant minus sana, nostram misericordiam, non iudicium postulasti. Nos igitur attendentes, quod in ecclesie generali negotio te laudabiliter habuisti et Vercellensem specialiter civitatem in devotione Romane ecclesie direxisti, secundum formam ecclesie munus tibi fecimus absolutionis impendi et super irregularitate contracta quoad sacerdotale officium exercendum tecum dispensavimus liberaliter et benigne tibi sub debito prestiti iuramenti dedimus in mandatis, quod venerabilem fratrem nostrum archiepiscopum Tarentasiensem et suos, quos irreverenter offenderas, vel alios ad sedem apostolicam accedentes vel ab eadem ad propria remeantes per te vel alium non presumas nec in tuis civitate et diocesi permittas ab aliis, quibus possis resistere, molestari quodque nuntios huius sedis et litteras benigne recipias et, que tibi mandata fuerint, fideliter exequaris nec quicquam facias aut procures, quominus ad te libere ac secure valeant pervenire, et, si impedirentur per alios, impedimentum amoveas toto posse quodque in octava festivitatis Ascensionis Domini proxime venture personaliter coram nobis compareas mandatis nostris aliis pariturus nostramque sententiam, si quam dandam duxerimus, auditurus. Interim autem tibi de speciali gratia indulgemus, quod confirmandos crismare valeas et clericos ordinare, crisma conficere, tenere synodum et in magnis festivitibus nec non et pro defunctis, ubi ad funus presens fueris evocatus, in pontificalibus celebrare. Tu igitur in hiis fideliter observandis te taliter habere procures, ut ad largioris misericordie tibi gratiam exhibendam tuis meritis inducamur.

Datum Viterbii, IIII Idus Novembris, anno III.

404.

Clemens IV. an den römischen Senator Heinrich von Kastilien: teilt ihm mit, daß er seinen Vertrauten B(ernardus) Languisselli zu König K(arl I.) von Sizilien abgesandt habe, der mit diesem über den geplanten Vertrag zwischen König und Senator verhandeln solle.

1267 November 13, Viterbo

Dilecto filio nobili viro H(enrico) nato clare memorie F(erdinandi) regis Castelle et Legionis senatori Urbis.

Tuas pridie litteras et earundem latores benigne recepimus et, que tuo nomine proponere vulerunt, pleno collegimus intellectu, quibus viva voce respondimus et tue nobilitati tenore presentium respondemus, quod, cum super tractatu, quem nosti, ad carissimum in Christo filium nostrum C(arolum) illustrem regem Sicilie nuntium nostrum miserimus virum prudentem et providum magistrum B(ernardum) Languisselli archidiaconum Lantaresii in ecclesia Tholosana,

domesticum nostrum et nostre conscium voluntatis, donec redierit, precisum et certum tibi non possumus dare responsum. In eius vero reditu, quem celerem expectamus, cum eidem iniunxerimus, quod se verbis non sineret detineri, certius tibi poterimus respondere. Et, cum ad mentem benivolam habeamus, utile tibi credimus, quod eiusdem nuntii regressum expectes, nam, quodcumque nobis verbum attulerit, facile videre poterimus, an rex ad expeditionem vel ad dilationem intendat, et in utroque casu responsionem habebis a nobis, quam habere debebis acceptam.

Datum Viterbii, Idibus Novembris, anno III.

405.

Clemens IV. an S(imon de Brion,) Kardinalpriester von Santa Cecilia, apostolischer Legat: gebietet ihm, aus dem für König K(arl I.) von Sizilien bestimmten Zehnten die Geldforderungen des Infanten Heinrich von Kastilien zu begleichen.

1267 November 13, Viterbo

Dilecto filio S(imoni) tituli sancte Cecilie presbytero cardinali, apostolice sedis legato.

Cum carissimus in Christo filius noster C(arolus) illustris rex Sicilie pecunia nunc indigeat et maxime pro debito persolvendo, quo tenetur dilecto filio nobili viro infanti H(enrico) nato clare memorie *et cetera*, quod eidem dudum debuisset solvisse, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus de dicto debito usque ad summam, quam in eiusdem regis Sicilie litteris videris contineri, procuratoribus seu nuntiis eiusdem infantis de collecta iam in tua legatione decima eidem regi debita vel etiam colligenda tam prompte quam celeriter facias satisfieri, quod infans idem et procuratores ipsius expensis et laboribus pro repetitione eiusdem debiti ulterius non graventur nec inter eosdem regem et infantem scandalum aliquod valeat suscitari.

Datum *ut supra*.

406.

Clemens IV. stellt R(iccardo Annibaldi,) Kardinaldiakon von Sant'Angelo, (Giangaetano Orsini,) Kardinaldiakon von San Nicola in Carcere Tulliano, (Giacomo Savelli,) Kardinaldiakon von Santa Maria in Cosmedin, und M(atteo Rosso Orsini,) Kardinaldiakon von Santa Maria in Porticu, zusammen mit ihren Verwandten sowie deren Anhang und Besitz unter seinen Schutz, nimmt letztere von der Gerichtsbarkeit der römischen Kommune aus und hebt alle einschlägigen Sprüche auf, nachdem der römische Senator Heinrich von Kastilien Galvano Lancia als Vertreter Konradins (von Schwaben) in Rom aufgenommen und die römischen Adligen Napoleone und Matteo (Rosso Orsini,) Angelo Malabranca, Giovanni Savelli, Pietro Stefaneschi und Riccardo Annibaldi, allesamt Verwandte der Kardinäle, gefangengesetzt habe.

1267 November 16, Viterbo

Ad perpetuam rei memoriam.

Novi ac diri doloris aculeus nos tangit et pungit intrinsecus et in nobis quasi universalis ecclesie corporis interiora rimatur, dum nos reperientes in electis filiis et personis sublimibus pravitatem et ab hoste non expectato vulnera perferentes ex iam attemptate contra nos et eandem

ecclesiam tante temeritatis initiis deterioris et nequioris successionis dispendia verisimiliter formidamus. Ex manifestis siquidem indiciis et evidentibus argumentis non solum colligimus et liquido intuemur, sed quodammodo sensibilibus experimur, quod nobilis vir H(enricus) carissimi in Christo filii nostri regis Castelle illustris germanus, senator Urbis mansuetudinis regalis oblitus et generosos ac solitos mores ex officii assumptione corrumpens contra eandem ecclesiam matrem suam non leviter excessisse videtur, dum ipse ad senatorie assumptus officium contra ecclesiam ipsam eiusque devotos ad ipsius ecclesie terram nostro quasi subiectam conspectui manus occupatrices extendens et bona fidelium absque miseratione devastans et Galvanum Lanceam in Urbe cum armatis et expanso Corradini vexillo inducens se publicum predictae ecclesie et carissimi in Christo filii nostri C(aroli) illustris regis Sicilie hostem ac manifestum eiusdem Corradini se fautorem exhibuit et luculentis operibus publicavit dumque nobiles viros dilectos filios Neapoleonem et Matheum fratres, Angelum Malebrancha, Iohannem Sabelli, Petrum Stephani et Ricardum Petri Anibaldi germanos et consanguineos dilectorum filiorum R(icardi) sancti Angeli, I(ohannis) sancti Nicholai in Carcere Tulliano, I(acobi) sancte Marie in Cosmedin et M(athei) sancte Marie in Porticu diaconorum cardinalium, non ut in eos tamquam facinorosos animadverteret vel etiam delinquentes, non ut honori vel suo regimini provideret, sed ut contra eandem ecclesiam predictumque regem Sicilie suos amaros pavidosque conceptus in eosdem nobiles protervius pareret et impetuosos ac iracundos fluctus, quibus contra predictam ecclesiam et eundem Sicilie regem altiori indignatione et nequiori odio intumescens effertur, induceret super illos de tam numero Romano populo eos quasi ipsius ecclesie devotiores et predilectos filios et dicti regis Sicilie precipuos amatores preeligens et, ut ipsorum submotis obstaculis liberior ei inveniendi in fideles reliquos facultas pateret et praeperet fortiores, iniuriose cepit et carceri mancipavit in gravem ac intolerabilem nostram et apostolice sedis iniuriam et subversionem Romani populi libertatis.

Nos igitur, qui ad subvertendos tam animosos et inconsultos precipitesque dicti H(enrici) processus tanto animosiori virtute consurgimus et propensius provocamur, quanto per hoc dictum H(enricum) in fidelium perniciem ad continuanda huiusmodi incepte sue indignationis studia conspicimus aspirare, ipsius temerariis conatibus obviare volentes ac, si impiam manum eius contra nos aggravari contigerit eumque ira graviore succendi, ipsorum nobilium gravaminibus remediis occurrere oportunitatis predictos cardinales, fratres ac nepotes eorum ipsorumque familias ac vassallos, castra, domos ceteraque ipsorum mobilia et immobilia bona et iura sub apostolice sedis et nostra protectione suscipimus, ipsos et premissa omnia ab omni iurisdictione, iussione, imperio, obedientia et potestate predicti senatoris, vicarii et officialium eius ac communis Urbis eodem H(enrico) inibi presidente ipsiusque iudicum vel ministrorum, donec nobis et Romane ecclesie et dictis eius fidelibus satisfecerit, penitus eximentes omnia statuta, ordinationes, monitiones, citationes omnesque condemnationes, penas et banna, publicationes bonorum ceterosque processus, que per dictos H(enricum), commune, vicarios, iudices aut ministros eorum, quocumque nomine censeantur, aut predictorum seu alterius eorum auctoritate seu mandato contra predictos cardinales, fratres et nepotes eorum ipsorumque familias et vassallos aut eorum aliquem, castra, domos, bona et iura quomodolibet fieri vel promulgari contigerit seu haberi, apostolica auctoritate cassamus et nullius decernimus existere firmitatis eadem auctoritate stantes dictum H(enricum) et commune omnesque, qui eis vel eorum alteri contra huiusmodi nostrum decretum auxilium, consilium prestiterint vel favorem, si predictos cardinales, fratres vel nepotes ipsorum vel eorum aliquem huiusmodi pretextu incurrere aliqua detrimenta seu dampna contigerit, ad plenam eis satisfactionem prestandam ipsosque servandos prorsus indempnes in solidum et precise teneri non obstantibus quibuscumque statutis, consuetudinibus vel ordinatio-

nibus iuramento vel quacumque alia firmitate vallatis nec non iuramentis, cautionibus, obligationibus quibuscumque seu penis a predictis vel ipsorum aliquo prestitis vel exhibitis seu ipsorum fideiussoribus, a quibus tam ipsos quam fideiussores predictos duximus absolvendos.

Datum Viterbii, XVI Kalendas Decembris, anno III.

407.

Clemens IV. an König K(arl I.) von Sizilien: bestätigt den Empfang von 2000 Unzen Gold aus dem Lehnszins des Königs.

1267 November 16 oder 19, Viterbo

Carissimo in Christo filio C(arolo) regi Sicilie illustri.

Dilectus filius P(etrus) Farinelli clericus tuus ad nostram presentiam accedens duo milia unciarum auri, que de censu regni Sicilie a te debito in solutione proxime preterita nobis remanserant persolvende et de quibus usque in presentem diem tibi concesseramus indutias, dilecto filio P(etro) archidiacono Senonensi, camerario nostro ex parte tua iuxta nostrum beneplacitum et mandatum nomine nostro persolvit, idemque camerarius litteras suas super hoc clerico prefato concessit. Nos quoque nichilominus solutionem huiusmodi ratam habemus et de predictis duobus milibus unciarum nobis esse dicimus satisfactum.

Datum Viterbii, XVI/XIII Kalendas Decembris, anno III.

408.

Clemens IV. an König (Karl I.) von Sizilien: mahnt ihn, nachdem der römische Senator die gefangenen (römischen Adelligen) nicht freilassen wolle, bevor sein Vertrag (mit dem König) durchgesetzt sei, den päpstlichen Kaplan Magister B(ernardus) Languisselli umgehend zu ihm zurückzuschicken.

1267 November 20, Viterbo

Eidem.

Quid in Urbe accidit, scripsimus tibi nuper. Licet autem senator, ut liberaret, quos cepit, a cardinalibus fuerit requisitus, eos tamen noluit liberare, donec videret, quem haberet exitum tractatus, quem nosti. Ideoque serenitatem tuam rogamus et hortamur attente, quatenus dilectum filium magistrum B(ernardum) Languisselli capellanum nostrum, quem ad te misimus, non teneas diutius, sed eum ad nos remittas quantocius expeditum.

Datum Viterbii, XII Kalendas Decembris, anno III.

409.

Clemens IV. an O(ttobono Fieschi,) Kardinaldiakon von Sant'Adriano, apostolischer Legat: überläßt es seinem Gutdünken, die Legation in England niederzulegen und nach Santiago de Compostela zu pilgern; gebietet ihm, die Situation der Kirche in Spanien zu beobachten; unterrichtet ihn über die Lage König (Karls I.) von Sizilien in Tuszien, über die Gefangennahme der römischen Adelligen durch den Senator Heinrich von Kastilien, über die Erfolge Konradins (von Schwaben) in Norditalien sowie

über den Aufstand auf der Insel Sizilien, dessen Führung der Infant Friedrich von Kastilien übernommen habe.

1267 November 23, Viterbo

Dilecto filio O(tobono) sancti Adriani diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Cum et nobis tua presentia, quam Romane ecclesie multum utilem esse novimus, plurimum sit accepta et negotium regni Anglie nimis tenerum, si te cito eidem subtraxeris, pati possit naufragium repentinum, quid tibi ad reditum aspiranti respondendum sit, ignoramus. Laborasti siquidem satis diu, et te Dominus in tuis laboribus honestavit et humano iudicio iam complevit eosdem, nisi forsitan Anglicane gentis mobilitas, quod timetur, iterato surgat in scandala solita levitate. Sane, quia tu melius scire potes, quid te deceat, quid expediat regno Anglie, quid ecclesie matri tue, te tue prudentie duximus committendum et in tua ponimus libertate moram pariter et recessum sperantes, quod ita rem temperes, ut et tue persone periculo et ipsius terre naufragio temporum oportunitate servata remediis obvies oportunis. Quod si, prout nobis est intimatum, legationem exiens beati Iacobi limina visitandi petis licentiam, eam tibi concedimus liberaliter et benigne, aut, si fortassis te tuis pensatis viribus executio voti gravat, ad nos redeas recta via, et tibi providebimus voto in melius commutato. Quod si omnibus modis illuc eundum duxeris, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus statum ecclesiarum Yspanie, qui multum collapsus dicitur, diligenter inquiras, ut super eo in tuo reditu, quem *prosperum Deus faciat*³¹⁹, nos possis reddere certiores.

De statu nostro noveris, quod corporis sospitate gaudemus angustiis variis circumsepti. Rex Sicilie diu fuit in Tuscia et adhuc in obsidione Podii Boniti detinetur potestas factus Florentie, Pistorii, Luce et aliarum quarundam terrarum et a nobis paciarius Tuscie constitutus adversantibus eidem Senensibus et Pisanis et pluribus Gibellinis. Cum quibus Romani societatem inire disponunt cum senatore suo H(enrico) regis Castelle filio. Qui Sutrium nobis abstulit et Vetrallam vastavit exterius et in Urbe cepit viros nobiles Neapoleonem et Matheum fratres, Angelum Malabranca, Iohannem Sabelli, Petrum Stephani et Ricardum Petri Anibaldi, quorum aliquos de nocte extrahens transtulit Monticellum. Multique alii magni viri in suis castris morantur nec ad eum volunt accedere de se simile formidantes. Nos, quantum possumus, guerram fugimus Romanorum, sed timemus, ne et nos et regem Sicilie cum eisdem finaliter male concordare possimus. Corradinus est Verone cum Ludovico duce Bavarie et comite Tirolensi et modica militum comitiva, sed habet totam Lombardiam preter Papiam et Marchiam Tervisinam contrarias. Et credimus, quod cum confusione recedet, si Lombardi stabiles perseverant. Pars magna Sicilie rebellavit cum quibusdam exulibus, quorum factus est capitaneus Fredericus regis Castelle filius de Tunicio veniens cum eisdem.

*Sicut fuerit voluntas in celo, sic fiat*³²⁰. In Deo confidimus et, quod est hominis, faciemus. Orationes nobis congrega devotorum, nam illis plurimum indigemus.

Datum Viterbii, IX Kalendas Decembris, anno III.

³¹⁹ Ps. (G) 67,20.

³²⁰ 1. Macc. 3,60.

410.

Clemens IV. an Barral des Baux, sizilischer magister iustitiarius: macht ihm Vorwürfe, daß er die Neuwahl des Lorenzo Tiepolo zum Podestà von Fermo befördert und zu wenig gegen die Unterstützung Fermos aus den Abruzzen unternommen habe.

1267 November 23, Viterbo

Dilecto filio nobili viro Barralo domino Baucci, regni Sicilie maiori iustitiario.

Non sine cordis amaritudine cogimur tibi scribere, quod dudum utique scripsissemus, si fidem subito dedissemus auditis, sed iam totiens inculcatis rumoribus tacere non possumus, quod mirabiliter abhorremus. Iam pluries de Marchia per diversos scriptum est nobis, quod Laurentius Tepuli noster et Romane ecclesie pestilentissimus inimicus in potestatem se fecit eligi denuo Firmanorum tuis ostensis litteris continentibus, quod secure hoc faceret nec regem propter hoc formidaret. Sane, si guerram nobis faceret totus mundus, te numquam habere speravimus inimicum, cui semper fuimus gratiosi, cui cor nostrum in omnibus aperuimus tuis compassi molestiis et profectibus congaudentes. Habemus etiam unum malum rei huiusmodi indicium, quia compluries de Aprucinis conquesti fueram, qui Firmanis favebant. Quamvis regis et tuum responsum habuimus multum plenum, non tamen nobis profuit, immo in dampno nostro iugiter perseverant. Ubi igitur fides, ubi devotio, si iam nobis illi deficiunt, quibus facimus, quicquid possumus? Novos certe faciemus amicos a veteribus derelicti, et accidat, quod accidere poterit, quia suam Deus ecclesiam non relinquet.

Datum Viterbii, IX Kalendas Decembris, anno III.

411.

Clemens IV. an die Rektoren der Fraternitas Romana: gebietet ihnen, die Exkommunikationssentenzen gegen Konradin (von Schwaben,) Pisa und Siena in San Pietro und in anderen Kirchen Roms zu veröffentlichen.

1267 November 26, Viterbo

Dilectis filiis rectoribus Romane Fraternitatis.

Mittimus vobis per latorem presentium sententias, quas in octavis beati Martini tulimus contra Conradinum quondam Frederici Romanorum imperatoris nepotem, Pisanos et Senenses et fautores eorum, discretioni vestre in virtute obedientie per apostolica scripta mandantes, quatenus in beati Petri et aliis Urbis ecclesiis, in quibus huiusmodi publicatio fieri consuevit, per vos vel alios publicetis easdem et, quos per eas ligavimus, singulis diebus dominicis et festivis pulsatis campanis et candelis extinctis excommunicatos denuntietis aut denuntiari per alios faciatis.

Datum Viterbii, VI Kalendas Decembris, anno III.

412.

Clemens IV. an König Karl I. von Sizilien: empfiehlt ihm seinen Kaplan, den Archipresbyter von Volterra, der ihn über die Entwicklung in Rom unterrichten soll.

1267 November 26, Viterbo

Carissimo in Christo filio C(arolo) regi Sicilie illustri.

Dilectum filium archipresbyterum Vulteranum, capellanum nostrum, qui de terrarum istarum et personarum condicionibus multa novit et in quo confidere bene possumus, ad tue magnitudinis destinamus presentiam, qui specialiter super hiis, que negotium Urbis contingunt, plenius poterit te instruere, cui credas in hiis, que ex parte nostra duxerit proponenda.

Datum *ut supra*.

413.

Clemens IV. an König Karl I. von Sizilien: empfiehlt ihm Erzbischof (Johannes) von Tyros, der ihn über die Entwicklung in Rom unterrichten soll.

1267 November 26, Viterbo

Eidem.

Quod in Urbe contigit, scripsimus tibi nuper, iniuriam scilicet viris nobilibus consanguineis et amicis dilectorum filiorum nostrorum I(ohannis) sancti Nicholai in Carcere Tulliano, I(acobi) sancte Marie in Cosmedin, M(athei) sancte Marie in Porticu diaconorum cardinalium ipsorum captione per senatorem illatam. Qua senator ipse postmodum non contentus uxores et familias nobilium eorundem domos suas exire compulit et tam illas quam ecclesiam sancti Petri et domum nostram, quam ibidem habemus, propria temeritate occupans Theutonicis et aliis ecclesie inimicis munivit et, prout humano potest perpendi iudicio, facere deteriora proponit. Ideoque venerabilem fratrem nostrum, archiepiscopum Tirensem ad tue celsitudinis presentiam duximus destinandum, cui in hiis, que circa premissa ex parte nostra tibi dixerit, fidem indubitatum adhibere procures.

Datum *ut supra*.

414.

Clemens IV. an Abt und Konvent des Klosters Cluny: legt ihnen nahe, im Streit des Klosters Charlieu mit den Franziskanern von Burgund um ein Gebäude in Charlieu einen gütlichen Ausgleich anzustreben.

1267 Dezember 12, Viterbo

Dilectis filiis abbati et conventui monasterii Cluniacensis.

Orta dudum inter vos et dilectos filios priorem et conventum Cariloci ex parte una et dilectos filios ministrum ac Fratres Minores Burgundie ex altera occasione domus cuiusdam, quam in villa Cariloci acquisierant, in qua sibi mansionem elegerant pro salute fidelium, quibus inibi posse

multum proficere se credebant, vobis et dictis monachis Cariloci verbis simul et factis opponen-
tibus vos eisdem gravis materia questionis pro huiusmodi tollenda discordia olim multa a felicis
recordationis Alexandro et Urbano Romanis pontificibus predecessoribus nostris diversa et sub
formis diversis noscuntur emanasse rescripta, sed et carissimus in Christo filius noster L(udovi-
cus) rex Francie illustris et plures alii magni viri plurimum laborarunt, et nos insuper, cum minori
fungeremur officio, ad hoc dedimus opem et operam, quas potuimus, sed pax hactenus nulla
potuit inveniri. Sane nuper dilectorum filiorum ministri et Fratrum Minorum Burgundie
procuratoribus in nostra presentia constitutis sustinere nolimus inter eos ordinari iudicium, sed
ex nostro dumtaxat officio indulgentias et rescripta, quibus poterant se iuvare, nobis fecimus
exhiberi, quibus diligenter inspectis, quamvis magnum favorem exprimerent, quem ad Fratrum
Minorum ordinem apostolica sedes habuit, cuius iudicio specialiter regitur totus ordo, nos nichilominus advertentes, quod et vos estis Romane ecclesie filii speciales, procedendum non duximus
ad contentionem huiusmodi sententialiter dirimendam, sed voluimus, quod supersedeant dicti
fratres a predicti prosecutione negotii, donec aliud nobis placuerit ordinare.

Cum igitur iidem fratres nostris per omnia beneplacitis equanimiter se coaptent, devotioni
vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus et vos ad eosdem caritatis visceribus affluentes
deliberetis vobiscum, quid magis vos deceat, quid et vobis magis expediat, an benivole fratres
admittere certis pactionibus adhibitis an sedis apostolice prestolari censuram, que peculiari gregi
suo compatiens multo forsitan tempore sustinere non poterit suorum *scandala pusillorum*³²¹.

Datum Viterbii, II Idus Decembris, anno III.

415.

*Clemens IV. an (Raoul Grosparmi,) Kardinalbischof von Albano, apostolischer Legat: bestätigt nach-
träglich die Erhebung der Bischöfe (Marcus de Assisio) von Cassano, (Philippus) von Caserta und
(Benedictus?) von Ascoli Satriano durch ihn.*

(1268 vor April 20, Viterbo)

R(adulfo) episcopo Albanensi, apostolice sedis legato.

Licet nostris tibi dederimus litteris in mandatis, ut Fratres Minores, qui post constitutionem
ab apostolica sede super hoc editam essent ad archiepiscopatus vel episcopatus aut alias dignitates
absque generalis ministri ordinis eorum vel provincialium, qui forent pro tempore, licentia et
consensu aut predictae sedis speciali mandato in tua legatione promoti, ad nos ab officio et bene-
ficio mittere procurares suspensos, quia tamen venerabilem fratrem nostrum Marchum epis-
copum Cassanensem, <in quem eligendum capitulum Cassanense> absque ministri sui licentia
et mandato tuo consenserat, confirmasti et tam ipsum quam venerabiles fratres nostros
Philippum Casertanum et Esculanum episcopos, de quibus Casertane et Esculane ecclesiis pro-
videras, fecisti in episcopos consecrari, fraternitati tue in hac parte deferre et eorum ecclesiis pro-
videre volentes, quod per te actum est super hiis, circa illos ratum habemus et firmum ac robor
firmitatis volumus obtinere defectum, si quis in premissis extitit, supplentes de apostolice ple-
nitudine potestatis constitutione predicta quantum ad fratres alios in suo robore duratura.

³²¹ Matth. 18,6.

416.

Clemens IV. an (Raoul Grosparmi,) Kardinalbischof von Albano, apostolischer Legat: erteilt ihm verschiedene Anweisungen zur Besetzung von Kirchenämtern (im Königreich Sizilien).

1268 Januar 14 oder 15, Viterbo

Eidem.

Licet de quibusdam episcopatibus nobis scripseris, quod valorem XXX unciarum auri excedunt, quantum plus valeant, non scripsisti, et idcirco, que persone querende sint ad eorundem regimen, ignoramus. Si ergo modicus est excessus, provideat eis tua fraternitas, prout viderit expedire. Sciasque, quod nobis frequenter extitit supplicatum pro Fratre Philippo Minore, qui diu lector fuit in ordine et minister, ut dicitur, provincialis in regno et in predicationibus plurimum gratosus. Da ei locum, si potes, et nos iterum instrue, an id de fratre P(etro) de Corneliaco facere debeamus. Ad abbatias, de quibus nobis scripsisti, regendas bonos queremus monachos, si eos possumus invenire.

Datum Viterbii, XIX/XVIII Kalendas Februarii, anno III.

417.

Clemens IV. an (Raoul Grosparmi,) Kardinalbischof von Albano, apostolischer Legat: fordert ihn auf, zu ihm zu kommen, wenn König (Karl I.) von Sizilien in sein Reich zurückgekehrt sei, und für die Zeit seiner Abwesenheit einen Vikar einzusetzen, der die Geschäfte der Legation übernehmen solle.

1268 Januar 14 oder 15, Viterbo

Eidem.

Quia multa tibi habemus dicere, que scripto nolumus commendare, volumus, quod, postquam carissimus in Christo filius noster rex Sicilie regnum suum intraverit, ad nos venias personaliter tua tamen legatione manente et ibidem dimisso vicario, qui absentiam tuam suppleat, donec redieris ad eandem.

Datum *ut supra in proxima.*

418.

Clemens IV. an S(imon de Brion,) Kardinalpriester von Santa Cecilia, apostolischer Legat: spricht ihm Trost zu, weil er sich bei einem Reitunfall am Schienbein verletzt habe; teilt ihm mit, daß Konradin (von Schwaben) in Verona stehe und daß König K(arl I. von Sizilien) trotz der ungünstigen Lage auf der Insel Sizilien bislang nicht zu bewegen sei, aus Tuszien in sein Reich zurückzukehren.

1268 Januar 14 oder 15, Viterbo

Dilecto filio S(imoni) tituli sancte Cecilie presbytero cardinali, apostolice sedis legato.

Equum tuum nuper audivimus cecidisse et in casu te lesum in tibia, quod non leviter nos turbavit in hoc tamen gavisos, quod, qui te ledi permisit, *collidi noluit, sed supposuit manum*

*suam*³²². *Omne igitur gaudium, cum in varias incideris temptationes, existima*³²³ et easdem tamquam sollempnes nuntios summi regis letanter excipe, quos nec vacuos nec sine honore dimittas, quod utique facies, si *disciplinam Domini non abiciens*³²⁴ agensque gratias inter verbera patrem intelligas verberantem, qui filium illum, quem diligit, *ad internecionem non percutit*³²⁵, sed potius ad salutem. Nos sane sanctarum orationibus personarum iuvari te apud Dominum faciemus, quibus nostras licet eisdem impares immiscebimus in te sanitatem optantes hominis utriusque. Tu vero, cum receperis corporis sanitatem, per tuas litteras patrem letifica audire de te prospera cupientem.

De statu Ytalie noveris eum non mediocriter esse turbatum. Adhuc enim Corradinus, Ludovicus dux Bavarie et comes Tirolensis cum pluribus aliis sunt Verone. Et, cum finitimas civitates allidere sibi nequeant, intendunt venire Papiam, si possunt. Quod si poterunt, timetur probabiliter, ne grandis concussio subsequatur. Rex noster obtento per pacem castro Podii Boniti, licet a nobis fuerit revocatus, ut dampnis occurreret regni sui et potissime in Sicilia, cuius partem magnam amisit, in tantum in Pisanos exarsit, quod eorum fines depopulans regnum proprium videtur penitus oblivioni dedisse, quod multum nobis displicet. Et utinam eius intentio felicem exitum sortiatur.

Datum *ut supra in proxima*.

419.

Clemens IV. an König (Ludwig IX.) von Frankreich: unterrichtet ihn über den Aufschub des Kreuzzuges ins Heilige Land und über seine Verhandlungen mit Eduard von England wegen dessen fraglich gewordener Teilnahme, über das Erbe der Königin B(eatrix) von Sizilien, über seine Verhandlungen mit König K(arl I.) von Sizilien, über den Sinn einer Legation in Aragón, über die Schwierigkeiten bei der Neubesetzung der Legation im deutschen Reich, über die Lage der Kirche in Frankreich sowie über die Auseinandersetzungen in England.

1268 Januar 14, Viterbo

Carissimo in Christo filio regi Francie illustri.

Que per dilectum filium R(ogerium) priorem Vallis Viridis iuxta Parisius Cartusiensis ordinis tua nobis sublimitas intimavit, diligenter audita pleno collegimus intellectu, ad que taliter respondemus, quod de passagio est dispositum, licet protractio sit in Terre Sancte discrimen, tolerandum est tamen et carebit periculo, si terra interim provide sustentetur. Sane dilectus filius vir nobilis Eduardus carissimi in Christo filii nostri illustris regis Anglie primogenitus nuper petiit a nobis consilium de voto crucis, ad quod satis erat dispositus, emittendo petens auxilium, <si> eiusdem propositum laudaremus, ad quod urgente conscientia non sine magna deliberatione respondimus, quod, cum pax Anglie multum sit tenera et amaricati multorum animi proni credantur et faciles ad malitie veteris recidivum, patrem senem dimittere inter tales tutum minime putabamus eidem, sed nec a nobis auxilium expectare poterat, quod petebat, cum subiecta quatuor oneribus successive Anglicana ecclesia quintum commode nequeat expectare. Primum fuit, quod in scismate suscitato prelati singuli importabiles portaverunt expensas, secundum, quod predonibus nemine cohibente crassantibus extiterunt omnes ecclesie spoliatae, tertium, quod, cum a

³²² Ps. (G) 36,24.

³²³ Iac. 1,2.

³²⁴ Prov. 3,11.

³²⁵ Deut. 7,2.

partibus cismarinis exercitum contra se dirigi formidarent, factiosis regni baronibus de proventibus ecclesiasticis decimam concesserunt, quartum, quod nos in predicti penam excessus, cum essemus ad apicem apostolatus assumpti, aliam decimam dari mandavimus regi suo. Verum de collectis ab olim in illis partibus pro subsidio Terre Sancte, quantum possent ascendere et an inde competenter iuari posset, erat nobis incognitum, sed hoc melius scire poterat per legatum. Ad hec autem dicenda, ut diximus, conscientia, cui facere vim noluimus, nos coegit, et forsitan aliud dixissemus quantum ad primum argumentum, de cruce scilicet assumenda, si tibi consulere valeremus, quod te et tuos firmis astringeres cautionibus de iuvanda fideliter domo Anglie, si filio tecum prosequente crucis negotium in regno Anglie guerra nova domui moveretur eidem, sed de hoc, quia tibi non credebamus expediens, nullam omnino fecimus mentionem.

De clare memorie B(eatrice) illustri regina Sicilie, an testata decesserit vel intestata, nescimus, sed faciemus secretius veritatem inquiri per venerabilem fratrem nostrum R(adulfum) episcopum Albanensem, et, quicquid invenerimus, illud scies.

Porro de questionibus, quas habes cum carissimo in Christo filio nostro C(arolo) illustri rege Sicilie, credebamus tibi responsum nec non et de decima regni Sicilie per dilectum filium Gaufridum de Bello Monte cancellarium Baiocensem, nam nobiscum rex idem condixerat in Viterbio de certis responsionibus tue magnitudini faciendis, que, licet ad unguem exposite non essent, satis tamen poterant tolerari, sed, quoniam a nostra recedens memoria diu distulit eum emittere, potuit mutare consilium et variare responsum, super quo eum, cum de Tuscia venerit, alloquemur.

Ad carissimum in Christo filium nostrum illustrem regem Aragonum legatum mittere cardinalem nec decet nec expedit, quia tenuis esset legatio et angusta nec regnorum suorum decima ad decem milia, prout dicitur, librarum ascendit. Paratus tamen rex esset ad transitum, si pecunia non deesset.

Dudum autem in Alamanniam misissemus, sed in querenda persona idonea laboramus, quam expedit talem esse, que te et fratrem diligat, sciat, velit et valeat elusis Corradini conatibus honorem ecclesie ac bonum statum imperii promovere et insuper viris illustribus de imperio contententibus nulla ratione suspecta purum habeat animum, puras manus. Et, quod hic deest, sub sigillo tibi scribimus piscatoris.

De cotidianis distributionibus et indulgentia danda solventibus fideliter decimam legato Francie respondemus.

De clericis coniugatis iuribus contenti iam scriptis nichil adhuc duximus innovandum, quamquam pluries inter fratres de hoc moverimus questionem.

Demum, si gratiam tibi et primogenito tuo factam in evidens preiudicium prelatorum, de qua nobis pluries sunt conquesti, ad alios filios et nepotem extendere noluimus, tua serenitas non miretur. Minuenda sunt enim scandala, non augenda, et, quod dolentes referimus, de te et tuis conqueruntur plures ecclesie regni tui, pro quibus sepius tibi scripsimus, nec audivimus aliquid emendatum. Quid ergo est aliud, ut *Deo magis quam homini placeamus*³²⁶, prelati ecclesie arma sue defensionis auferre quam inermes eos exponere spoliandos senescallis, prepositis et bedellis, etiam viris aliis pestilentibus, *qui nec Deum timent nec hominem reverentur*³²⁷? Scimus, quod, cum hec fiunt, dicitur, quod et credimus, de tua conscientia non procedere. Sed quid prodest, quod de tua non exeunt conscientia et in tuam venire scientiam non sinuntur? Quod si super hiis littere pluries inculcate tue sunt celsitudini vel tuis consiliariis onerose, scire te volumus, quod propter hoc desistere non proponimus ab incepto, quia parum te diligunt, qui palliationes querunt in

³²⁶ Act. 5,29, 1. Thess. 2,4.

³²⁷ Luc. 18,2, 4.

talibus, tuque minus, si, quod absit, salubris exhortationis impatiens *magistros prurientes auribus coacervas*³²⁸.

De comitissa Leycestrie et eius liberis scias, fili carissime, quod eisdem in iustitia non deerimus nec defuimus et illustris rex Anglie nostri propositi non ignarus habuit suum et habet contra eos in nostra curia defensorem, sed quiescere potuit hactenus pro eis nemine comparente.

Equanimiter porta, quod scribimus de locis aliquibus seu personis a decima eximendis. Quod ad nostram secretam litteram respondisti, gratum habuimus et acceptum.

Datum Viterbii, XIX Kalendas Februarii, anno III.

420.

Clemens IV. an Rektoren, Rat und Kommune von Città di Castello: verbietet ihnen, Häuser und Besitz ihres verstorbenen Mitbürgers Ugucione (di Ugolino) zu zerstören, weil sowohl die römische Kirche als auch O(ttaviano Ubaldini,) Kardinaldiakon von Santa Maria in Via Lata, Ansprüche darauf hätten.

1268 Januar 16, Viterbo

Rectoribus, consilio et universitati Civitatis Castelli spiritum consilii sanioris.

Cum et nos et Romanam ecclesiam multipliciter offenderitis sitque vobis consultius graves vestros excessus congrua satisfactione redimere quam accumulatis offensis penis nos gravioribus obligare, vobis universis et singulis sub debito iuramenti, quo nobis et ecclesie Romane tenemini, et pena mille marcharum salva semper impositione maioris, si facti qualitas hoc exegerit, per apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatenus ad diruendas domos seu bona alia dissipanda, que quondam Huguichio vester concivis miserabili nuper sorte preemptus mortis sue tempore detinebat, manus vestras extendere minime presumatis. Alioquin omittere non poterimus, quin contra vos et vestra spiritualiter et temporaliter, quantum expedire viderimus, procedamus, tum quia bona eadem cum dictis domibus pro Romana vendicamus ecclesia tum quia dilectus filius noster O(ctavianus) sancte Marie in Via Lata diaconus cardinalis ea firmiter asserit esse sua nostroque incumbit officio tam nostra quam eiusdem cardinalis, si qua sunt, iura defensionis nostre presidio communire.

Datum Viterbii, XVII Kalendas Februarii, anno III.

421.

Clemens IV. an Iacobinus Rossi, Adliger von Parma: verweigert die Zustimmung zu seiner Einsetzung als Podestà der unter Exkommunikation und Interdikt stehenden Stadt Fermo.

1268 Januar 16, Viterbo

Dilecto filio nobili viro Iacobino Rubeo civi Parmensi.

In terris fidelium si tibi forsitan regimen offerretur, tuo multum congauderemus honori, cum te tuamque domum nobis et ecclesie Romane devotam et fidelem in omnibus arbitremur. Sane,

³²⁸ 2. Tim. 4,3.

cum civitas Firmana super omnes alias terras nostras infidelitate sit plena nec ius habeat potestatem creandi, quo per sententiam est privata, sitque locus suppositus interdicto et cives insuper excommunicationis sententia innodati, in hoc tibi favere non possumus, ut de nostro beneplacito in tue salutis interitum paris excommunicationis laqueis te imprudenter involvas reprobatum eorum officium assumendo. Si enim talem tibi daremus assensum, et peccati essemus auctores et ius, quo sunt iuste privati, reddere videremur eisdem, quod utique non intendimus, immo, quicquid accidere inde possit aut debeat, procedemus favente Domino gravius contra ipsos.

Datum *ut supra in proxima.*

422.

Clemens IV. an den Bischof von Como, (Raimondo della Torre), und seine Brüder (Napo und Francesco): empfiehlt ihnen Bischof (Gaillard d'Oursault) von Bethlehem, der zusammen mit Erzbischof (Filippo Fontana) von Ravenna, apostolischer Legat, das in Brescia angeblich an ihnen begangene Unrecht ausräumen solle.

1268 Januar 17 oder 20, Viterbo

Venerabili fratri episcopo Cumano et dilectis filiis nobilibus viris germanis eius.

Cum inter alios ecclesie Romane devotos, quos Ytalie spatia continent, domus vestra fervoris precipui communi iudicio possit et debeat gloriari, si quid Brixie factum fuit, quod ambigua relatione didicimus, vestro statui vel honori contrarium, id nobis noveritis displicere. Verum, quia variis varia referentibus rei geste plenam notitiam non habemus, venerabilem fratrem nostrum G(ailardum) Bethlemitanum episcopum notum vobis vestrumque fidelem amicum ad partes illas duximus destinandum, qui venerabilem fratrem nostrum archiepiscopum Ravennatensem, apostolice sedis legatum excitet, sed et ipse, quod poterit, faciat ad scissuram predictam ad honorem divini nominis et utilitatem totius provincie cum nostro beneplacito reparandam et ea rediens nobis nuntiet, que nos reddant et teneant letiores. Ipsi autem episcopo super hiis, que vobis ex parte nostra dixerit, fidem vos volumus indubitam habere.

Datum Viterbii, XVI/XIII Kalendas Februarii, anno III.

423.

Clemens IV. an Erzbischof (Filippo Fontana) von Ravenna, apostolischer Legat: empfiehlt ihm den Bischof (Gaillard d'Oursault) von Bethlehem, der mit ihm zusammen das in Brescia an Mitgliedern der Familie der Torriani angeblich begangene Unrecht ausräumen solle.

1268 Januar 17 oder 20, Viterbo

Archiepiscopo Ravennatensi, apostolice sedis legato.

Variis varia referentibus de scissura, quam nuper ambigua relatione didicimus Brixie contigisse, multum nobis noveris displicere, si quid factum fuerit, quod statui deroget vel honori dilectorum filiorum nobilium virorum de Turre, quorum domus inter alios ecclesie Romane devotos, quos Ytalia continet, devotionis fervore precipuo potest et debet communi iudicio gloriari. Verum, quia rei geste plenam notitiam non habemus, venerabilem fratrem nostrum G(ailardum) Bethlemitanum episcopum ad partes illas duximus destinandum, ut et tuam sollicitudinem

excitet, sed et ipse, quod poterit, faciat ad scissuram huiusmodi ad honorem divini nominis et utilitatem totius provincie reparandam, ut ad nostram presentiam rediens ea nobis valeat nuntiare, que nos reddere debeant letiores. In hiis vero, que tibi ex parte nostra dixerit, sibi fidem indubitatam volumus te habere.

Datum *ut supra*.

424.

Clemens IV. an die (Guelfen) von Brescia: empfiehlt ihnen Bischof (Gaillard d'Oursault) von Bethlehem. – Mit entsprechender Formulierung an Taionus von Manerbio.

1268 Januar 17 oder 20, Viterbo

Dilectis filiis universis civibus Brixiensibus, per quos nunc civitas regitur.

De discretione et puritate animi venerabilis fratris nostri Bethlemitani episcopi plenam in Domino fiduciam obtinentes eum ad partes vestras duximus destinandum, cui quedam vobis iniunximus proponenda, super quibus eidem fidem indubitatam volumus vos habere.

Datum *ut supra*.

In eodem modo dilecto filio nobili viro Taiono de Minervio.

425.

Clemens IV. an R(aoul Grosparmi,) Kardinalbischof von Albano, apostolischer Legat: unterrichtet ihn, daß König K(arl I.) von Sizilien mit Pisa Frieden geschlossen habe; gebietet ihm, im geheimen den Inhalt des Testaments der verstorbenen Königin B(eatrix) von Sizilien in Erfahrung zu bringen; gebietet ihm, Informationen über den Elekten (Capuferrus) von Benevent zu liefern.

1268 Januar 18 oder 22, Viterbo

R(adulfo) episcopo Albanensi, apostolice sedis legato.

Scrpsit nobis dilectus filius I(ohannes) de Braisilva carissimi in Christo filii nostri C(aroli) illustris regis Sicilie marescallus, quod Pisani cum eodem rege pacem fecerunt post dampna intolerabilia, que sunt passi. Que pax multum est honorabilis ipsi regi, que vicinorum eidem adversantium fregit cornua, que Corradinum retrocedere faciet, que Romanum concutiet senatorem, que Siculos etiam proditores spe frustratos subsidii extrema, prout credimus, desperatione confundet. Sane, quia dictum est nobis, quod clare memorie B(eatrix) illustris regina Sicilie condidit testamentum, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus id secreto ac diligenter explores et, si copiam eius habere potueris quoquomodo vel alias discere veritatem, id nobis, quanto secretius poteris, nec omittas nec differas intimare. Sed et illa, que de Beneventano electo reperies, nobis mittas, cum apud nos instetur assidue pro expeditione ipsius, quam distulimus et differimus per te instrui cupientes.

Datum Viterbii, XV/XI Kalendas Februarii, anno III.

426.

Clemens IV. an Bischof (Guido de la Tour) von Clermont: teilt ihm mit, daß er seine Postulation zum Erzbischof von Lyon abgelehnt habe.

1268 Januar 18 oder 22, Viterbo

Episcopo Claromontensi.

Licet tue fraternitatis honorem ab olim dilexerimus et, quo sincerius possumus, diligamus, sic tamen eum querimus, ut Deus omnium honoretur in omnibus et ipsius honor precipuus omnibus aliis preferatur. Sane, cum ad nostrum pervenisset auditum, quod ad Lugdunensem ecclesiam fueras postulatus, gavisus fuimus, cum eidem posses esse plurimum fructuosus, sed, cum formam postulationis audivimus et processum, cessavit gaudium, nec putavimus promovendum negotium carens solido fundamento, immo potius erubuimus et confestim nos dedimus ad viam aliam peragranda, qua et facta postulatione de tua persona et electione de decano Lugdunensi omissis proficeremus tertium Lugdunensi ecclesie supradicte. Verum scire te volumus dilectum filium magistrum G. Rolandi archidiaconum Ruthenensem in hoc debitam observasse cautelam, quod tuo nomine nichil petiit vel proposuit, sed nec etiam nomine fratris tui, qui te postulaverat, quicquam dixit, quod ambitionis tue notam quoquo pretendere videretur indicio, sed simpliciter factum narrans ad id suam intentionem direxit, ut et conscientie tue puritas innotesceret et germanus tuus innocens haberetur et, quod factum fuerat, de decano excogitata, ut dicebat, malitia cassaretur. Tene igitur in omni patientia locum tuum nec a nobis reputes te despectum, quem ex toto corde diligimus, et hoc ipsum ad favoris specialis indicium in *thesauro cordis tui*³²⁹ consignes, quod tam salubriter fame tue providimus, quod et tue iustitie non detraximus et nostre satisfacimus honestati. Demum dictum archidiaconum Ruthenensem, quem, si alias haberes ignotum, pro sua diligentia in presenti negotio habere te convenit multipliciter commendatum, in tuorum cathalogo devotorum confidenter ascribas, cum in dicto negotio de contingentibus nil omittens decenter laboraverit et fideliter pro eodem.

Datum *ut supra*.

427.

Clemens IV. an Vizegraf Gaston von Béarn: überläßt ihm die Entscheidung, wie er sich in den Verhandlungen um einen Ehevertrag mit König (Alfons X.) von Kastilien und León zu verhalten habe.

1268 Januar 24 oder 25, Viterbo

Dilecto filio nobili viro Gastoni vicecomiti Bearnensi.

Intelleximus, quod vir magnificus carissimus in Christo filius noster rex Castellae et Legionis illustris germanum suum Henricum nunc senatorem Urbis reconcilians sibi terram ei competentem assignat. Tu igitur scire potes, an tibi placeat circa fedus matrimonii contrahendum cum eodem habere tractatum, de quo alias tibi scripsimus, an ad aliam magis partem inclines, de qua nobis etiam tu scripsisti, ut ex hiis tua voluntate percepta, quod tibi fuerit et utilius et acceptius, eligatur.

Datum Viterbii, IX/VIII Kalendas Februarii, anno III.

³²⁹ Luc. 6,45.

428.

Clemens IV. an König Karl I. von Sizilien: unterrichtet ihn, daß er Bischof (Gaillard d'Oursault) von Bethlehem beauftragt habe, die Unruhen in (Brescia) beizulegen; übermittelt ihm die Abschrift eines Briefes, den die Deutschen in Siena an den (römischen) Senator (Heinrich von Kastilien), an Galvano (Lancia) und an andere Feinde des Königs gerichtet hätten.

1268 Januar 24 oder 25, Viterbo

Carissimo in Christo filio C(arolo) regi Sicilie illustri.

Pro sedanda discordia Lombardie ad partes illas venerabilem fratrem nostrum Gaillardum Bethlemitanum episcopum, quem nobilibus viris de Turre et toti negotio fore credimus utilem, destinamus. Nos sane tuum ad regnum Sicilie certis ex causis desiderantes adventum litterarum transcriptum, quas Theutonici, qui sunt Senis, tuo consanguineo senatori, Galvano et tuis inimicis aliis destinabant, tibi mittimus presentibus interclusum, ut eo inspecto plenius deliberare valeas, quid tibi super hiis, que ipse videntur tangere littere, sit agendum.

Datum *ut supra in proxima.*

429.

Clemens IV. an Podestà, Rat und Kommune von Cremona: mahnt sie, Bischof (Gaillard d'Oursault) von Bethlehem und Erzbischof Filippo (Fontana) von Ravenna, apostolischer Legat, bei der Wiederherstellung der Einheit in Cremona zu unterstützen.

1268 Januar 25, Viterbo

Dilectis filiis potestati, consilio et communi Cremonensi.

Devotionem vestram, prout decet, in Domino commendantes, quam multipliciter comprobata nunc ex eo certissimis probatis indiciis, quod divulsos fideles ecclesie plangitis et in pristinam reduci petitis unitatem, ut nostro vestroque pariter desiderio satisfiat, venerabilem fratrem nostrum Bethlemitanum episcopum ad partes vestras duximus destinandum, non ut in aliquo derogemus venerabilis fratris nostri Philippi archiepiscopi Ravennatensis, apostolice sedis legati officio seu etiam potestati, sed ut missio specialis nostrum expressius affectum indicet, quem habemus ad pacem ecclesie et suorum fidelium conservandam. Quocirca sinceritatem vestram rogandam duximus et hortandam, quatenus eundem Bethlemitanum episcopum favore debito prosequentes una cum memorato legato, qui nostram apud vos representat personam, ad ea, que pacis sunt, iuxta datam vobis a Deo peritiam dirigatis et efficaciter adiuvetis, ut *a scintilla ignis augetur*³³⁰ nequeat et vestre status provincie, quam prevenisse Dominus in benedictionibus creditur, novis dissensionibus non turbetur.

Datum Viterbii, VIII Kalendas Februarii, anno III.

³³⁰ Ecclus. 11,34.

430.

Clemens IV. an Podestà, Rat und Kommune von Cremona: bestätigt die Ankunft ihres Boten; kündigt ihnen seinen Gesandten, Bischof (Gaillard d'Oursault) von Bethlehem, an.

1268 Januar 25, Viterbo

Eisdem.

Missum nobis ex parte vestra Fredericum latorem presentium diligenter audivimus, qui prudenter, que sibi fuerant iniuncta, proponens de hiis, que contingunt negotium, nil omisit. Sane iam in eius paraveramus adventu venerabilem fratrem nostrum Bethlemitanum episcopum, quem in Lombardiam mittimus pro factis, de quibus scribitis, promovendis firmam in Domino gerentes fiduciam, quod auctoritate venerabilis fratris nostri archiepiscopi Ravennatensis, apostolice sedis legati preambula idem episcopus tam fideliter quam utiliter cum vestro et fidelium aliorum auxilio laborabit.

Datum *ut supra*.

431.

Clemens IV. an Amato Amati, Podestà dei Mercanti von Cremona: fordert ihn auf, sich zusammen mit dem Podestà von Cremona, um Frieden zu bemühen sowie den nach Norditalien entsandten Bischof (Gaillard d'Oursault) von Bethlehem zu unterstützen.

1268 Januar 25, Viterbo

Dilecto filio nobili viro Amato de Amatis potestati mercandie Cremonensis.

In devotione dudum ecclesie radicans et ex devotis parentibus trahens originem ammonitione frequenti non indiges, ut quesitos tibi ab olim condigne laudis titulos sincere fidei prosecutione confirmes, in qua sic tuum extimamus propositum solidatum, ut *nec descendens pluvia nec flumina venientia nec etiam venti flantes* conscientie tue *domum possint evertere supra* firmam *petram* ab antiquo *fundatam*³³¹. Verum, quia nil nocet admissio subdere calcar equo, tuam industriam tenore presentium duximus excitandam et affectu paterno dulciter exhortandam, quatenus ad unitatem et pacem civitatis Cremonensis salubriter conservandam una cum dilecto filio R(ainaldo) Scoti potestate Cremonensi, de quo multum confidimus, des opem sedulam et studium indefessum et nichilominus venerabili fratri nostro Bethlemitano episcopo, quem in Lombardiam ad certa negotia mittimus, in hiis, que tibi dixerit, credas et eidem consilium et auxilium, cum ab eo fueris requisitus, impendas, ut ex hoc Deo placeas et apostolice sedis gratiam, quam te dudum meruisse cognovimus, amplius merearis.

Datum *ut supra*.

³³¹ Matth. 7,25.

432.

Clemens IV. an R(aoul Grosparmi,) Kardinalbischof von Albano, apostolischer Legat: trägt ihm auf, den Prior von Montepeloso trotz seines jugendlichen Alters zum Abt von Venosa zu erheben.

1268 Januar 26, Viterbo

R(adulfo) episcopo Albanensi, apostolice sedis legato.

Placet nobis, quod priorem Montis Pilosi monasterio sancte Trinitatis de Venusio, si tibi videtur idoneus iuxta temporis et patrie qualitatem, preficias in abbatem, licet iuvenis videatur, cum etatem supplere valeat in eo commendabilis, prout fertur, discretio prematura.

Datum Viterbii, VII Kalendas Februarii, anno III.

433.

Clemens IV. an König J(akob I.) von Aragón: bedauert, daß der Kreuzzug ins Heilige Land aufgeschoben werden mußte; zeigt sich mit seinem Ratschlag hinsichtlich des römischen Senators H(einrich von Kastilien) zufrieden; empfiehlt ihm Bischof (Berengarius de Cantalupis) von Elne.

1268 Januar 26, Viterbo

Carissimo in Christo filio I(acobo) regi Aragonum illustri.

Terre Sancte miserias successivis relationibus plenius agnoscentes timemus non immerito, ne dilata subsidia cismarina tantum hostibus spatium tribuant debacchandi, quod vix relinquatur remedio post ruinam, nisi Deus misericorditer plebem suam respiciens processus hostium impedierit vel eosdem *elevari* permiserit, ut *allidat*³³². Non hoc habent, fili carissime, quod dolentes referimus, quantum esset expediens, populi merita christiani, cui nulla noceret adversitas, si nulla dominaretur iniquitas, sed in tot mundi partibus in se ipsum dividitur, tot peccatis inficitur, tot involvitur fraudibus, tanta demum indevotione dissolvitur, ut a Domino derelictus ab inimicis etiam contempnatur. Verum, quia *non obliviscitur Dominus misereri*³³³, qui in tanta peccantium multitudine multa sibi virorum milia reservavit, quos archano suo consilio tamquam *vasa misericordie preordinavit ad vitam*³³⁴, in ipsius bonitate confidimus, quod illorum ministerio, quos elegit, dabit nomini suo gloriam et hostili fracta potentia fidei sue cultum latius propagabit. O quanto gaudio replemur, si tue magnitudini videremus suppetere facultatem, cui talem adesse cernimus voluntatem. Nichil tamen solidum, nichil fixum tue benivolentiae adhuc possumus polliceri, sed fideliter laborabimus, ut et nostrum et tuum desiderium impleatur.

Ad hoc super hiis, que de viro nobili H(enrico) Urbis senatore scripsisti, tua sumus responsione contenti. Sanum enim habuisti consilium, quod, etsi modo cognoscas, cognosces utique certius ex eventu, et audies interim, quod venerabilis frater noster Elnensis episcopus tibi dicit. Nec sis negligens circa tuum honorem querendum, cum tempus se offerat oportunum.

Datum *ut supra in proxima.*

³³² Ps. (G) 101,11.

³³³ Ps. (G) 76,10.

³³⁴ Rom. 9,23, Act. 13,48.

434.

Clemens IV. an den römischen Senator Heinrich (von Kastilien): teilt ihm mit, daß er zwei Calatravenserbrüder mit Geleit ausgestattet habe.

1268 Januar 29, Viterbo

Dilecto filio nobili viro H(enrico) nato clare memorie et cetera Urbis senatori.

Cum novissimas litteras tuas recepimus, iam fratres Alf. et L. Calatravenses recesserant, quibus timentibus, ubi timendum non erat, eisdem dedimus litteras de conductu et unum de nostra familia, qui eosdem venerabili fratri nostro Aretino episcopo representet, cui eos per nostras litteras efficaciter commendamus per amicos suos usque ad locum, in quo se tutos reputent, perducendos. Non ergo sis nimis credulus, sicut et ipsi fuerunt. Multa enim dicuntur, que nullam continent veritatem, et, *qui cito credit, levis corde*³³⁵ in sacra pagina iudicatur.

Datum Viterbii, IIII Kalendas Februarii, anno III.

435.

Clemens IV. an den Abt von Saint-Gilles: gebietet ihm, einem Mönch seines Klosters, dem Sohn des P. Guillelmi de Monte Pesato, die Möglichkeit zum Studium zu gewähren.

1268 Januar 30, Viterbo

Dilecto filio abbati monasterii sancti Egidii.

Cum dilectum filium natum quondam P. Guillelmi de Monte Pesato monachum tuum docilem bone indolis esse, quod gaudentes accepimus, audierimus, patris merita contemplantes, qui tuo monasterio fidelis extitit et devotus nosterque fuit, dum vixit, familiaris amicus, discretionis tue per apostolica scripta mandamus, quatenus taliter ei provideas, quod in studio possit proficere nec ab eodem expensis deficientibus retrahatur.

Datum Viterbii, III Kalendas Februarii, anno III.

436.

Clemens IV. an G. dictus Rota, Bürger von Marseille: mahnt ihn, bei seinen Geschäften mit Kirchengut auch weiterhin angemessen zu verfahren.

1268 Januar 30, Viterbo

Dilecto filio G. dicto Rota civi Massiliensi.

Tuam dudum dilectionem experti, quam erga nos multis indiciis comprobasti, cum minori fungeremur officio, <volumus, ut> scias illam a nostra numquam excidisse memoria, sed et nostra circa te numquam tepuit, immo eo sincerius te diligimus ad maiora propecti, quo nunc habemus filium, quem amicum retroactis temporibus habebamus. Quocirca super bonis, que de manu Domini recipis et eidem versa vice refundis, plurimum gratulantes discretionem tuam rogamus

³³⁵ Ecclus. 19,4.

duximus et hortandam, quatenus more solito ad pietatis opera te exercens de bono in melius incessanter proficias, ut de nostra dilectione securus ab eo diligi, cuius licet immeriti vices gerimus, merearis.

Datum *ut supra in proxima*.

437.

Clemens IV. an König (Heinrich III.) von England: rechtfertigt sich, daß er eine gegen ihn gerichtete Petition der Gräfin von Leicester zugelassen habe.

1268 Februar 7, Viterbo

Carissimo in Christo filio regi Anglie illustri.

Dilecti filii Boneti clerici ac procuratoris tui prudentiam et industriam merito commendantes eum tibi censemus amabilem et favore benivolo carius amplectendum. Sane petitiones, quas tuo nomine nobis obtulit, diligenter inspeximus respondentes ad singulas, prout Deo gratius esse credidimus, tuis, quantum potuimus, votis ac desideriis annuentes. Verum super eo, quod te, fili carissime, reputabas gravatum, quia dilectam in Christo filiam nobilem mulierem comitissam Leycestrie de tua celsitudine conquerentem in nostra curia volebamus audiri ad respondendum termino tibi dato, tibi breviter respondemus, quod sic iura nostra servare volumus, ut tua nullatenus invadamus, sed, donec liqueat ex forma petitionis, quam offert, an ad forum nostrum pertineat eius causa, aures ei claudere non valemus. Quam tamen tibi libere remitemus, si ipsa negotium prosequente ex parte tua quicquam rationabile proponatur, per quod forum nostrum mediante iustitia valeas declinare.

Datum Viterbii, VII Idus Februarii, anno VII.

438.

Clemens IV. an König Karl I. von Sizilien: mahnt ihn, die Waren eines venezianischen Schiffes, das vor Kalabrien Schiffbruch erlitten habe, herauszugeben.

1268 Februar 7, Viterbo

Carissimo in Christo filio C(arolo) regi Sicilie illustri.

Iuri divino consonat et humano et naturalis equitas persuadet fideles quoslibet et precipue principes christianos afflictis compati, condolere dolentibus et miseris misereri. Cum igitur nuper ex parte dilectorum filiorum ducis et communis Venetie nobis fuerit intimatum, quod quedam eorum tareda multis onusta mercibus capta prius a Ianuensibus et vi ventorum postmodum ad fines tracta Calabriae passa fuerit ibidem naufragium et iam merces per Dei gratiam in potestatem venerint gentis tue, serenitatem tuam rogandam duximus et hortandam, quatenus merces ipsas, quas sine salutis tue discrimine retinere non posses, eisdem reddi iubeas et liberaliter assignari.

Datum *ut supra in proxima*.

439.

Clemens IV. an König K(arl I.) von Sizilien: rät ihm, in sein Reich zurückzukehren, statt sich in Norditalien Konradin (von Schwaben) entgegenzustellen oder in Tuszien zu bleiben.

1268 Februar 7, Viterbo

Eidem.

Super tribus deliberasse te novimus nec sic in partem aliquam inclinatum, quin velis et valeas, si res exigat, mutare consilium, quod tam fixum aut solidum esse nequit in rebus bellicis, quin id oporteat semel et sepius pro locorum et temporum differentia variari. Sunt quidem aliqui, qui te provocant ad eundem in hostis imprudentis occursum, sed non cogitant, que requirat impendia, quot discrimina secum trahat involutio cum Lombardis, a regni finibus elongatio et postremo prolixitas ipsa negotii et multorum incertitudo casuum, qui nullo possunt consilio prevederi. Sunt, qui putant, quod melius sis in Tuscia inter regnum tuum medium et Lombardos, ut ad partem alterutram possis facile te convertere, si necessitas id requirat. Nobis vero visum est hactenus, sicut pluries tibi scripsimus, quod in regno esses utilius, ubi *cornua* multorum *frangeres*³³⁶ et ingressos inimicos expelleres, te et tuos equis et armis instrueres et finitimos ac remotos ampliori terrore concuteres, si terram tuam pacifice possideres. Quamvis autem nobis placuerit, quod audito hostis adventu tuum in regnum reditum suspendisti, ut obloquentium ora clauderes, qui te fugere forte dicerent ad propria provide redeuntem, ubi tamen Papie fixerat ille gradum et a te satis expectatus non venerit, quin ad regnum redire valeas sine nota confusionis cuiuslibet, non videmus. Dimissa tamen Tuscis militia, que cum eis primos hostis intrantis impetus ad tempus valeat sustinere, donec tu regno tuo pacato et resumptis ibidem viribus ad Tuscos redeas, si visum fuerit expedire, et posset esse, quod interim Romam posses ad tuum obsequium inclinare, quod, si fieret, ad tuorum deiectionem hostium tuumque cederet commodum et honorem. Et, si quid circa hoc te in Tuscie partibus occupato fuerit atemptatum, det Deus bonum exitum, sinistrum enim plurimum formidamus. Verum, quia tua serenitas melius scire potest pro locorum condicionibus et illarum, cum quibus militas, personarum, quid te deceat, quid expediat, nichil certum volumus diffinire, nisi plenius nos instruxeris super hiis, que nobis sunt dubia, tibi nota. Nos autem in ambiguo positi nec nos volentes novis bellis involvere cum Romanis ad terre nostre defensionem dabimus operam, quam poterimus, et, si, quod absit, regnum tuum invadi contigerit in Apulia, consilium et auxilium, quod poterimus, dabimus genti tue.

Datum Viterbii, VII Idus Februarii, anno III.

440.

Clemens IV. an den römischen Senator H(einrich von Kastilien): beschwert sich über seine Angriffe auf die Kardinäle; bezieht Stellung zu seinen Klagen über den Grafen (Pandolfo) von Anguillara; hält ihn zu einer maßvollen Amtsführung an.

1268 Februar 9, Viterbo

³³⁶ Ps. (G) 74,11.

Dilecto filio nobili viro H(enrico) nato et cetera Urbis senatori.

Displicet nobis plurimum, quod contra fratres nostros, quos sincere diligimus, tantum odium concepisti, qui, cum tibi numquam nocuerint, a te gravissime sunt offensi. Sane, quod de comite Anguillarie nobis scribis, scire te volumus nobis esse prorsus ignotum, nam nec patienter ferremus, quod in terris nostris quemquam offenderet, nec ei terram nostram, dum innoxius fuerit, honeste possumus inhibere. Tu ergo tue nobilitatis honorem attendens utere cum modestia potestate, quam habes. Non enim est hereditarium id, quod obtines, nec *supra petram* solidam *est fundatum*³³⁷, cum ex multorum pendeat voluntatibus, quas iuxta sui libertatem arbitrii frequenter vidimus et audivimus variari, sed, si iustitiae cultor extiteris, si *acceptor non fueris personarum*³³⁸, si ab iniuriis omnium abstinueris, tua potentia poterit solidari. Sine hiis autem nedum impulsus ab aliis corrues, immo nec stare poteris nemine impellente.

Datum Viterbii, V Idus Februarii, anno III.

441.

Clemens IV. an die Markgrafen Manfredi und Moroello Malaspina: erklärt sich bereit, den Prokurator ihrer Mutter (Agnestina) anzuhören; lehnt ihre Bitte um das Vikariat von Sardinien ab.

1268 Februar 9, Viterbo

Dilectis filiis nobilibus viris Manfredo et Monello marchionibus Malespine.

Vestras petitiones audivimus per dilectos filios O(ctavianum) sancte Marie in Via Lata et U(bertum) sancti Eustachii diaconos cardinales diligenter expositas, ad quarum primam, de iure videlicet dilecte in Christo filie matris vestre, vobis breviter respondemus, quod parati sumus in nostra curia pacifice et benigne procuratorem suum audire, nam tantum negotium Romane ecclesie contingens patrimonium extra curiam cuiquam committere non debemus, ne predecessorum nostrorum morem laudabilem infringamus. Sane, quod secundo petistis committi vobis in terra Sardinie vicariam, exaudire nequivimus, cum nec nos terram possideamus in pace nec, si consideremus ad plenum eandem, conveniens videretur, quod vos nostros constitueremus vicarios, qui pro parte non modica petitores estis eiusdem. Scire tamen vos volumus, quod et ius vestrum servare per omnia vobis volumus et tam vestre quam vestrorum maiorum devotionis intuitu vos, in quibus honeste poterimus, honorare.

Datum *ut supra* in proxima.

442.

Clemens IV. an R(aoul Grosparmi,) Kardinalbischof von Albano, apostolischer Legat: gebietet ihm, gegen die Sarazenen von Lucera und ihre Anhänger das Kreuz zu predigen.

1268 Februar 12, Viterbo

³³⁷ Matth. 7,25.

³³⁸ Act. 10,34.

R(adulfo) episcopo Albanensi, apostolice sedis legato.

Sarraceni Lucerie, quam non meruerunt, apud carissimum in Christo filium nostrum C(arolum) illustrem regem Sicilie preter spem omnium gratiam assecuti, nunc *in arcum pravum conversi*³³⁹ rebellionis, prout dicitur, spiritum conceperunt, quod non sine iusto Dei iudicio credimus toleratum, ut in similibus rex ipse sit cautior et novum eorundem delictum vetera faciat recenseri. Sane, cum eorum malitiis et infidelium aliorum, qui adherent eisdem, sit modis omnibus obvian- dum, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus contra eos et falsos christianos eorum complices seu consortes crucem predices et per alios, quos ad hoc idoneos reputaveris, facias publice predicari eam omnibus, qui crucem ob hanc causam receperint, indulgentiam largi- turus, que pro Terre Sancte subsidio laborantibus indulgetur iuxta distinctionem laboris et meriti in concilio generali contentam³⁴⁰. Quod si eam per te vel alios predicasti vel predicaveris, priusquam ad te littere presentes pervenerint, quicquid a te super ea vel dandis indulgentiis vel est vel fuerit ordinatum, niti perpetua volumus firmitate. Nec in aliquo trepides, immo solito sis constantior. *Nunc enim est mundi iudicium*³⁴¹, nunc *revelabuntur cogitationes ex cordibus*³⁴², nunc granum in regno purgabitur et a palea secernetur³⁴³. Nec enim ecclesie et regi resistere in longum poterunt infideles.

Datum Viterbii, II Idus Februarii, anno III.

443.

Clemens IV. an König K(arl I.) von Sizilien: unterrichtet ihn, daß (der römische Senator Heinrich von Kastilien) den Titel eines Generalkapitäns von Tuszien führe und angeblich beabsichtige, mit einem tuszischen Heer in das Königreich Sizilien einzufallen; rät ihm, aus Tuszien in sein Reich zurückzukehren; er selbst trage sich mit dem Gedanken, seinen Aufenthaltsort nach Perugia oder Assisi zu verlegen.

1267 Dezember 14 oder 15, Viterbo

Carissimo in Christo filio C(arolo) regi Sicilie illustri.

Exiit iam in publicum consanguinei tui conceptio, qui se iam Tuscie capitaneum generalem appellat, sicut tibi monstrabit exemplar litterarum, quas misit Urbevitanis civibus, quod tue magnitudini mittimus presentibus interclusum. Expectat autem de Tuscia milites, cum quibus, prout dicitur, proponit aggredi regnum tuum, quod tamen nec omnino credere possumus nec nimis volumus abhorre. Verum in omnem casum tibi credimus expedire, quod relicta ad presens Tuscia sub illa ordinatione, quam ei dare poteris, ad regni tui visitationem accedas, et, prout credimus et speramus, apud nos multa audies, que tibi poterunt complacere. Quod si tuum ad- ventum distuleris, versus Perusium vel Assisium transferre nos curiam oportebit, quod non tamen volumus publicari.

Datum Viterbii, XIX/XVIII Kalendas Ianuarii, anno III.

³³⁹ Ps. (G) 77,57.

³⁴⁰ Lateranum IV c. 71, ed. COD S. 270 f.

³⁴¹ Ioh. 12,31.

³⁴² Luc. 2,35.

³⁴³ Luc. 3,17.

444.

Clemens IV. an König K(arl I.) von Sizilien: fordert ihn auf, ihm mitzuteilen, wie die geplante Gesandtschaft zu König J(akob I.) von Aragón zusammengesetzt sein solle; äußert den Wunsch, daß er persönlich zu ihm komme.

1267 Dezember 17, Viterbo

Eidem.

Si mittendum putas iuxta nostrum consilium ad regem Aragonum fratrem G(uillelmum) de Toneux ordinis Predicatorum vel alium vel alios, quos volueris, nobis rescribe nomina mittendorum, ut eosdem nostris munire litteris valeamus. Nos enim fratrem predictum retinendum duximus ex hac causa, donec tuas super hoc litteras videamus. Esset tamen tua presentia magis grata, quam pro tua necessitate quam maxima et tuorum cum magno desiderio prestolamur.

Datum Viterbii, XVI Kalendas Ianuarii, anno III.

445.

Clemens IV. an König K(arl I.) von Sizilien: empfiehlt ihm als neue Gemahlin eine Tochter König (Jakobs I.) von Aragón oder Markgraf (Ottos III.) von Brandenburg und erörtert die Modalitäten einer Gesandtschaft zu jenem; warnt ihn vor dem römischen Senator (Heinrich von Kastilien,) der als Generalkapitän von Tuszien gegen seine Interessen agiere, und bietet ihm die Senatorenwürde an; fordert ihn auf, zu ihm zu kommen.

1267 Dezember 17, Viterbo

Eidem.

Et venerabilem fratrem nostrum I(ohannem) Tirensen archiepiscopum et dilectum filium fratrem G(uillelmum) de Toneux ordinis Predicatorum et magistrum B(ernardum) Languisselli archidiaconum Lantaresii in ecclesia Tholosana patienter audivimus super omnibus, que nobis singuli super hiis, que eisdem iniuncta fuerant, ex parte tua proponere voluerunt, ad que sic tibi duximus respondendum. Scimus satis eo modo, quo talia sciri possunt, expedire tibi et tuo statui, quam cito poteris et se congruens facultas obtulerit, ad secundas nuptias convolare. Et, sicut alias scripsimus tibi, non videmus matrimonium tibi conveniens nisi cum filia carissimi in Christo filii nostri regis Aragonum illustris aut filia marchionis Brandeburgensis, quem nuper audivimus decessisse. De qua tamen, cuius etatis sit aut stature, multoque minus, cuius hactenus educationis extiterit, ignoramus. Et finaliter, si alie consonant circumstantie, melius et utilius fedus huiusmodi nuptiale cum predicta regis Aragonum filia iudicamus. Ad quod tractandum nuntius unus non sufficit, quem multi possunt casus fortuiti prepedire, ideoque videtur nobis congruum, quod duo mittantur, quorum unus sit frater G(uillelmus) predictus, et dabis ei socium, quem volueris. Et libenter tibi iuxta desiderium tuum offeremus Alfantum nepotem nostrum, sed multum est debilis, quem quartana sua magis crudeliter quam fideliter comitatur. Sperat tamen, quod infra Epiphaniam Domini, si contrarium aliquid non emerit, valeat proficisci.

Sane de facto Urbis et nobilium subsidio Romanorum scire te volumus, quod negotium tuum agitur. Iam quidem, sicut per litteras senatoris eorum evidenter apparet, tecum intraverunt in campum. Dum enim ipse capitaneum se dicit Tuscie generalem et tu vicarium te dicis imperii et Tuscie paciarium, necessarium esse cernimus, ut aut tu ipsi aut ipse, quod esset decentius, tibi

subsistat aut alteruter cedat alteri, cum ambo in solidum eidem preesse provincie non possint. Audi etiam, quod Senenses pariter et Pisanos confederatos Romanis asserit et eos partem alteram Urbis vocat. An ista te tangant, an angant, quid etiam sequi valeat ex predictis, tecum prudenter pertracta. Nos enim minime dubitamus, quin hec omnia diligenter appensa in status tui preiudicium sint conflata. Verum, quia in omnibus tuis tractatibus semper aliquid ferventer inquiris, quod ad tuum respiciat commodum speciale, scias, fili, quod, si potes senatum Urbis acquirere ad tempus competens, tolerabimus iuramento, quod super hoc prestitisti, usque ad certum terminum non obstante.

Et idcirco versus nos propera, et omnia dante Domino ad statum optimum deducantur. Nos enim, donec tuum audierimus finale responsum, milites, quos misisti, esse facimus otiosos, ne te forsitan guerris involvant, que tibi postmodum displicerent, quibus tamen utemur, si magna necessitas id exposcat.

Datum Viterbii, XVI Kalendas Ianuarii, anno III.

446.

Clemens IV. an den römischen Senator Heinrich von Kastilien: tadelt ihn, weil er (Giangaetano Orsini,) Kardinaldiakon von San Nicola in Carcere Tulliano, verleumdet und Galvano (Lancia) mit der Fahne Konradins (von Schwaben) in Rom aufgenommen habe.

1267 Dezember 19, Viterbo

Dilecto filio nobili viro infanti H(enrico) clare memorie F(erdinandi) illustris regis Castelle filio senatori Urbis.

Displicet nobis et debet merito displicere, quod duabus viis incedis. Et interdum de dilecto filio nostro I(ohanne) sancti Nicholai in Carcere Tulliano diacono cardinali videris confidere, quem ad tuum commodum et honorem vigilantem invenimus plus forsitan, quam deceret, et nunc scribis, quod ad eius instantiam carissimum in Christo filium nostrum C(arolum) regem illustrem Sicilie excitavimus, quod ad terram comitis Anguillarie quingentos milites mitteret, quod utique non est verum. Nec enim per ipsum rogati fuimus nec est factum, quamvis et hec et alia possent fieri, si negotiorum condicio id exigeret, quod tamen utinam numquam erit. Non ergo te decet imponere tanto viro duplicitatis maculam, quem inter fratres nostros ac suos veracem semper invenimus et sincerum.

Sane de receptione Galvani proditoris notorii et periuri nec te competenter excusas nec prudenter minaris, quod ipsum queres et alium, quem dicti regis noveris inimicum. Male quidem fecisti recipiendo ipsum in Urbe cum vexillo Corradini explicito venientem et peius facies, si eundem receperis iterum vel vocaveris. Et debes credere, quod, qui cum Manfredo regni tam nobilis eo tempore possessore regi nostro nequivit resistere, male iuvare te poterit, si contra regem negotium duxeris assumendum. Quem tibi adversarium sine causa constituisti te Tuscie capitaneum generalem in tuis litteris inscribendo, quas Urbevitanis et Tudertinis satis improvide destinasti.

Ecce, quibus te credis consiliis, ecce, quibus te involvis negotiis. Et ad ingressum facilis non, quantum expedit, contemplaris egressum, cum tamen virum deceat sapientem metiri rerum exitus et presertim in rebus bellicis, quarum quidem eventus est dubius. Et in omnibus iudicatur consultius prudentie se committere quam fortune. Ad cor ergo tuum revertere et ecclesie matri tue subice caput tuum, qua duce proficere poteris, qua offensa non poteris prosperari.

Datum Viterbii, XIII Kalendas Ianuarii, anno III.

Clemens IV. suspendiert den Elekten (Heinrich) von Trier von seinem Amt.

1267 Dezember 19, Viterbo

Ad perpetuam rei memoriam.

A via rectitudinis plures ducit in devium, plures a patrum terminis trahit in exterminium effrons malitia prelatorum, qui de sua presumentes potentia, dum peccandi sibi pro libito vendicant libertatem, a subditorum animis Dei prorsus timorem abigunt, qui non esse timendum extimant, quod a suis vident pastoribus non timeri. Verus ergo vicarius Iesu Christi, cui cura debet esse de omnibus, cum sit datus a Domino super omnes ecclesias speculator, licet in tanta nequeat multitudine populi christiani singulorum vultus agnoscere, debet saltem diligenter attendere et fideliter indagare presidentium famam et vitam, ne, cum tandem *ad manum venerit numerantis*³⁴⁴, ab eodem *grex perditus*³⁴⁵ requiratur, tamquam gregem ipse perdidit, dum ab eius custodia furem vel mercennarium non amovit³⁴⁶.

Hinc est, quod felicitis memorie predecessor noster Urbanus, cum ad eius pervenisset auditum, quod Henricus Treverensis electus palleo non obtento archiepiscopum in suis litteris se nominare presumens in Reni flumine theloneum sive pedagium motu proprio instituerat et hoc ipso ligatus excommunicationis sententia divina celebrabat officia, immo, quantum erat in ipso, potius prophanabat, erat insuper symonia, periurio, sacrilegio, homicidio et criminibus aliis irretitus bona Treverensis ecclesie dilapidans et consumens, inquisitionem super premissis omnibus primo venerabilibus fratribus nostris Warmatiensi et Spirensi episcopis et dilecto filio abbati de Rodequirke Premonstratensis ordinis sub certa forma commisit. Quorum processus sibi exhibitos predecessor idem reputans defectivos idem negotium fratribus Guillelmo et Rorico de ordine Fratrum Minorum iterato commisit, qui licet diu iuxta datam sibi peritiam magis forte fideliter quam prudenter in negotio laborassent, quia tamen iuris apices in omnibus non attenderant, nos eorundem processum nobis exhibitum de fratrum nostrorum consilio iustitia cassavimus exigente predicantes eidem electo tunc in nostra presentia constituto, quod inquisitionem contra ipsum ab eodem predecessore commissam per nos vel alios, prout videremus expediens, proseguere volebamus. Cumque postmodum super certis articulis sibi traditis respondisset nunc a nobis nunc ab aliis, quibus hoc interdum commisimus, requisitus, a nonnullis ecclesie Treverensis canonicis sepe fuimus excitati, ut responsiones ipsius discuteremus ad plenum, cum per eas, ut firmiter asserebant, ab eiusdem iugo pestifero dicta posset ecclesia liberari.

Sane, licet id distulerimus multo tempore negotiorum undique confluentium impediti concursu, responsiones tandem colligentes easdem et excusationes ab eodem oblatas tam super articulis in rescripto predecessoris nostri contentis quam super aliis, que nostro tempore postmodum emergerunt, collationem cum fratribus nostris habuimus diligentem. Et quidem, ut omisso, quod se non habens palleum archiepiscopum nominaverat, quod, licet esset erroneum, simplicitati vel errori scriptoris poterat imputari, a theloneo, quod imposuisse dicitur, sumamus initium, ex confessione liquet ipsius, quod uno anno illud vendiderat et magnum pretium inde perceperat, quod utique novum esse non potest ambigi, nisi concessione seu privilegio principis aut continuata perceptione a tempore, cuius non extet memoria, valeat excusari. Quod si novi pedagii fuerat impositor, latas dudum contra tales a Romanis pontificibus et annis singulis innovatas sententias

³⁴⁴ Ier. 33,13.

³⁴⁵ Ier. 50,6.

³⁴⁶ Vgl. Ioh. 10,12.

non evasit. Nec iuvare se poterat, ut videtur, litteris bone memorie H(ugonis) tituli sancte Sabine presbyteri cardinalis, a quo vel cuius auctoritate fuerat absolutus, qui, licet sedis apostolice penitentiarius generalis existeret et a sententiis posset absolvere generalibus, si aliud non obstaret, ab hac tamen nequivit absolvere, cum super ea facta esset per nostrum predecessorem, ut diximus, certis personis commissio specialis, pro qua etiam mandabatur citari, ut veniret ad curiam pro meritis recepturus, cum nec generalis legatus in causis commissis alii specialiter quicquam possit et in omni iure generi per speciem derogeretur. Sed nec absolutio fratris Martini penitentiarii minoris eidem utilis videbatur ratione consimili non obstante, quod eius littera continebat se de dicti predecessoris nostri speciali mandato ab omni eum excommunicationis sententia absolvisse, cum de mandato non constet et, etiamsi constaret, huiusmodi generalitas illam specialem sententiam non includeret, de qua non extitit cogitatum, nisi de speciali commissione predicta facta fuisset mentio in mandato. Sed nec ad istam sententiam, de qua agimus, absolutio potest extendi, super quam absolventis intentio minime ferebatur, cum prorsus incredibile, quin etiam detestabile videatur, ut ligatus pro certa pecunie quantitate, quam papali debebat camere, et a tali sententia absolutus, si predictam pecuniam certa die non solveret, non in illam solummodo, sed in alias relaberetur sententias, sicut habet series littere fratris Martini predicti. Unde rectus non patitur intellectus, quod de aliis sententiis senserit quam de illis, que in eum fortasse pluries ob dictam pecuniam, quam se soluturum iuraverat, prout dicitur, fuerant promulgate. Ex quo potest concludi ulterius, quod nec ab illis extitit absolutus, si de aliis tacuerit, cum talis absolutio prodesse nequeat, cum obrepticia sit censenda, quam etiam veritatem intelligens nullatenus exhibere deberet. Quod vero ad defensionem dicebatur ipsius latam contra impositores sententiam eum non tangere, cum decessor ipsius dictum pedagium percepisset, et sic non iste impositor dici poterat, sed impositoris successor, satis validum et ad eius defensionem sufficiens aliqui reputabant, cum nec nominis dicatur impositor, quicunque nominat alium suo nomine, sed qui primus imposuit ipsum nomen. Ad quod poterat responderi, quod de factis licitis et illicitis non est dandum iudicium uniforme. Que enim licite predecessor obtinuit, quodam iure continuo ad eius transeunt successorem, unde et una persona in talibus extimantur. Ubi vero de illicitis agitur seu delictis, decessorem cum successore non unam personam dicimus, sed capita potius singulorum inspicimus, qui delinquant, et idcirco promissoris, qui vim promisit non facere, vis alia dicitur quam heredis, nec est proprie continuitas in illicitis. Unde vitiosa possessio alteri vel ei altera non accedit. Sane, quotquot primo succedant novum ponentes pedagium, cum scelus proprium prosequantur, impositores utique sunt censendi. Nam in Machabeorum historia de pueris legimus Alexandri, quod *imposuerunt sibi diademata ipsi et filii eorundem post ipsos*³⁴⁷, quod profecto sic debet intelligi, quod, cum in regnis per violentiam occupatis ius aliquod non haberent, novam singuli committebant iniuriam et ideo singuli sibi diademata imponebant. Hoc etiam satis approbat canon antiquus, qui episcopis prohibet ex usu etiam gravamen seu servile officium imponere subditis evidenter insinuans, quod precedens usus illicitus prosequentem usum huiusmodi impositorem non prohibet nominari. Civili rursus cautum est sanctione, quod, licet exercitor pro magistri delicto, quem non ipse, sed alius preposuerat, teneatur interdum ignorans, si tamen scit et patitur, ipse adeo eum imposuisse videtur, ut secundum communem et celebrem intellectum non quasi pro imposito ab alio teneatur, sed potius a se ipso. Si ergo, ut dicit, percipiebat novum pedagium predecessor, successor utique, qui scivit et passus est percipi, imposuisse dicendus est verius quam impositum percepisse.

Secundo videbatur electus perniciose fuisse negligens, cum per sex annos et amplius in pallei, quod instanter petere debuisset, petitione cessasset, et hoc ipso iuxta sacrorum canonum sanctiones dignitate commissa carere debebat. Qui, licet felicitis recordationis Alexandri et Urbani

³⁴⁷ 1. Macc. 1,10.

temporibus predecessorum nostrorum se id per suos petisse nuntios speciales assereret addens, quod etiam vacante ecclesia id petierat a collegio cardinalium, confessus est tamen, quod nostro tempore non petierat, quia a fratribus nostris aliquibus ei dictum extiterat, ut dicebat, quod contra ipsum inquisitione pendente nullo modo daretur eidem.

Tertio videbatur inexcusabilis, qui, prout confessus est coram nobis, Philippum quondam Metensem episcopum confirmavit et consecrari mandavit, quem negare non poterat pati intolerabilem in litteratura defectum, cum id esset in partibus illis notorium, nec eum latere poterat, qui decanus Metensis ecclesie fuerat multo tempore, in qua idem Philippus erat canonicus cum eodem. Nec sufficere videbatur ad excusationem ipsius, quod non ipse examinaverat, sed examinandum commiserat personis providis et discretis, cum patenter indigni examinandi non sint, sed a limine potius repellendi. Nec excusat negotiorum instantia, quam allegat, cum ipsius defectum tam patulum, quamvis plenarie sibi notum, deprehendere facile in transcurso etiam potuisset et aliis in iudicio publicare. Quanti similiter reatus existat indignos ecclesiis collegiatis preficere, satis indicat generale concilium, dum testatur nichil magis ecclesiis Dei officere, ex quo sequitur nichil superioribus artius evitandum, nichil in transgressoribus acriter puniendum.

Quarto vero reperiebatur culpabilis, quia, cum per sex annos et amplius sacerdos fuerit, nec unam missam, prout habet eius confessio, celebravit. Quod quam gravis sit culpe, satis indicat generale concilium, quod tam graviter illos arguit ac etiam puniendos ostendit, qui vix celebrant ter vel quater in anno. Et, quod dixit ab initio se excusans, quod non celebraverat, quia palleum non habuerat, frivolum esse liquet, cum ante receptum palleum, licet quedam pontificalia non debuerit exercere, bene tamen et libere poterat celebrare. Sed non prodest, quod addidit, quod habebat conscientiam aliquantulum scrupulosam, quia eo peccavit gravius, quod sibi salutari remedio non providit.

Quinto constabat per confessionem ipsius, quod pie memorie predecessore nostro Urbano altare quoddam in Urbe Veteri consecrante ipse inter episcopos alios assistentes eidem una cum eis consecrationis peregit officium, quod sibi videbatur inhibitum palleo nondum habito, cum non sit ratio, cur cum alio debeat alibi consecrare, qui in sua existens diocesi vel provincia presumere talia non deberet.

Sexto reus periurii videbatur, quia per publicum instrumentum sigillo roboratum eiusdem evidentius apparebat, quod certam quantitatem argenti in transacto iam dudum termino quibusdam Senensibus mercatoribus solvere debuisset, quibus adeo satisfacere non curavit, quod etiam eisdem conquerentibus coram nobis contendere quam cedere maluit cum eis litem in iudicio contestatus. Sed ad sui defensionem proposuit, quod contractus huiusmodi extitit simulatus, condicionalis etiam et non purus facti processum in hunc modum proponens. Dixit siquidem, quod, licet dictum contineat instrumentum se fuisse confessum, quod sexcentas marchas receperat a mercatoribus antedictis, nullam prorsus receperat nec spe future numerationis sibi faciente istud confessus fuerat, immo cum alio tractatum habuerat, quod a rege Ricardo dari sibi duodecim milia marcharum argenti efficaciter procuraret, que predecessori suo idem rex dare voluerat, et si hoc, ut predictum est, ille, cum quo tractaverat, procuraret, tunc idem electus sexcentas marchas dare debebat eidem per manus mercatorum dictorum. Et ideo se dictis mercatoribus obligavit in sexcentis marchis predictis, quas tamen nec ipsi mercatores dare illi tertio nec ipse electus mercatoribus tenebatur, donec essent premissa per illum tertium efficaciter procurata. Verum continetur in instrumento predicto, quod, si marchas predictas in termino prefixo non solveret, nec palleum nec consecrationem peteret nec reciperet, donec esset predicta quantitas persoluta. Et ad omnia supradicta complenda iuramento proprio se astrinxit. Ex hiis autem grandis obiectio contra eum videbatur insurgere, nam, si, que asserit, non probaverit, cum stare oporteat instrumento, convincitur de periurio manifeste, si vero probaverit, quod proponit, commi-

sisse videtur evidentissime symoniam, quam committi testantur canones, sive detur seu promittatur vel recipiatur pecunia, ut spirituale quid fiat, sive etiam, ut non fiat. Cum igitur iste receperit mutuum sub condicione saltem, ut dicit, et, donec solvisset, ad non recipiendam consecrationem et palleum non petendum se iuramento astrinxerit, censendus est symoniacus, ut videtur, nec proderit, si dicatur, quod defecit condicio, et idcirco contractus est habendus pro infecto, nam in contractibus condicionalibus et potest suspendi obligatio et pure symonia committi, sicut in usurariis iudicamus. Nam et, qui promittit pecuniam, si ecclesia sibi detur, et, qui promittit usuram, si sortem non solverit certa die, reus est criminis, etiamsi condicio non existat, nec est in casu huiusmodi symonia solius intentionis, que deletur per penitentiam, cum sit hec intentio non occulta, sed certis pactionibus denudata.

Septimo dicebatur, quod excommunicationem incurrerat, quia abbatem sancti Mathie et duos eius monachos sacerdotes in castro eius captivos nec liberaverat nec procuraverat liberari. Ad quod responderat se fecisse, quod poterat, quia officiali Treverensi et priori Fratrum Predicatorum ac gardiano Fratrum Minorum in Confluentia mandaverat, quod monerent eum, qui castrum tenebat, ut eos redderet, alioquin denuntiarent excommunicatum eundem et comminarentur eidem, quod feudis, que a Treverensi tenebat ecclesia, privaretur. Ex hiis vero suam malitiam satis detegere videbatur. Nec enim fideliter fecerat, que facere debuisset, nam, licet habeat communis opinio, quod dictus abbas, quem ipse reputat inimicum, captus fuit saltem in favorem ipsius et ipse electus plus non fecerit, cum tamen et comminationem exequi per alium potuisset et excommunicasse et excommunicationis aggravasse sententiam multis modis, non caret scrupulo societatis occulte tam manifesto facinori desinens obviare.

Hiis igitur et aliis, que ad presens discuti poterant, diligenter inspectis, licet multis prudentibus videretur, quod nos contra memoratum electum procedere gravius valeremus, quia tamen aliqua de facto proposuit, que eum in aliquo forsitan relevarent, ut eo iustius quo et certius in negotio procedamus, ad aliqua infra certum probanda terminum eum admittere proponentes, prout requiret iustitia et equitas suadebit, ne in ipsius manibus Treverensis ecclesia interim naufragetur, ab officio et beneficio eum suspendimus summam aliquam taxaturi, que eidem ad prosecutionem negotii de redditibus sepefatę Treverensis ecclesie ministretur per eos, quibus administrationem eiusdem ecclesie in spiritualibus et temporalibus commitemus, potestatem nobis plenam et integram reservantes ex hiis, de quibus iam liquet, contra eundem electum nullis aliis probationibus aut processibus expectatis, quando et quotiens nobis expedire videbitur, ad alia procedendi etiam graviora in allegationibus iuris eidem iuxta factum, de quo constiterit, audientia minime deneganda.

Datum Viterbii, XIII Kalendas Ianuarii, anno III.

448.

Clemens IV. an König K(arl I.) von Sizilien: teilt ihm mit, daß er gegenwärtig nicht beabsichtige, gegen die Herzöge von Bayern vorzugehen; fordert ihn zum wiederholten Male auf, in sein Reich zurückzukehren.

1267 Dezember 18 oder 21, Viterbo

Carissimo in Christo filio C(arolo) regi Sicilie illustri.

Contra duces Bavarie suo libenter tempore, non sicut petis, sed sicut expedit et mos habet Romane ecclesie, procedemus. Male quidem cuncta ministrat impetus, et maiori soliditate

fundantur, que congruum tenent ordinem in fornace deliberationis excocta. Nostrum sane letificaverunt animum carissimi in Christo filii nostri regis Boemie illustris littere, quarum nobis exemplum misisti, quem magnitudinem tuam decet ea benivolentia prosequi, ut in tua dilectione firmatus a te nequeat quavis occasione divelli. Mittimus autem tibi litteras presentibus interclusas, quas a consanguineo tuo recepimus. Et nichilominus scire te volumus, quod, prout nuper a fidedignis accepimus, multa tibi mala parantur in regno, ad cuius visitationem te nuper monuimus et iterato monemus non immerito formidantes, ne, dum queris lucrum in aliis, dampnum in propriis patiaris.

Datum Viterbii, XV/XII Kalendas Ianuarii, anno III.

449.

Clemens IV. an den römischen Senator Heinrich (von Kastilien): fordert ihn auf, sich für die Befreiung der kastilischen Gesandten, die von den tuszischen Ghibellinen überfallen und gefangengenommen worden seien, einzusetzen; mahnt ihn, die umfangreichen Schäden, die er der Kirche zugefügt habe, wiedergutzumachen.

(1267 Dezember 28, Viterbo)

Dilecto filio nobili viro Henrico filio clare memorie et cetera senatori Urbis.

Horrendum nimis et detestabile facinus, quod in gentem tuam et specialiter carissimi in Christo filii nostri regis Castelle incliti germani tui sollempnes nuntios Gibellini Tuscie, quorum tantum desideras amicitias, commiserunt, ad tuam credimus pervenisse notitiam. Per quos bone memorie Silvensis episcopus cum multis alijs est occisus, decanus Salamantinus unus de nuntiis vulneratus et captus et plures alii cum eodem tam vivis quam mortuis bonis omnibus spoliatis. Et, licet mala sint opera, que premisimus, et non sine quam maximo dolore narranda, ex hijs tamen, ut credimus, posses instrui, quorum et qualium societatem appetis, qui dati utique *in sensum reprobum*³⁴⁸ *nec Deum timent nec hominem reverentur*³⁴⁹. Nec est ullatenus dubitandum, quin eosdem sua peccata teneant et vel Dei vel hominis gladium non evadant, nisi, quod magis placeret, *dignos penitentiae fructus*³⁵⁰ agant. Sane, quia dicti episcopus et decanus pro negotiis arduis fratris tui et pro factis imperii specialiter ad nostram presentiam mittebantur, bene facies, si ad deliberationem intenderis captivorum et litterarum recuperationem, quas secum portabant. Et, cum eas recuperaveris, redde nobis vicem et mitte, sicut et nos misimus tibi tuas.

Tandem miramur plurimum, quod necdum nostris satiatus iniurijs domos nostras ad sanctum Petrum detines occupatas, quod, cum quondam carissimus in Christo filius noster C(arolus) illustris rex Sicilie sub amoris nostri fiducia attemptasset, sustinere nolimus, quod ut nobis molestum comperit, mox exivit. Sutrium adhuc detines, et in Rispanpano et Viterclano publicorum itinerum aggressores, qui exenia victualium licet non magni pretii, que nobis nuper mittebantur ad festum, violenter latoribus abstulerunt. Adhuc nostras litteras non habuimus, quas tui currerii rapuerunt. Adhuc tenes Romanos nobiles et innocuos, in quo dilectos filios nostros cardinales Romana origine ledis graviter et acerrime scandalizas. Nec illatis dampnis contentus minaris addere graviora. Porro nec sic ecclesiam Romanam subiges, que, licet in suorum filiorum offensa

³⁴⁸ Rom. 1,28.

³⁴⁹ Luc. 18,2, 4.

³⁵⁰ Matth. 3,8.

non mediocriter offendatur, numquam tamen huiusmodi se subiciet servituti, ut pro suorum redemptione fidelium suum dare vel perdere patrimonium compellatur.

Cum ergo videas manifeste, quod hac via non proficis, immo deficis et peccatis gravibus animam tuam illaqueas, nobilitatem tuam rogandam duximus et monendam per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus et satisfacias de commissis et a committendis abstineas. Etsi hactenus contra te non processimus, quantum licuit, non idcirco superbias, immo nostris humiliter beneplacitis te coaptas. Diu quidem omittere non poterimus, si tua id exegerit contumacia, quin saltem spiritualem gladium exerceamus, qui nec imperatoribus nec regibus nec principibus aliis eorum meritis exigentibus parcere consuevit. Super hiis autem omnibus responsionem per tuas litteras et latores presentium nobis mittas.

Datum Viterbii, V Kalendas Ianuarii, anno III.

450.

Clemens IV. an den römischen Senator Heinrich (von Kastilien): fordert ihn auf, von der Verfolgung des (Giangaetano Orsini,) Kardinaldiakon von San Nicola in Carcere Tulliano, abzulassen; zeigt sich mit seinem Vorgehen gegen Sutri nicht einverstanden.

1267 Dezember 30, Viterbo

Eidem.

Cur tam acriter et tam dure contra dilectum filium nostrum Iohannem sancti Nicholai in Carcere Tulliano diaconum cardinalem tua nobilitas moveatur, videre non possumus, cum nullus eo certius, nullus instantius ad tuum laboraverit commodum et honorem, donec mala pro bonis recipiens in suis fratribus et amicis a te fuit tam graviter sauciatus, sed nec postea destitit idem prosequi, donec ipsius nuntiis ad tuam presentiam accedentibus satis incurialiter aditum denegasti. Imponis autem nunc ei plurima, que tibi relata per alios nimis credulus pro veris recipis, cum tamen sit scriptum, quod *non omni spiritui est credendum*³⁵¹, tuque, ut verum dicamus, multos homines maligni spiritus tecum habes, qui, si eis credideris, tuum pervertent animum et sub amoris specie tibi gravius, quam nunc videas, scandalum suscitabunt. Parce igitur persequi cardinalem predictum, quem tamquam specialem ecclesie filium, immo nobile membrum eius non potes tangere nobis et aliis fratribus nostris intactis, cum *in Domino corpus unum et invicem singuli membra simus*³⁵². Quod autem nobis de tuo et tue militie versus Sutrium prenuntiasti adventu, habere non possumus non suspectum, cum ratio sit tenuis, quam pretendis. Quocumque tamen ieris, Deum time, quem si queris offendere, ut cepisti, semper habeas in memoria, quantum potest, qui et suos confundit adversarios in presenti et *potestatem habet corpus et animam mittere in gehennam*³⁵³. Utinam ipse cor tuum illustret, ut viam veritatis agnoscens tuam temere salutem non negligas, in quam tibi ipsi crudelis, quod dolentes referimus, coniurasse videris.

Datum Viterbii, III Kalendas Ianuarii, anno III.

³⁵¹ 1. Ioh. 4,1.

³⁵² Rom. 12,5, Eph. 4,25.

³⁵³ Matth. 10,28, 5,29.

451.

Clemens IV. an S(imon de Brion,) Kardinalpriester von Santa Cecilia, apostolischer Legat: fordert ihn auf, mit den französischen Prälaten über eine Verlängerung des Zehnten für den Kreuzzug ins Heilige Land von drei auf vier Jahre zu verhandeln.

1268 Januar 13, Viterbo

Dilecto filio S(imoni) tituli sancte Cecilie presbytero cardinali, apostolice sedis legato.

Terre Sancte miseria, quam audivimus cotidie gravioribus subiacere periculis, promptis eget subsidiis, que augeri deceret potius quam arte qualibet defalcari. Sane, quia, quod pudet scribere, multorum adeo corda sunt ferrea, quod illius vicem dolere nesciunt, qui dolores nostros sua pietate portavit, et vellemus omnes in pace solvere Crucifixo, quod pro eius negotio duximus imponendum ecclesiis, placet nobis, quod prelati et aliis, quos precipue tangit negotium, convocatis eis nostrum insinues intellectum, quod scilicet de decima iam concessa iuxta nostre concessionis tenorem eximi nequeunt cotidiane distributiones, sicut nec alias exempte fuerunt, cum pro eodem Terre Sancte negotio ad tempus extitit decima assignata, quamvis in decima data regi Sicilie secus fuerit, quia sic extitit inter te et prelatos libera voluntate conductum. Ceterum, si prelati placuerit et aliis, qui tanguntur precipue ex hoc facto, datam a nobis decimam ad tres annos prorogari in quartum, placet nobis, quod prorogationem huiusmodi auctoritate nostra facias et ad annos IIII illam indicas ita, quod de cotidianis distributionibus nichil prestant, et universis, qui fideliter et libenter solvent predictam decimam, illam suorum indulgentiam peccatorum eadem auctoritate concedas, quam habent pro eodem negotio personaliter laborantes, similemque gratiam illis facias, quos ad vicesimam obligavimus, si et ipsi pro IIII anno nostro ac tuo beneplacito se coaptent.

Datum Viterbii, Idibus Ianuarii, anno III.

452.

Clemens IV. an S(imon de Brion,) Kardinalpriester von Santa Cecilia, apostolischer Legat: fordert ihn auf, in Bologna eine Untersuchung über das Erbe des I. Manselli anzustellen und ihm daraus einen Kelch und Kleider zu übersenden.

1268 Januar 13, Viterbo

Eidem.

Inquirere te volumus per abbatis et canonicorum Bolonie iuramenta de relictis nobis a I. Manselli vestibus veritatem et in eos, qui eam celaverint vel fraudem nobis fecerint in hac parte vel consenserint facientibus, excommunicationis ferre sententiam a solo Romano pontifice relaxandam. Et tam calicem quam vestes predictas, cum habueris eas, simul vel separatim nobis mittere non omittas, nisi tibi persona occurrerit, cui committenda merito videantur.

Datum *ut supra*.

453.

Clemens IV. an R. Marci, Bürger von Montpellier: mahnt ihn, keine neue Ehe einzugehen und statt dessen in den geistlichen Stand einzutreten.

1268 Januar 13, Viterbo

Dilecto filio R. Marci civi Montis Pessulani.

Adhuc fluctuas, ut audivimus, adhuc navigas in incertum, licet tibi luce sit clarius, quibus sit laqueis involuta vite coniugalis anxietas, prout satis experientie magisterio didicisti. Hanc profecto stoliditatem non habent etiam ipse fere vel volucres, sed nec pisces, ut libenter ad laqueos redeant, quos vel semel feliciter evaserunt. Quid igitur faciendum est homini, qui rationis imperio regitur, si ratione carentia nude quodam extimationis intuitu periculosa vitant itinera, vias eligunt tutiores? Dices forsitan: „Et quid faciam? Soboles non est michi. Unus sum et secundum non habeo. Si sic morior, nomen meum et patris et domus mee gloria a radice succisa pariter interibunt.“ Audi nunc, fili, et fidelia suscipe verba patris. Si repetis matrimonium, unde certus efficeris, quod prolem suscites ex uxore, unde scies, quod diu vivere valeat suscitata, unde scies, quod futura sit utilis eius vita? Multi quidem in coniugio steriles in hoc ipso graves patiuntur molestias, dum ignorant, an sibi an suis debeant imputare coniugibus, an forte peccatis propriis an divine misericordie, quod peroptate sobolis spe frustrantur. Et hoc ipse, ne longe petantur exempla, probasti. Sed nec omnes, qui habent filios, sunt securi, cum sit sententia sapientis, quod sit melius sine liberis mori quam relinquere filios sceleratos. Unde et quidam peritissimus ita dixit: „Rectius heres eligitur, quam necessario relinquatur.“ Ipse tandem coniugii Dominus institutor viam aliam eminentiorem ostendens, *eunuchis* utique, *qui etusdem custodiunt sabbata*, id est illis, qui propria voluntate viam eligunt continentie, *nomen melius a filiis et filiabus promittit*³⁵⁴. Addes forsitan, quod lubricum carnis times. Ad quod aliud tibi non possumus respondere, nisi quod vires tuas fideliter metiaris, quamquam nulli, ut credimus, sis in hac parte suspectus. Adiuvabit enim te Dominus continere volentem. Quod si omnino diceres te *carnis stimulis*³⁵⁵ superari, tunc ab illa doctoris gentium recedere non possemus sententia, qua *melius esse quam uri nubere*³⁵⁶ iudicavit. Sed, quoniam hoc in te locum firmiter credimus non habere, devotionem tuam hortandam duximus et rogandam tibi nichilominus consulentes, quatenus divino beneplacito te committens in sortem eius transeas ascribendus sine more diffugio clericali militie, in qua Deo servire poteris, tibi proficere et esse pluribus fructuosus, quod et nobis cedit ad gaudium, qui te semper dileximus et, si statum istum elegeris, affectu pariter et effectu longe ferventius et tenerius diligemus.

Datum *ut supra*.

454.

(Erzbischof Maurinus von Narbonne an Clemens IV.): rechtfertigt sich wegen der gegen ihn erhobenen Vorwürfe, einer Irrlehre über das Sakrament der Eucharistie anzuhängen.

(nach 1267 Oktober 28, Viterbo)

³⁵⁴ Isai. 56,4–5.

³⁵⁵ 2. Cor. 12,7.

³⁵⁶ 1. Cor. 7,9.

Rem horrendam summe detestabilem heresim manifeste continentem pio motu sancta vestra paternitas suo devoto filio decenter scripsit nos dixisse cuidam magno viro, dum olim essemus in Romana curia, conferendo cum eodem adicientibus nobis Parisius celebrem esse opinionem corpus Christi non essentialiter et vere esse in altari, sed sicut signatum sub signo, prout repsit postmodum latenter sermo et ad vestram audientiam pervenit, quod, si memores essemus nos dixisse aut forsán lingua labente dixissemus, studeremus revocare, quod nequaquam cogitavimus nec os nostrum polluimus errore tanto vel minore in aliqua facultate testimonio Parisiensium doctorum.

Quod si quis vellet in dicti falsi impositione contra nos persistere, promptos nos inveniet in mortem et in vitam ire. Sed, pater sanctissime, *narraverunt michi iniqui fabulationes, sed non ut lex vestra*³⁵⁷ et nostra tenet, immo *verbum iniquum constituerunt adversum me*³⁵⁸ tam impudenter quam irreverenter non parcentes pontificali, quam forte desiderant, dignitati. Sed in prefati dicti insaniam stimulati a Sathana inciderunt *transcendentes, qui Dei virtutem iuxta modum naturalium rerum metientes audacius ac periculosius veritati contradixerunt*, ut magister Petrus Lombardus recitat in principio decime distinctionis quarti Sententiarum, *asserentes in altari non esse corpus Christi vel sanguinem nec substantiam panis et vini in substantiam carnis et sanguinis converti, sed ita Christum dixisse: Hoc est corpus meum, sicut dixit apostolus ad Corinthios: Petra autem erat Christus. Dixerunt ibi esse corpus tantum in sacramento, id est in signo, et solum in signo a nobis manducari. Et hec prima heresis facta est in discipulis Christi dicentis: Nisi manducaveritis carnem et biberitis sanguinem, non habebitis vitam eternam. Dixerunt: Durus est hic sermo, quis potest <eum> audire? Et abierunt retro instruite Christo illos XII, qui remanserunt, et dicente: Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quicquam. Verba, que loquor vobis, spiritus et vita sunt, quia sacramentum, quod vobis commendavi, spiritualiter intellectum vivificabit vos, caro non prodest quicquam*³⁵⁹. Hoc est illud corpus, de quo Eusebius ait: „*Quia corpus assumptum ablaturus erat ab oculis et illaturus sideribus, necesse erat, ut die cene sacramentum corporis et sanguinis consecraret et commendaret nobis, ut coleretur iugiter per misterium, quod semel offerebatur in pretium*³⁶⁰,“ forma dicta a Domino consecratione verbi celestis, quod corpus sic consecratum sive caro Christi interiorum hominem reficit spiritualiter et saginat.

Non tamen lateat, pater sancte, quod vos scire nullatenus dubitamus, quod IIII modis sumi dicitur: Primo similitudinem, ut species panis et vini, et hoc improprie. Secundo materialis caro Christi crucifixa et lanceata, que prius de virgine sumpta est, et sic proprie accipitur. Tertio ipsa ecclesia vel eius unitas mistica. Quarto ipsa caro Christi spiritualis, que vere cibus est. Quam carnem qui manducant spiritualiter, veritatem carnis et sanguinis dicuntur sumere, quia ipsam efficaciam, id est ipsam peccatorum remissionem, habent. Pro qua sic oratur, cum dicitur: „*Perficiant in nobis, Domine, quesumus, tua sacramenta, quod continent, ut, quod nunc specie gerimus, rerum veritate capiamus*³⁶¹,“ id est predictam efficientiam et etiam verum corpus Christi, quod sic sumitur. Quod verissime est in altari, ut etiam dicit Augustinus, visibiliter in celo, quia in forma humana, sed in altari invisibiliter, scilicet in forma humana, quod sub speciebus panis et vini operitur. Ubi quique in altari celebretur, integrum est, non per partes discerptum, ut illi dixerunt, qui retro abierunt. Verus ergo Deus et verus homo in hoc est sacramento, quod est corpus Christi plenum gratia et divina maiestate rerum veritatem et naturam in se continens, mistica consecratione panis in corpus et vinum in sanguinem substantialiter conversum vi verbi divini et

³⁵⁷ Ps. (G) 118,85.

³⁵⁸ Ps. (G) 40,9.

³⁵⁹ Petrus Lombardus, Sententiae 4,10,1, ed. MIGNE PL 192, Sp. 859. Vgl. Augustinus, Enarratio in Psalmum XCVIII 9, ed. MIGNE PL 37, Sp. 1264f.

³⁶⁰ Eusebius Gallicanus (Ps.-Eusebius Emesenus), Homilia de pascha 6,1, ed. CCSL 101, S. 196.

³⁶¹ Gelasius I, Le sacramentaire grégorien 1, ed. Deshousse, S. 278 Nr. 166/719; Gregor I, Liber sacramentorum, ed. MIGNE PL 78, Sp. 142.

secreta potestate creaturam mutantis in memoriam dominice passionis, sicut per Spiritum Sanctum, ut ait Augustinus, vera caro sine coitu creata est in *vulva virginali*³⁶². Ut enim ait Gregorius: „*Quis fidelium habere dubium possit in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem celos aperiri, in illo sanctissimo Christi misterio angelorum choros adesse, summa et ima sociari*”³⁶³, ut in eodem momento substantia panis et vini in corpus Christi secundum totam substantiam conversum mirabiliter vel mutatum, quod est celeste, in celum rapitur ministerio angelorum corpori Christi consociandum. Quod ante oculos sacerdotis in altari videtur, sub speciebus videlicet panis et vini, esse vere, non, ut asseruerunt huiusmodi heresis prime falsi Christi discipuli, ut signatum solum in signo vel sub signo, a veritatis tramite et orthodoxe fidei catholice recedentes per errorem. Ut igitur fides habeat meritum et non esset horror carnis et sanguinis nec ridiculum a paganis, non sub humana specie visibili sumitur, sed sub speciebus sacramentalibus panis et vini. Unde dicit Hylarius papa, quod *non est quantitas visibilis in hoc extimanda misterio, sed spiritualis virtus sacramenti*³⁶⁴, id est, non est ibi in illa representatione, qua humanis sensibus subici valeat et representari, vera tamen substantia et quantitas corporis Christi est virtus sacramenti spiritualis, videlicet uniens cum corpore mystico, secundum quod dicit Hugo de sancto Victore.

Sed de hiis hactenus, quia misterium fidei credi salubriter potest, investigari quandoque salubriter non potest, voluntati eius et potentie salubre atque mirabile hoc sacramentum et supra naturam penitus ascribatur. Sed Deus huius seculi operatur in illis diffidentie filiis, qui non rationi voluntatem subiciunt. Insipientie verba contra nos callide coaptare nituntur non veri, sed placiti rationem sectantes. Quos iniqua voluntas, non intelligentie veritas incitat, dum ad fabulosam calumpniam se convertunt loquentes mendaciter ypocrisim – quia in verbis eorum pietas, quam amisit conscientia – predicando: „Narbonensis diocesis illius tempore hinc inde discerpitur, male regitur. Idiota prelatus est.“ Impudenterque per multa media sagaci diligentia serpunt et se latenter ingerunt, ut locum habeat sequens relatio prelationis ambitu in anime sue periculum, quod nequaquam advertunt ambitionis desiderio velante oculum rationis. Verborum mendacio piam fidei sanctitatem in eo, in quo est, denigrare molientes sine federe contra veritatem fidei, que in nobis est a sacro fontis baptismate, culpabiliter bellant. Quam postmodum Parisiense studium clarius confirmavit exclusa prorsus a nobis illa dampnata et execrabili heresi, quam nobis imponunt virus sue nequitie in nos transfundendo in electorum gloria maculam ponentes, si auctoritatem apostolicam bibulam invenirent et lucernam veritatis. Si quam sibi placitam in nobis Deus misericorditer exaltavit, que paternitati vestre ab initio bene complacuit, <quam> immo benigne efficaciter promovit et nos cum multa cordis amaritudine iurgio iugiter exposuit, nec tamen patienter sustinere debemus, quod dicitur in Proverbiis: „*Cor, quod novit amaritudinem anime sue, in gaudio eius non misceatur extraneus*”³⁶⁵. Absit igitur, pater sanctissime, quod circa dominice fidei professionem vipereeque doctrine fraudulentiam in aliquo infidelitatis aut sacramentorum fermentationi vel Sathane aditum pandamus, ut a sanctorum patrum vestigio atque sancte matris ecclesie discedamus limitibus et vestris.

Hec manus nostra rudi calamo conscripsit per vestram summam preminentemque sapientiam corrigenda in suis sententiis aut verbis. Sanctitatem vestram conservet Dei filius in longitudine dierum. Amen.

³⁶² Ambrosius, Expositio in Lucam 2,56, ed. MIGNE PL 15, Sp. 1654.

³⁶³ Gregorius Magnus, Dialogi 4,60,3, ed. SE 265, S. 202.

³⁶⁴ Decretum Hilari papae iuxta Gratianum, ed. MIGNE PL 58, Sp. 32.

³⁶⁵ Prov. 14,10.

455.

Clemens IV. an Graf A(lfonso) von Poitou und Toulouse: empfiehlt ihm den Adligen Jourdain de l'Isle aus dem Gefolge König (Karls I.) von Sizilien.

(1267/68, Viterbo)

Dilecto filio nobili viro A(lfonso) comiti Pictavensi et Tholosano.

Ea, quam de te habuimus, dum minori fungeremur officio, notitia firmam fiduciam imprimit cordi nostro, ut ad ea potissimum, que divinum beneplacitum, tuum et sedis apostolice respiciunt honorem, promptus et facilis habearis. Cum igitur dilectus filius nobilis vir Iordanus de Insula fidelis tuus in servitio carissimi in Christo filii nostri C(aroli) illustris regis Sicilie fratris tui contra hostes Dei et ecclesie ac regis eiusdem laudabiliter se habuerit hactenus et adhuc in eo laudabilius perseveret, nobilitatem tuam rogamus et hortamur attente, quatenus eum pro nostra et apostolice sedis reverentia ac eiusdem regis intuitu nec non et ipsius nobilis meritum obtentu habens propensius commendatum te sibi exhibeas pro loco et tempore in tuo favore munificum et in cunctis oportunitatibus gratiosum ita, quod tam ipse quam alii eius exemplo per virtuosos actus dignis in Domino proficiant incrementis et nos devotionis tue promptitudinem uberius provide possimus commendare.

456.

Clemens IV. an König (Ottokar II.) von Böhmen: unterrichtet ihn vom Vormarsch Konradins (von Schwaben) in Norditalien; mahnt ihn, die Sache der Kirche zu vertreten.

1268 Februar 28, Viterbo

Carissimo in Christo filio regi Boemie illustri.

Ecce, fili carissime, pandere tibi cogimur conatus fatuos adolescentis stolidi Corradini, qui vocatus a perfidis in Ytaliam proficiscens primo venit Veronam et inde contulit se Papiam nitens subvertere, prout fertur, opus nobile, quod in diebus nostris voluit Dominus operari, carissimum scilicet in Christo filium nostrum C(arolum) regem Sicilie illustrem mirabiliter promovens et sublimans. Sane tua non credat sublimitas, quod eundem prevalere posse credamus, sed hec tibi scribenda duximus, ut et eius scias stultitiam et tuorum insaniam vicinorum ducum Bavarie, qui puero puerilius sentientes ductum eum ad Ligures potiusve seductum in hoc periculo dimiserunt quodam sibi custode dimisso, qui duces Austriae se appellat. Ceterum, quia de tua bonitate confidimus, sinceritatem tuam rogandam duximus et hortandam, quatenus hec, que parat infidelium machinatio contra matrem tuam sanctam Romanam ecclesiam, tibi displiceant. Et prudenter intelligas ac benigne recipias, que tibi dilectus filius Augustinus clericus tuus ac nuntius ex parte nostra duxerit proponenda.

Datum Viterbii, III Kalendas Martii, anno IIII.

Clemens IV. an Bischof (Thomas) von Lismore: gebietet ihm, die Einnahmen aus Irland für den Kreuzzug ins Heilige Land an O(ttobono Fieschi,) Kardinaldiakon von Sant'Adriano, apostolischer Legat, auszuhändigen.

1268 Februar 28, Viterbo

Episcopo Lismorensi.

Terre Sancte negotium eo semper favore prosequimur, ut, que in ipsius deputata subsidium nosse possumus, in usus alios convertere seu transferre nullo tempore proponamus. Tuam sane diligentiam commendantes, quam in querendis et eidem negotio reservandis, que in Ybernia debebantur, iuxta nostri mandati tenorem habueras, sicut nobis per tuas litteras intimasti, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus dilecto filio nostro O(ttobono) sancti Adriani diacono cardinali, apostolice sedis legato respondeas de collectis et congreges nichilominus colligenda, ut eiusdem Terre Sancte necessitatibus valeat subveniri, que carissim[us] in Christo filii nostri regis illustris et aliorum baronum Francie generale passagium male poterit expectare, nisi opportunis subsidiis interim fulciatur. Demum super eo, quod nobis de iuvandis crucesignatis Ybernie significare curasti, ipsi legato nostram scribimus voluntatem.

Datum Viterbii, III Kalendis Martii, anno IIII.

Clemens IV. an R(aoul Grosparmi,) Kardinalbischof von Albano, apostolischer Legat: unterrichtet ihn über die Aktivitäten im Zusammenhang mit dem Vormarsch Konradins (von Schwaben) in Norditalien sowie über diverse Bistumsbesetzungen.

1268 März 2, Viterbo

R(adulfo) episcopo Albanensi, apostolice sedis legato.

Corradinum noveris esse Papie cum gente non magna nec bene instructa multaque paupertate depressa. Nec potest procedere, cum non audeat, nec retrocedere, cum via sibi non pateat. Sed ibi, sicut potest, in dolore et angustia transigit vitam suam desertus ab avunculo duce Bavarie et a vitrico comite Tirolensi et dimissus cuidam nobili, qui ducem Austrie se appellat, licet nec passum pedis teneat in ducatu, quem in solidum possidet filius noster in Christo carissimus Boemie rex illustris. Rex noster hactenus revocari non potuit a nobis sepius requisitus, a Lombardis revocatus, ut Papiam obsideat, quod eidem, quantum potuimus, dissuasimus. Et credimus, quod plus eum retrahet defectus sumptuum quam nostra dissuasio quamvis sana. Verum vastatis locis pluribus Pisanorum et dampnis inextimabilibus eis datis et castris pluribus occupatis castrum, prout dicitur, Mulcronis obsedit ad instantiam Lucanorum, quod infra paucos dies creditur obtenturus. Et habet secum marchiones Malespine et Pontremulum. Et sic Corradino non patet transitus ad Pisanos. Quo sic obstructo regem credimus ad regnum prospere rediturum. Nos autem misimus dilectum filium abbatem Casinensem ad partes Campanie pro stipendiandis CC militibus in capitanei vel tuum auxilium, prout tua fraternitas duxerit ordinandum. Machinationes vero Galvani et Iohannis de Marerio nos non latent. Quibus, ut possumus, obviavimus lata sententia excommunicationis in omnes, qui regnum invaserint, et, si fuerint sub nostro et Romano ecclesie dominio temporali, eos tamquam reos lese maiestatis dampnavimus de omnibus

terris ecclesie in perpetuum relegatos et bonorum omnium amissione et expositione corporum citra mortem et membri mutilationem multatos. Senator Urbis, quamvis de rege nostro non sine ratione queratur, regnum invadere non intendit. Immo scimus, quod aliquos Romanos nobiles ab huiusmodi temeritate retraxit. Quo tamen in hac parte ducatur spiritu, ignoramus. Et ideo nichil diminui volumus de cautela.

Ecclesie Surrentine prefecimus fratrem P(etrum) de Corneliaco. De aliis nondum deliberavimus. Sunt enim apud nos plurimi, qui nos incessanter infestant pro suis familiaribus cathedrandis, quorum intentio satis patet. Sed nos tibi mitemus aliquos, quibus cum bona conscientia poteris providere. Dilectus filius legatus Francie cum equo cecidit et de equo fractaque tibia languit aliquantulum, qua consolidata ad plenum per Dei gratiam restitutus est sanitati. Obiit apud nos Wintoniensis episcopus, cui Wigornensem substituimus, magistrum scilicet Nicholaum, quem vidisti Parisius regentem, nisi fallimur, in theologica facultate. Et fratrem P(etrum) de Confluentia prefecimus Corinthiensi ecclesie. Et Colimbriensem episcopum ad ecclesiam Compostellanam transtulimus. Et adhuc multe ecclesie ordinande supersunt, ad quas paratos cernimus pauperum religionum professores longe avidius, quam vellemus. Scribemus alia, cum evenerint in bonum publicum favente Domino successiva.

De transcripto testamenti, quod nobis misisti, in publicum sermo non veniat. Scandalizaretur enim forsitan rex, si sciret, et notarius puniretur.

Datum Viterbii, VI Nonas Martii, anno IIII.

459.

Clemens IV. an Bischof (Nicolaus Ely) von Winchester gebietet ihm, sein Bischofsamt, das ihm übertragen worden sei, obwohl er früher gegen die Interessen der Kirche verstoßen habe, überlegt auszuüben.

1268 März 2, Viterbo

Episcopo Wintoniensi.

Dum pensaremus de provisione Wintoniensis ecclesie, que per mortem quondam I(ohannis) Wintoniensis episcopi pastoris erat regimine destituta, direximus confidenter ad personam tuam nostre considerationis intuitum et sperantes, quod per tue sollicitudinis studium poterat salubriter dirigi et utiliter gubernari, te ipsi ecclesie prefecimus in episcopum et pastorem, licet preteritorum memoria nobis contrarium suggerere potuisset. Nosti enim, quod olim, dum in minori officio constituti legationem suscepissemus in Angliam, te specialiter in appellationibus contra nos et processus nostros frivole interpositis cum aliis prelatibus illarum partium invenimus non sine conspiratione deliquisse. Hoc autem impedimenti causam tibi non prestitit, quin voluerimus et tuam honorare personam et etiam ipsius ecclesie commodo providere. Nemo sane tibi blandiatur aut sibi, tamquam tui fuerit promotor honoris, nec huiusmodi capiaris mendacii, cum habentes pre oculis solum Deum te ad dictam ecclesiam transferendum duxerimus, ut Romane ecclesie matri tue tanto quidem obsequaris humiliter, quanto minus, ut supra diximus, ab eadem merueras honorari.

Quare fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus sic consulte in omnibus te gerere studeas et sic provide ad queque salubria dirigaris, quod gratiam apostolice sedis et nostram tua circumspectio mereatur nec in posterum ex tuis eveniat actibus, unde reminisci culpe preterite debeamus.

Datum *ut supra*.

460.

Clemens IV. an König K(arl I.) von Sizilien: unterrichtet ihn vom Tod Marias, der Tochter König (Jakobs I.) von Aragón.

1268 März 10, Viterbo

Carissimo in Christo filio C(arolo) regi Sicilie illustri.

Post recessum fratris G(uillelmi) de Toneux quidam venit de Aragonia clericus satis notus nobis nuntians viva voce clare memorie Mariam filiam carissimi in Christo filii nostri illustris regis Aragonum nature debitum persolvisse, cuius exequiis interfuisse se dicit, que tam patre quam fratribus longe agentibus congregatis prelati et baronibus in urbe fuit Cesaraugustana sepulta.

Datum Viterbii, VI Idus Martii, anno IIII.

461.

Clemens IV. an Guillaume de Muideblé, Generalkapitän des Königreichs Sizilien diesseits des Faro: teilt ihm mit, daß er dem Abt von San Salvatore geboten habe, ihn zu unterstützen; auf die Kastelle des Iohannes de Marerio habe er gegenwärtig keinen Zugriff, obwohl sie zum Reich gehörten.

1268 März 10, Viterbo

Dilecto filio G(uillelmo) de Modio Bladi capitaneo regni Sicilie citra Farum.

Dilecto filio abbati Salvatoris nostris damus litteris in mandatis, ut castra sua diligenter custodiens inimicis regis, quos hostes ecclesie confitemur, nullum aditum, nullum consilium vel auxilium seu favorem impendat gentique tue se prebeat favorabilem et benignum et oportunum, in quibus potuerit, adiutorem. Sane de castris Iohannis de Marerio scire te volumus, quod, licet sint in imperio, sub nostre tamen defensionis presidio, favore vel gratia non consistunt, dum regis inimicis adherent.

Datum *ut supra*.

462.

Clemens IV. an König (Ludwig IX.) von Frankreich: mahnt ihn, Erzbischof (Pierre de Charny) von Sens geneigt aufzunehmen.

1268 März 11, Viterbo

Carissimo in Christo filio regi Francie illustri.

Celsitudo regia, sicut credimus, non ignorat, quod venerabilis frater noster P(etrus) archiepiscopus Senonensis ab olim felicitis recordationis Urbani pape predecessoris nostri et postmodum camerarius noster existens adeo fideliter nobis et ecclesie Romane servivit, quod quam plurimum circa ipsum afficimur et eum in caritatis visceribus pre dilectione portamus. Digne igitur ipsum plena benivolentia prosequentes regalem magnificentiam paterno rogamus et hortamur affectu,

quatenus eundem archiepiscopum, pro quo mentem nostram tibi fiducialiter aperimus, et ecclesiam suam habeas favorabiliter commendatos sic eos sub regii favoris gratia confovendo, quod nostro tuum in hoc specialiter conformare beneplacitum dignoscaris. Quicquid enim sibi feceris gratie vel honoris, nobis reputabimus fore factum. Si vero, prout aliquis dicitur retulisse, dictus archiepiscopus tibi super eo delatus extiterit, quod aliquod impedimentum contra te in negotio decime prestitisset, pro certo scire te volumus delationem huiusmodi non habere suffragium veritatis, cum ipsum tam tui quam tuorum honoris et commodi percepimus intimum zelatorem. Et ideo tantum et talem virum habeat circa talia tua magnificentia, quesumus, excusatum.

Datum Viterbii, V Idus Martii, anno IIII.

463.

Clemens IV. an Erzbischof (Pierre de Charny) von Sens: gebietet ihm, entgegen den Ansprüchen König L(udwigs IX.) von Frankreich den Archidiaconat von Sens kraft päpstlicher Autorität neu zu besetzen.
1268 März 11, Viterbo

Archiepiscopo Senonensi.

Ex parte carissimi in Christo filii nostri L(u dovici) regis Francie illustris nobis extitit supplicatum, ut super collatione archidiaconatus Senonensis, quem obtinebas electus, ius suum conservare eidem. Nos vero, qui beneficia, que in curia vacare contigerit, nostre dudum collationi reservasse dignoscimur, decernentes irritum et inane, quicquid per alium super eis contingeret impetrari, archidiaconatum eundem te consecrato vacantem conferre libere poteramus, sed, sicut eidem regi antea scripseramus, collationem distulimus, donec ipsum vidisses et eidem ius nostrum plenius ostendisses. Licet autem cordi sit nobis in omnibus et per omnia iura regia conservare, quia tamen nostrum negligere nolumus, in hiis maxime, que salutem respiciunt animarum, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus viso rege et iure nostro, quod multum est liquidum, eidem plenius patefacto dictum archidiaconatum auctoritate nostra vel magistro Aymerico vel precentori Senonensi conferre ullatenus non omittas, nisi forsan ex parte regis eiusdem audiveris aliquid, quod te moveat ad collationem huiusmodi differendam, in quo casu processum tuum et dilationis causam nobis rescribere non omittas. Ceterum, si, prout dicitur, quod non credimus, idem rex nobis non deferens, sicut nos ei detulimus, archidiaconatum cuiquam contulit memoratum, suspendas ab officio et beneficio possessorem prefixo eidem termino peremptorio duorum mensium, quo se nostro conspectui personaliter representet. Quod si nondum possessionem apprehendit eiusdem, aut eidem renuntiet aut citatus veniat, ut est dictum, pariter et suspensus.

Datum *ut supra*.

464.

Clemens IV. an Guillaume de Muideblé (Generalkapitän des Königreiches Sizilien diesseits des Faro): teilt ihm mit, daß Konradin (von Schwaben) in Pavia festsitze.

1268 März 16, Viterbo

Dilecto filio G(uillelmo) de Modio Bladi et cetera.

Litteras tuas, quas nobis per latorem presentium cum interclusis duabus aliis transmisisti, leti recepimus, quas et carissimo in Christo filio nostro regi Sicilie illustri mittemus, cuius in proximo prestolamur adventum, per quem *inimicorum cornua confringentur*³⁶⁶. Corradinus Papie sompniat egestate depressus et gentem habens modicam, vilem etiam nec armis instructam, quem, si venire vellet, parva satis impediret militia, cum castra per viam posita in manum regiam iam sint data. Pascat igitur Galvanus Siculos suis mendaciis, pascat et quivis alius. Cito quidem mendaces et perfidi subvertentur, et procedet libere veritas, *et impii in tenebris conticescent*³⁶⁷.

Datum Viterbii, XVII Kalendas Aprilis, anno IIII.

465.

Clemens IV. an R(aoul Grosparmi,) Kardinalbischof von Albano, apostolischer Legat: gebietet ihm, den Abt von Pozzaglia in ein Kloster im Gebiet seiner Legation zu transferieren.

1268 März 21, Viterbo

R(adulfo) episcopo Albanensi, apostolice sedis legato.

Cum dilectus filius A. abbas monasterii de Puzalia Sabinensis diocesis dudum predecessorum nostrorum et nostro tempore commissa sibi in illis partibus ecclesie Romane negotia utiliter administrans fidele super eis obsequium prebuerit et devotum, nunc autem propter malitiam temporis in monasterio suo non possit proficere, prout anime sue saluti et eiusdem utilitati monasterii expediret, nos attendentes, quod, qui *fidelis invenitur in paucis, debet constitui supra multa*³⁶⁸, eum ad te duximus destinandum fraternitati tue per apostolica scripta mandantes, quatenus ad aliquam abbatiam de nunc vacantibus infra tuam legationem, quam sibi magis convenire videris, ipsum transferre procures. *Contradictores et cetera.*

Datum Viterbii, XII Kalendas Aprilis, anno IIII.

466.

Clemens IV. an R(aoul Grosparmi,) Kardinalbischof von Albano, apostolischer Legat: gebietet ihm, Abt Bartholomeus von San Teodoro in Trevi einen Bischofssitz im Gebiet seiner Legation zuzuweisen.

1268 März 21, Viterbo

Eidem.

Dilecti filii Bartholomei abbatis sancti Theodori de Trebis, capellani nostri fidelitatem et industriam attendentes, quam in commissis sibi et dilecto filio magistro B(ernardo) de Castaneto capellano nostro, college suo in Lombardia ecclesie Romane negotiis plene probavimus, qui talentum sibi creditum multiplicatum mirabiliter reportavit, eum ad te duximus destinandum fraternitati tue per apostolica scripta mandantes, quatenus eum, quem propter suam conversationem

³⁶⁶ Ps. (G) 74,11.

³⁶⁷ 1. Reg. 2,9.

³⁶⁸ Matth. 25,21.

laudabilem, litterarum scientiam competentem et alia ipsius merita probitatis et, quia eum firmiter credimus zelum animarum habere, dignum pontificali reputamus honore, in aliqua tue legationis ecclesia cathedrali de nunc vacantibus, que plus quietis habeat et Campanie sit vicinior, in episcopum preficias et pastorem. *Contradictores et cetera.*

Datum *ut supra.*

467.

Clemens IV. an R(aoul Grosparmi,) Kardinalbischof von Albano, apostolischer Legat: teilt ihm mit, daß es ihm noch nicht gelungen sei, König K(arl I.) von Sizilien zur Rückkehr in sein Reich zu bewegen; erteilt ihm Ratschläge zur Beruhigung der schwierigen Verhältnisse im Königreich Sizilien.

1268 März 27 oder 28, Viterbo

Eidem.

Quod tibi nuper scripsimus tunc nobis alia non occurrere, que fraternitati tue scribere valeamus, ad id noveris pertinere, quod tanti apud nos est regni turbatio, ut multa, que de prelatorum et ecclesiarum statu scripseras, sequestranda duxerimus, donec Orte compressis fluctibus tempestatis vacare plenius et liberius valeamus eisdem. Sane visis litteris, quas a viro nobili Achaie principe et aliquibus regni iustitiariis recepisti, turbari potuimus, sed nec tibi plene consulere, ut vellemus. Dudum quidem et pluries regni pericula carissimo in Christo filio nostro C(arolo) regi Sicilie illustri exposuimus et usque ad contristationem litteris inculcatis eum monuimus, adiuravimus et rogavimus mandata precibus annectentes, quod dimissa in Tuscia parte militie cum residua rediret ad regnum, ad quod suo consilio eum concorditer invitante ipse sui capitis anteponebat sententiam, nos diversis pollicitis immo potius se deludens infructuosam in Tuscia moram trahit parum de regno cogitans vel de sua plus, quam expediat, strenuitate presumens. Et, quamvis tot fatigati repulsis apud nos firmassemus nichil ulterius ei scribere, tuis tamen novissimis litteris excitati eidem scribimus iterato et, si nunc saltem non acquieverit, sustinebimus equanimiter, quicquid Deus in hoc negotio duxerit ordinandum.

Ad id igitur, quod requiris, quid tibi in negotio tam turbato iudicemus agendum, nichil certum tibi possumus respondere, nam satis credimus regni iustitiosos ex invidia mutua invicem se mordere et rationabilem irrationabiliter arguere capitaneum, qui si a regni confinibus recessisset, nec ipse reditum nec rex promptum haberet ingressum, cum sint hostes in limine et invasio pareretur cotidie grande aliquid, prout iuste metuitur, productura. Tu ergo Fogiam potes mittere et omnes inducere, qui sunt ibi, ut principem Achaie constituent capitaneum, et in te secure recipere, quod rex habeat hoc acceptum, quem, si ad hoc electus fuerit, quibus modis honeste poteris, adiuvabis. Quod autem te personaliter illuc conferas, utile non videmus, donec dilectus filius abbas Casinensis ad te veniat cum Campanis, cuius moram suspectam non habeas, quia, cum intrasset Campaniam et cum militibus convenisset, Nicholaus de Papa de bonis impinguatus ecclesie, qui de mandato nostro ministrare pecuniam debebat eidem, et ipsi et nobis impudenter illudit in ipso, sed nos pecuniam ei misimus sub viarum discrimine, cum qua negotium poterit inchoare. Demum, cum a rege responsum habuerimus, te reddemus in omnibus certiores.

Datum Viterbii, VI/V Kalendas Aprilis, anno IIII.

Clemens IV. an König K(arl I.) von Sizilien: fordert ihn nachdrücklich auf, in sein Reich zurückzukehren.

1268 März 27 oder 28, Viterbo

Carissimo in Christo filio C(arolo) regi Sicilie illustri.

Cur tibi scribamus ut regi, qui regnum videris contempnere, non videmus. Laceratur quidem continue tamquam acephalum Sarracenis et perfidis christianis expositum et a tuis primitus exhaustum furibus diripitur nunc ab aliis, *et locuste residuum brucus comedit*³⁶⁹, nec in eo deerunt vastatores, quamdiu caruerit defensore. Sane, si illud amittis, non credas, quod ecclesia labores repetat et expensas pro eo denuo acquirendo, sed ad tuos redire poteris comitatus et regali contentus nomine rerum exitum expectare vel divinum fore miraculum, si de tuis presumis meritis, ut ipse negotia tua gerere teneatur tuum te sequente consilium et eam, quam extimas te habere, prudentiam aliorum sententiis preferente. Porro fixum in corde nostro iam fuerat de hac materia tibi non scribere, sed compulit nos instantia venerabilis fratris nostri R(adulfi) Albanensis episcopi, qui mala cotidie regni videns cruciatur in eo, unde et litteras tibi mittimus, quas a tua gente recepit, ut statum regionis intelligas. Et, si tua interesse credideris, illuc te conferas, aut, si de regno non curas, eat negotium, quo Deus voluerit, et nos revocabimus fratrem nostrum.

Datum *ut supra*.

Clemens IV. an König (Ludwig IX.) von Frankreich: mahnt ihn, bei seinen Forderungen an das Kloster Pamiers Zurückhaltung zu üben.

1268 März 31, Viterbo

Carissimo in Christo filio regi Francie illustri.

Etsi regnum, cui Deo prees auctore, successivis cupiamus profectibus ampliari, ubi tamen ad ecclesiarum vocaris presidium, que, ut eas libentius tuearis in suorum iurium participium, tuam ducunt magnitudinem advocandam, satis debet se reddere facilem regia celsitudo nec conventiones exigere tam amaras, ut liberalitatis obscuret titulum care nimis empta protectione, quodque debet in usus cedere Domino servientium, pro parte maxima fisci tui commodis applicetur. Sane quandam scripturam vidimus ea per ordinem continentem, que ab abbate et conventu monasterii Appamiarum requiris, que, prout credimus, idcirco non autumas equitatis fines excedere, quia Fuxi comitibus asseruntur pro tempore fuisse concessa, sed absit a tue pietatis iudicio, ut predonum extorsiones illicitas ad cuiusquam similitudinis argumenta producas. Cum illis siquidem viri catholici et religiosi precipue vivebant, ut poterant, et illorum ingluviem, quam satiare non poterant, aliquatenus reprimebant, sed ad tua reducti tempora, de tam longo liberati naufragio portum se iudicant attigisse quietum, ut *in pacis pulchritudine sedeant, in fiducie tabernaculis et requie opulenta*³⁷⁰. Videat igitur tua, fili carissime, circumspecta serenitas, quam decenter et quam utiliter terris tuis accedat castrum Appamiarum cum fortaliis et medietate iurisdictionis eiusdem

³⁶⁹ Ioel 1,4.

³⁷⁰ Isai. 32,18.

in omnes homines clero et familia monasterii et incurso rerum immobilium dumtaxat exceptis. Pedagiorum etiam offertur dimidia et foreste, que dicitur de Borbona, nec non et exercitus hominum dicti loci intra certas dioceses salvis libertatibus hominum eorundem. Et, cum hec tibi le-
tanter ac liberaliter offerantur, cur census monasterii, leudas, furnos et hiis similia, de quibus debent, qui Deo serviunt, sustentari, dimidiari tibi postules, non videmus. Ideoque serenitatem tuam hortandam duximus et rogandam, quatenus huiuscemodi oblatione contentus procedas in negotio gratiose, cum non facile tibi possit occurrere tam decens, tam utile in illis partibus incrementum. Nos enim illos, qui pro comite Fuxi venerant, grandia pollicentes et sub magnis cautionibus offerentes audire nolimus, quamvis sibi intercessores plurimos, nescimus, quibus meritis, acquisissent.

Datum Viterbii, II Kalendas Aprilis, anno IIII.

470.

Clemens IV. an R(aoul Grosparmi,) Kardinalbischof von Albano, apostolischer Legat: kündigt die baldige Rückkehr König K(arls I.) von Sizilien in sein Reich an; fordert ihn auf, entsprechende Maßnahmen zu ergreifen und G(uillaume) de Muideblé, (Generalkapitän des Königreichs Sizilien diesseits des Faro), zu unterstützen.

1268 März 31, Viterbo

R(adulfo) episcopo Albanensi, apostolice sedis legato.

Annuntiamus tibi ad gaudium carissimum in Christo filium nostrum C(arolum) illustrem regem Sicilie avulsum a Tuscia, diem Cene Domini peracturum nobiscum et post dies Pasche gressus suos directurum³⁷¹ ad regnum, in cuius adventu frangentur cornua superborum³⁷² et regni scandala conquiescent. Tua ergo fraternitas ex hiis potest liquido deprehendere, quid tibi sit in tua consultatione tenendum, cum rex dictus in suo adventu pecunia, si quam habes, multum indigeat, quam tamen, cum habuerit, in illorum manibus collocabit, qui, que sua sunt, querunt et nichilominus rapiunt aliena. Unde bene facies, sicut credimus, si dilecto filio G(uillelmo) de Modio Bladi succurreris, cui de fide et modestia, probitate pariter et prudentia magnum a magnis testimonium perhibetur.

Datum *ut supra*.

471.

Clemens IV. an G(uillaume) de Muideblé, Generalkapitän des Königreichs Sizilien diesseits des Faro: kündigt ihm die baldige Rückkehr König K(arls I.) von Sizilien in sein Reich an.

1268 März 31, Viterbo

³⁷¹ Prov. 16,9.

³⁷² Ps. (G) 74,11.

Dilecto filio G(uillelmo) de Modio Bladi regni Sicilie citra Farum capitaneo.

Annuntiamus tibi *et cetera ut supra usque* conquiescent. Super hiis autem, de quibus scripsisti venerabili fratri nostro R(adulfo) Albanensi episcopo, apostolice sedis legato, scribimus, quod honori suo et tuo credimus expedire.

Datum *ut supra*.

472.

Clemens IV. an den römischen Senator Heinrich (von Kastilien): verwahrt sich gegen Vorwürfe, ihn getäuscht zu haben; zeigt sich grundsätzlich bereit, ihn aus der wegen der Aufnahme der Gesandten Konradins (von Schwaben) in Rom ausgesprochenen Exkommunikation zu lösen; fordert ihn auf, die Häuser der römischen Kirche bei San Pietro zu räumen.

1268 April 1, Viterbo

Nobili viro Henrico clare memorie et cetera senatori Urbis spiritum consilii sanioris.

Multa verba nobiscum habuit cancellarius, de quibus certis ex causis dubitare potuimus, sed tuis nuper receptis litteris ea magis dubia reputavimus, cum nullo tempore nobis dictum extiterit te de nobis aliqua inhonesta dixisse. Nec nos hoc ei diximus, sed ipso inter cetera recitante nos te aliquibus detinuisse promissis diximus et adhuc secure dicimus et constanter nos tecum in omnibus cum ea ambulasse cautela, ut et tuum honorem et commodum quesierimus tempore retroacto, numquam tamen nos astrinxerimus verbis aliquibus, propter que reputare posses in aliquo te a nobis fuisse deceptum.

Sane nimis de Urbis libertate confidis, qui receptis nuntiis Corradini ideo te excusas, quia patet ad Urbem omnibus aditus, quod nec credere debuisti nec scribere. Non enim est Urbs matre sua superior, sed inferior sicut filia, que sic hactenus matris conservavit honorem, ut eius capitalem, maxime post prolatam excommunicationis sententiam, receptare voluerit inimicum. Unde scias, quod dolentes referimus, in diversas te incidisse sententias, et quia dictos nuntios recepisti et quia favorem eis manifestissimum prestitisti, a quibus tamen si absolvi volueris, saluti tue libentissime providebimus ecclesie forma servata. Nec nos retrahimus, quin te viam eligente salubrem, in quibus honeste poterimus, ex animo te iuvenimus, sed per litteras de credentia, nisi patentibus fuerint, parum amodo faciemus.

Quod autem carissimo in Christo filio nostro C(arolo) illustri regi Sicilie, cum teneret senatum, negavimus, ut scilicet in domibus sancti Petri moram traheret, tibi maxime in statu huiusmodi non proponimus indulgere. Ipsum enim exire compulimus vi alia non adhibita, nisi quod tamquam devotus filius, quod ei mandavimus, iudicavit sibi transgredi non licere.

Datum Viterbii, Kalendis Aprilis, anno IIII.

473.

Clemens IV. an S(imon de Brion,) Kardinalpriester von Santa Cecilia, apostolischer Legat: fordert ihn zum wiederholten Male auf, ihm mitzuteilen, ob er die Legation in Deutschland übernehmen wolle.

1268 April 3, Viterbo

Dilecto filio S(imoni) tituli sancte Cecilie presbytero cardinali, apostolice sedis legato.

Quanta nobis incumbat necessitas legatum in Theutonium destinandi, dudum tibi, si bene recolis, aperuimus causis diversis expressis, que nos iuste movebant, ut in hac re tuum ministerium omnibus aliis preferremus, dum tamen et tibi voluntas suppeteret et possibilitas non deesset. Exigit siquidem dicta legatio tam prudentem quam fidelem personam puras habentem manus, communes oculos et apertos, *non declinantem ad dextram vel sinistram*³⁷³ et nichilominus ea propensius attendentem, que ad statum spectant imperii conservandum absque sedis apostolice scandalo et regnorum periculo vicinorum. Dum enim de legatis mittendis agimus et viros magni nominis de imperio certantes conspicimus, vix aliquem invenimus, quem pars neutra suspectum habeat, quamvis et aliud timendum occurrat, ne videlicet imperii principes sua possint artata potentia perturbari vel laxata licentia carissimis in Christo filiis nostris Francie et Sicilie regibus illustribus durum aliquid valeat preparari. Ad hec igitur omnia te credentes idoneum, dum tamen voluntarium habeamus, en tertio tibi scribimus multis mirantibus legationem huiusmodi tanto tempore fuisse dilatam. Unde nunc saltem volumus, ut super hoc nobis respondeas, quid tibi placeat in premissis, cum intentionis nostre non sit, quicquam tibi imponere, quo tuus animus perturbetur.

Datum Viterbii, III Nonas Aprilis, anno IIII.

474.

Clemens IV. an Guillaume de Saint-Julien, Justitiar der Abruzzzen: fordert ihn auf, gegen die Feinde König K(arl I.) von Sizilien und der Kirche vorzugehen, der binnen kurzem in sein Reich zurückkehren werde.

1268 April 3, Viterbo

Guillelmo de sancto Iuliano militi, iustitiario Aprucino.

De prosperis tuis successibus, quos per tuas accepimus litteras, plurimum fuimus gratulati. Verum, cum carissimus in Christo filius noster C(arolus) rex Sicilie illustris apud Viterbium sit nobiscum regnum suum in proximo intraturus, devotionem tuam duximus excitandam, quatenus contra suos et ecclesie inimicos, cum sit tuum auxilium in vicino, consueta constantia et magnanimitate procedas.

Datum *ut supra*.

475.

Clemens IV. an König (Ottokar II.) von Böhmen: mahnt ihn zur Freundschaft mit König K(arl I.) von Sizilien.

1268 April 3, Viterbo

³⁷³ Deut. 2,27.

Carissimo in Christo filio regi Boemie illustri.

Litteras magnitudinis tue leti recepimus, per quas nobis intimare curasti amicitiam, quam cum carissimo in Christo filio nostro C(arolo) rege Sicilie illustri habere proponis, de quo multum fuimus gratulati tuum in hac parte laudabile propositum plurimum in Domino commendantes. Ideoque serenitatem tuam rogandam duximus attentius et hortandam, quatenus ad fovendam eandem et eo, quo poteris, studio conservandam intendas, quam idem rex versa vice pro viribus conservabit. Et nos eam gratam habituri plurimum et acceptam ad eius stabilitatem studium, quod poterimus, apponemus.

Datum *ut supra*.

476.

Clemens IV. an König Karl I. von Sizilien: weist ihm für zehn Jahre die römische Senatorenwürde zu, falls der exkommunizierte Heinrich von Kastilien nicht bis zum 17. Mai zur Kirche zurückkehre.
1268 April 3, Viterbo

Carissimo in Christo filio C(arolo) regi Sicilie illustri.

Ut pacificum Urbs statum habeat et nobis ac nostris fratribus accessus pateat ad eandem, quam nondum visitare potuimus multis dissensionibus laniatam, serenitati tue, quod, si vir nobilis Henricus carissimi in Christo filii nostri illustris regis Castelle germanus, ipsius Urbis senator a nobis ex causis iustis excommunicationis vinculo innotatus infra proximum festum Ascensionis Domini ad nostra et ecclesie Romane mandata non redierit, tu extunc eiusdem Urbis regimen de consensu Romani populi a iuramento, quod eidem H(enrico) prestiterit, absoluti infra proximum festum Sanctorum Omnium ad continuum recipere possis decennium nec non et tractatum habere interim super istis cum personis quibuslibet, quas ad hoc <idoneas> esse credideris, per te vel alios, sicut videris expedire, auctoritate presentium indulgemus non obstante iuramento, quo te nobis et Romane ecclesie obligasti de non recipiendo huiusmodi regimine seu tractatu super eo habendo quovis tempore, quando a nobis regnum Sicilie recepisti, quod, quantum ad predicta, que tibi tenore presentium indulgemus, pertinet, relaxamus. Elapso sane tempore supradicto dictum regimen per te vel alium ulterius tenere non poteris, sed erit ipso lapsu temporis finitum omnino. Et, si de ipso te exinde intromitteres, penis omnibus huic annexis articulo in conventionibus tempore traditi tibi regni predicti inter nos et te habitis subiaceres.

Datum *ut supra*.

477.

Clemens IV. an Bischof (Berengar de Frédol) von Maguélone: gebietet ihm, die 40 Pfund Turnosen, die Pontius Armandi, Pfarrherr von (Montaren), bei dem Bankier I. Columberii von Montpellier hinterlegt habe, an die Kollektoren des französischen Kreuzzugszehnten zu überweisen.

1268 April 12, Viterbo

Episcopo Magalonensi.

Cum, sicut intelleximus, dilectus filius Pontius Armandi rector ecclesie de Monte Areno Uticensis diocesis de mandato tuo penes I. Columberii campsorem de Monte Pessulano deposuerit XL libras Turonenses, quas idem rector iuxta mandatum nostrum dare in Terre Sancte subsidium tenebatur, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus huiusmodi XL libras a dicto campsores aut alio quolibet, qui eas penes se habuerit, recipias easque collectoribus decime carissimo in Christo filio nostro L(udovico) illustri regi Francie pro dicte terre subsidio concessa non differas assignare. Contradictores *et cetera* rescripturus nobis per tuas patentes litteras, quicquid duxeris faciendum.

Datum Viterbii, II Idus Aprilis, anno IIII.

478.

Clemens IV. an R(aoul Grosparmi,) Kardinalbischof von Albano, apostolischer Legat: teilt ihm mit, daß sich König (Karl I. von Sizilien) gerade an der Kurie aufhalte und binnen kurzem in sein Reich weiterziehen werde; Konradin (von Schwaben) sei in Pisa eingetroffen, und man wisse nicht, wie er sich weiterhin verhalten werde; der König habe in Viterbo das Kreuz genommen; erteilt Ratschläge zu militärischen Maßnahmen im Königreich Sizilien.

1268 April 12, Viterbo

R(adulfo) episcopo Albanensi, apostolice sedis legato.

Quarta feria ante paschalem ebdomadam regem leti suscepimus, qui apud nos adhuc moratur regnum suum in proximo intraturus.

Corradinus autem in die Cene Domini in Pisanorum navigiis Pisas intravit quingentos, ut fertur, milites secum habens. Nec ausus fuit Pisas venire per terram, cum rex noster loca media inter Papiam et Pisas ad suam traxerit voluntatem. Quo autem idem Corradinus exinde sit iturus, adhuc scire non possumus quibusdam asserentibus cum navigio venturum ad Urbem, aliis extimantibus, quod intret aliquam partem regni, aliis vero dicentibus, quod intrabit Siciliam se suis ibi fautoribus adiuncturus. Sane vix credere possumus, quod Urbs eum recipiat vel quod regni locum aliquem citra Farum audeat ingredi cum tam modica comitiva, nisi sit aliqua tractata proditio, cuius indicia non habemus. Si tamen intraret Siciliam, ibi forte nocere plus posset propter populi levitatem et e contrario posset ibi facilius comprehendi. Quocumque tamen ierit, regem habebit ad talos, qui super omnia desiderat eius occursum.

Verum placet nobis, quod princeps et alii, qui sunt Fogie vel alibi, contra Luceriam parcant aggressionibus regem suum infra quindenam, prout credimus, habituri. Qui Sarracenos et alios perfidos exterminabit veniens de regno suo scandala sublaturus. Qui cum toto exercitu feria secunda post Pascha de manu nostra et illorum, quibus commisimus, recepit vivifice crucis signum. Quod si militiam Campanorum, de qua tibi scripsimus, non vidisti, non miretur tua fraternitas. Nam excogitata fraude impedimentum eiusdem extitit in Campania procuratum, prout dilectus filius abbas monasterii Casinensis tibi plenius enarrabit.

Confortare igitur, frater carissime, et alios consolare, nec audita te moveant. Cito enim videbis et audies Dei magnalia, que mirabiliter operabitur in erectione fidelium et depressione novissima reproborum.

Datum *ut supra*.

479.

Clemens IV. an den Abt von Saint-Jean-d'Angély: fordert ihn auf durchzuhalten.

1268 April 12, Viterbo

Dilecto filio G. abbati monasterii sancti Iohannis Angeliacensis.

*Bonorum laborum gloriosus est fructus*³⁷⁴, et idcirco tuis laboribus non tam compati quam congaudere debemus, in quibus et apostolice sedis gratiam promereri et eterne beatitudinis premium cum fiducia prestolaris. Persiste igitur in inceptis. Iam enim auxilium est in promptu, prout plenius hoc intelliges ex litteris, quas venerabili fratri nostro Albanensi episcopo destinamus.

Datum *ut supra*.

480.

Clemens IV. an Bischof (Gotifredus) von Rieti: gebietet ihm, die aufbewahrten Dinge herauszugeben.

1268 April 12, Viterbo

Episcopo Reatino.

Fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus nostrum depositum apud te per dilectum filium abbatem Casinensis monasterii assignatum eidem tradas presentes tibi litteras assignanti.

Datum *ut supra*.

481.

Clemens IV. an König L(udwig IX.) von Frankreich: lehnt seine Bitte ab, seinen Söhnen J(ohann Tristan) und Peter sowie dem Grafen R(ober) von Arras ein Indult zu gewähren, das sie von einer etwaigen Exkommunikation befreien würde; bezieht Stellung zu seinen Bitten hinsichtlich des Zehnten der Zisterzienser, seiner gefangengehaltenen römischen Verwandten, König K(arl I.) von Sizilien, des Wunsches der armen Dame Egidia, (eine geistliche Einrichtung zu gründen,) der aufgeschobenen Neubesetzung der deutschen Legation sowie der Gotteslästerungen.

1268 April 15, Viterbo

Carissimo in Christo filio nostro L(udovico) regi Francie illustri.

Venientes ad nostram presentiam dilectos filios fratrem Iohannem de Manso ordinis Fratrum Minorum primo et postmodum Henricum de Consenciis marescallum tuum diligenter audivimus et, que tuo proposuerunt nomine, pleno collegimus intellectu. Iam sane super singulis, nisi fallimur, nostrum responsum acceperas, quod nunc repetimus, ut patenter intelligas, an super eis aliquid tibi desit.

³⁷⁴ Sap. 3,15.

Ad primum quidem articulum de dilectis filiis I(ohanne) comite Nivernensi et Petro natis tuis ac R(oberto) Atrebatensi comite a nullo excommunicandis ex causa quacumque dudum tibi respondimus vel tuis nuntiis, quod gravis est ista petitio, que ordinariorum iurisdictionem absorbet nec unquam tibi vel alii dari debuit, quamvis tibi concessa fuerit illo dumtaxat obtentu, quia sedes apostolica singulariter de te bene presumens non te facile credidit ea committere, propter que iuste valeas anathematis sententia licet medicinali feriri. Et, sicut alias tibi scripsimus, indulgentias tales dare nichil est aliud quam prelatos inermes exponere principum aggressuris. Sunt enim et reges alii ac inferiores barones, qui a nobis petentes similia non absque scandalo sunt repulsi, quos licet tibi credamus meritis impares, male tamen sonat hec excusatio in auribus eorundem, ut scilicet in depressionem eorum tue laudis titulos attollamus. Non enim omnibus omnia vera placent, sed nec prelati libenter hoc audiunt, ut de tua potius innocentia quam eorum prudentia ac modestia presumamus. Habes autem legatum tecum, habes archiepiscopos bonos viros, per quos potest oppressis consuli et inferiorum excessus censura debita castigari. Quare nec tuam petere magnitudinem nec nostram decet concedere providentiam, quod illorum iurisdictionem evacuat, qui nobiscum onus portant officii pastoralis, quorum multum honori detrahitur, si de tribus adolescentibus, quantumcumque bone sint indolis, presumatur, quod maiori discretionem polleant in vitandis excessibus quam exacte gravitatis pontifices in eisdem pro tempore corrigendis.

Quod secundo super Cisterciensium decima requisisti, dudum fuerat expeditum, cum super ea dilecto filio nostro S(imoni) tituli sancte Cecilie presbytero cardinali, apostolice sedis legato, prout ante petieras, scripsissemus.

Quod tertio de captivis Gaietane domus petisti, placuit nobis multum, ad quorum liberationem intendimus, sicut possumus. Nec speramus eosdem nisi in manu valida dimittendos, sed in Deo confidimus, quod consanguinei tui tyrannidi Romani cives in patientia solita cito colla subducent.

Quarto loco patienter audivimus, que carissimum in Christo filium nostrum C(arolum) illustrem regem Sicilie contingebant, super quibus dilectus filius frater Iohannes de Manso nostrum tibi referet viva voce responsum.

Quinto vero pro Egidia paupere muliere venerabili fratri nostro P(etro) Senonensi archiepiscopo scribimus bono modo. Quamvis enim religionem, quam non habemus, ut deceret, in nobis, in aliis diligamus, religiones tamen multiplicare volentibus non favemus.

Ultimo de legatis duobus tibi plene respondimus et nunc maxime per dilectum filium magistrum B. de Castaneto capellanum et subdiaconum nostrum, per quem etiam nosse potes, quare legatio in Theutoniā tantum fuerit prorogata.

Demum de blasphemis et penis blasphemantium deliberare volumus, ut respondere certius valeamus.

Datum Viterbii, XVII Kalendas Maii, anno IIII.

482.

Clemens IV. an Erzbischof (Petrus de Charny) von Sens: trägt ihm auf, dem Wunsch der armen Dame Egidia nachzukommen, die in seiner Pfarrei eine geistliche Einrichtung gründen wolle.

1268 April 15, Viterbo

Archiepiscopo Senonensi.

A carissimo in Christo filio nostro rege Francie illustri fuimus requisiti pro Egidia paupere muliere parrochiana tua, ut eidem volenti domum religiosam in parrochia tua construere apostolicum dignaremur impertiri favorem. Nos sane, qui religionum multiplicationem nequaquam amplectimur, aures nostras hactenus petitioni regie noluimus aperire, sed nunc tue duximus prudentie committendum, quatenus, quantum cum Deo poteris, sine iuris preiudicio alieni vitato scandalo honesto desiderio predictae satisfacias mulieris. Et, si quod tibi dubium circa illud occurrerit, si consilio nostro indiges, rescribere nobis poteris responsum congruum dante Domino recepturus.

Datum *ut supra*.

483.

Clemens IV. an König K(arl I.) von Sizilien: setzt ihn zum Reichsvikar in der Toskana ein.

1268 April 17, Viterbo

Carissimo in Christo filio C(arolo) regi Sicilie illustri.

A multo tempore scissuris variis provinciam Tuscie laceratam ad pacem reducere cupientes te, cuius in maioribus longe negotiis fidem probavimus et industriam, in ipsius Tuscie finibus Romano subiectis imperio dudum constituimus paciarium, sed, cum pacis filios in diversis civitatibus et locis aliis earundem partium non inveneris, immo potius turbatores, ne officii commissi tenuitas nostrum possit propositum et tuum impedire processum, nos, qui fluctuantis imperii curam gerimus, te vicarium ipsius imperii in dictis partibus constituimus generalem. Confortare igitur, fili carissime, et esto robustus et sic stude, quod iniungitur exequi, ut, qui pacem diligunt, pacem habeant et, qui eam turbare voluerint, eius beneficio careant dampna, que propria culpa senserint, non utique nobis aut tibi, sed temerariis suis ausibus ascripturi.

Datum Viterbii, XV Kalendas Maii, anno IIII.

484.

Clemens IV. an alle Getreuen in den zum römischen Reich gehörigen Teilen der Toskana: gebietet ihnen, dem von ihm als Reichsvikar in Tuszien eingesetzten König K(arl I.) von Sizilien sowie seinen Stellvertretern den Gehorsam zu erweisen.

1268 April 17, Viterbo

Universis Christi fidelibus in Tuscie partibus Romano subiectis imperio constitutis.

A multo tempore *et cetera usque* constituimus generalem *verbis competenter mutatis*. Quocirca universitati vestre per apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatenus in predictum regem sicut eiusdem imperii in illis finibus generalem vicarium intendentes tam ei quam ipsius vicem gerentibus pareatis fideliter et devote. Nos enim tam multas, quas indixerint, quam processus eorundem legitimos in rebelles ratos habebimus et usque ad satisfactionem condignam faciemus inviolabiliter observari.

Datum *ut supra*.

485.

Clemens IV. an Isabella, Schwester König (Ludwigs IX.) von Frankreich: stellt klar, daß es sich bei der Reliquie, die sie in ihrem Besitz habe, nicht um das Haupt des heiligen Paulus handeln könne, da dieses nachweislich in Rom aufbewahrt werde; fordert sie auf, ihm die Reliquie zu übersenden.

1268 April 19, Viterbo

Dilecte in Christo filie nobili mulieri Ysabelle carissimi in Christo filii nostri illustris regis Francie germane.

Scias, filia, apostolorum capita Rome indubitanter haberi, que felicitis recordationis Gregorius papa IX predecessor noster de Sanctis Sanctorum suis manibus extrahens Romano populo patenter exhibuit et in locum suum restituit cum debita reverentia presentibus et scientibus universis. Quod si forsitan caput beati Pauli apostoli apud te esse putas, depone conscientiam, ne fallaris, nec ponas scandalum matri tue Romane ecclesie, que deceptionem huiusmodi non posset equanimiter tolerare. Si vero Greci se aliquo tempore illud habere dixerint, non mireris, nam odio Latinos habentes facile tibi tale formaverunt mendacium, qui de fide mentiri catholica, quod est maius, minime dubitarunt. Bene igitur facies, si, quod habes, dilecto filio nostro S(imoni) tituli sancte Cecilie presbytero cardinali, apostolice sedis legato nomine nostro reddideris nobis per eundem mittendum, ne, si ad alias manus devenerit, possit inde cum erroris periculo scandalum suscitari.

Datum Viterbii, XIII Kalendas Maii, anno IIII.

486.

Clemens IV. an Graf A(lfons) von Poitou und Toulouse: vertröstet ihn wegen der ausbleibenden Hilfe für seine Kreuzfahrt (ins Heilige Land).

1268 April 27, Viterbo

Dilecto filio nobili viro A(lfonso) comiti Pictavensi et Tholosano.

Dilectum filium fratrem Philippum ordinis Fratrum Minorum, quem ad nostram destinasti presentiam, benigne recepimus et super hiis, que ex parte tua coram nobis proposuit, audivimus patienter, petitiones etiam, quas nobis tuo nomine obtulit, liberaliter admisimus, quantum nostram honestatem decuit et vidimus expedire. Sane super tui subsidio passagii tua noscat nobilitas, quod nichil tibi certum ad presens possumus respondere, donec legatum in Alamanniam destinemus. Non enim tibi alibi providere valemus, sed tunc auxiliante Domino poterimus inde tue necessitati consulere.

Datum Viterbii, V Kalendas Maii, anno IIII.

487.

Clemens IV. an Dekan und Kapitel von Lille: erteilt ihnen die Erlaubnis zur freien Wahl eines Propstes.

1268 April 28, Viterbo

Dilectis filiis decano et capitulo ecclesie Insulensis Tornacensis diocesis.

Vestre compatiētes ecclesie longis retro temporibus in manus date iuvenum, qui neglectis spiritualibus, prout dicitur, male satis temporalia tractaverunt, providendi vobis de persona idonea in prepositum assumenda, que sit in sacris ordinibus et etatis legitime ac scientie competentis, auctoritate presentium vobis concedimus facultatem. Quod si nostra forsā abusi gratia secus facere presumpseritis, id irritum esse decernimus et inane.

Datum Viterbii, IIII Kalendas Maii, anno IIII.

488.

Clemens IV. an R(aoul Grosparmi,) Kardinalbischof von Albano, apostolischer Legat: teilt ihm mit, daß sich König K(arl I.) von Sizilien auf dem Weg in sein Reich befinde; fordert ihn auf, an die Kurie zu kommen.

1268 Mai 1, Viterbo

R(adulfo) episcopo Albanensi, apostolice sedis legato.

Exivit heri Viterbium filius noster in Christo carissimus C(arolus) rex Sicilie illustris in regnum dirigens iter suum ad Sarracenorum Lucerie et aliorum perfidorum exterminium animatus. Cui inter cetera illud duximus specialiter iniungendum, quod in restitutionibus faciendis non se reddat difficilem, cum ad eas sit artissime obligatus. Sed et multa in fratrum nostrorum presentia ei diximus, que ad plenam ordinationem domus sue et regni pertinent, que si, prout speratur, impleverit, honor erit Dei et pax eius ac omnium subditorum.

Subacta vero Luceria bonum credimus te relicto in regno vicario, prout alias tibi scripsimus, ad nostram presentiam legationis officio non deposito properare, ut super hiis, que nosti, tecum familiariter conferamus et tuam, ut optamus, faciem videamus.

Datum Viterbii, Kalendis Maii, anno IIII.

489.

Clemens IV. an (seine Nichte) Alazaicia, Witwe des Ritters Wilhelm von Bouillon: gebietet ihr, sich nach dem Tod ihres Mannes dem Rat ihres Bruders (Alfant) zu fügen und keine neue Ehe einzugehen.

1268 Mai 1, Viterbo

Dilecte filie Alazaicie relicte Guillelmi de Bullone militis.

Ad compassionem nos excitant erga te, filia, flagella Domini, que tibi pro sue beneplacito voluntatis infixit, que tamen, si prudenter et equanimiter tuleris, prodesse tibi poterunt ad salutem. Vivente siquidem viro tuo, cuius te Deus subiecerat pro lege matrimonii potestati, multa te vidimus patientem incommoda, ad quorum relevationem operam dedimus et suasionibus pluribus te prevenimus, sed non profecimus, ut voluimus, aut quia Deus noluit aut quia tu nostris consiliis acquiescere noluisti, sed a lege viri soluta plura, ut dicitur, pertulisti cogitationibus variis perturbata adeo, quod, ut fertur, ad secundum interdum coniugium aspirasti, quod mirabile iudicavimus, quia non tam veritas quam quoddam sompnium videbatur, cum ad illud non sis idonea nec tibi sit utile virili denuo iugo subici status tui qualitate pensata, quod in tantum notum

est nobis, ut nos credere non oporteat assertionibus alienis. Sane, quia per tuas litteras frequentes recepimus de germano tuo querelas, eundem super hiis allocuti et ipsius duritiam, si fuisset verum, quod scripseras, durius increpantes ab eodem accepimus, quod circa te misericordem se semper exhibet et exhibuit ac benignum nec de tuorum bonorum fructibus aliquid tibi subtrahit, immo placet eidem, quod ipsos habeas et in tuam utilitatem convertas, quamvis bona ipsa, ne pereant, tibi semper studuerit conservare. Cum sit ergo vir prudens et iuxta vires suas tuis velit necessitatibus subvenire, tibi bona fide consulimus et tamquam nepti dilecte mandamus, quatenus te ipsius regas consilio nec te ipsam improvida cogitatione perturbes. Nos enim ei precipimus, quod fragilitati tue benivole condescendat, sicut nostram gratiam caram habet, sed et tibi sub eadem comminatione precipimus, quod tu ipsi reverentiam exhibens ut maiori in statu, quem Dominus tibi dedit, in paterna domo vivas pacifica, humilis et quieta, memor bone memorie matris tue, que inter amaritudines et immunditias huius seculi impolluto calle pertransiens et Deo placuit, quem elegit, et mundo nichilominus, quem contempsit. Nos autem dilecto filio et capellano nostro magistro N(icholao) rectori ecclesie castri Volubrice nostris damus litteras in mandatis, ut, sive ex parte ipsius sive ex parte tua mandatum nostrum fuerit violatum, nobis plenam non differat rescribere veritatem, ut contra culpabilem gravius procedamus.

Datum *ut supra*.

490.

Clemens IV. an Magister N(icholaus,) Pfarrherr von (Vallabrègues), päpstlicher Kaplan: gebietet ihm, sich um Alazaicia zu kümmern, die sich in ihrer Geisteskrankheit von ihrem Bruder Alfant schlecht behandelt fühle.

1268 Mai 1, Viterbo

Dilecto filio magistro N(icholao) rectori ecclesie Volubrice, capellano nostro.

Afflictis compati nos oportet, illis tamen precipue, quos tetigit manus Domini, cuius inscrutabilia sunt iudicia, *cuius nemo potest resistere voluntati*³⁷⁵. Sane Alazaicia neptis nostra, relicta G(uillelmi) de Bullone militis ex egritudine quadam, quam habuit, rationis usu non modicum hebetato in quandam venerat insipientiam, antequam nostram Provinciam exiremus, quod a quibusdam suis conceptibus nec minis nec blanditiis poterat cohiberi, nam et nos in utrisque defecimus, sed dampnare nolimus nostris consiliis acquiescere non valentem potius quam nolentem. Verum sepe nobis per suas litteras deferentem, quod Alfantus germanus ipsius eidem erat et fuerat inhumanus, nunc per nostras, ut possumus, consolamur comminatione subiecta, quod, sive ipsa in non credendo fratri, qui maior est ea, sive frater in eius gravamine vel neglectu culpabilis fuerit, contra delinquentem gravius procedemus, cuius rei te conscium esse volumus et nobis rescribere veritatem. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsam visitans aliquando scias statum et defectus ipsius et arguas eius duritiam cum modestia, ne forsitan exasperata graviter gravius excandescat. Videas etiam et scire velis, qualiter frater et domus eius se habeant ad eandem et, quantum poteris, sedes eos. Et finaliter, quod inveneris, nobis rescribere non omittas.

Datum Viterbii, Kalendis Maii, anno IIII.

³⁷⁵ Est. 13,9.

491.

Clemens IV. an P. Rainaldi und seine Ehefrau G.: fordert sie auf, Gott zu fürchten. – Mit entsprechender Formulierung an Cécile Foucois.

1268 Mai 1, Viterbo

Dilectis filiis P. Rainaldi et G. uxori eius.

Scriptimus vobis nuper, nec occurrit aliud, quod scribamus, nisi quod Dominum timeatis et mandata eius fideliter observetis, quia eum timentibus nichil deest necessarium ad salutem. Statum autem nostrum Alfantus nepos noster lator presentium vobis dicet.

Datum *ut supra in proxima.*

In eodem modo dilecte in Christo filie Cecilie Fulcodie plurale in singulari mutato.

492.

Clemens IV. an den römischen Adeligen Giovanni Annibaldi: mahnt ihn, der Kirche in ihrer bedrängten Lage beizustehen. – Mit entsprechenden Formulierungen an die römischen Adeligen Pietro di Romano (Papareschi) und Giacomo (Orsini).

1268 Mai 3, Viterbo

Dilecto filio nobili viro Iohanni Anibaldo proconsuli Romanorum.

Ab antiquis retro temporibus Urbs Romana contumaces sibi subiciens nationes et regum plurium balteis dissolutis in superbiam posita, sanctorum apostolorum demum honorata presentia et eorundem sanguine consecrata illum excellentie gradum attingit, ut in ea prelationis duplilis, sacerdotii scilicet et imperii, collocato fastigio corporalibus spatiis minor orbe, maior eo fieret dignitate, cui licet non tam iure quam suis viribus antea prefuisset, extunc tamen titulo meliori prelata pontificalis honorem cathedre divine beneplacito voluntatis obtinuit et imperialis eminentie gloriam, quam demeruerat, non amisit. Non hoc sane illius temporis debebatur hominibus sanguinis effusoribus innocentis, sed ille, *cuius oculis nuda sunt omnia et aperta*³⁷⁶, fidelem populum et catholicum in eadem pro tempore nasciturum previderat, qui sanctorum honoraret reliquias, subiectionis debite reverentiam successoribus apostolorum impenderet, dotaret et ditaret ecclesias et ministros enutrieret earum et per terras sue ditioni subiectas cultum divini nominis ampliaret. Quod probavit felicissimus rerum exitus ex illius ordinatione procedens, qui in sua dispositione non fallitur, dum tales multo tempore genuit Roma filios, tales educavit alumpnos, qui premissis et aliis pietatis operibus iugiter insistentes orbis climata bonitatis sue radiis illustrarunt.

Hinc est siquidem, quod non leviter nos conturbat, non mediocris nostrum et fratrum nostrorum animos pungit doloris aculeus, quod in Urbe tam clari nominis *obscuratum videtur aurum et color optimus immutatus*³⁷⁷, dum in ipsa mutatis legibus et iuris federe dissipato spoliantur ecclesie, rapiuntur deposita, male tractantur clerici, carceri mancipantur, que quamvis sapientibus displicere credamus, magnam tamen in sua gloria ponunt maculam, qui peccatis alienis commu-

³⁷⁶ Hebr. 4,13.

³⁷⁷ Threni 4,1.

nicant, dum ea fieri patiuntur. Quid enim superest, nisi ut ipsa Veronica cum apostolorum capitibus transportetur et Urbs tanto spoliata thesauro, *confusionis induta diploide*³⁷⁸ habeat in eternum, quod luceat, et a tantis dilapsa divitiis non adiciat in perpetuum, ut resurgat? Ecce tibi et aliis Urbis nobilibus Urbs ipsa relinquitur, et contestamur omnibus fusum pro cunctis sanguinem Crucifixi, proponimus sanctorum pignora inibi constituta, quorum sedes ausu sacrilego invaduntur, quorum violatur securitas, quorum ministri viliter conculcantur. Requirit hoc Deus ab omnibus, qui dissimulant et qui eius iniurias non defendunt.

Quocirca nobilitatem tuam rogandam duximus et monendam ac per aspersionem dominici sanguinis adiurandam, quatenus ante mentis reducens oculos tam honores quam commoda, que domus tua per Romanam recepit ecclesiam, tantis eius occurras opprobriis, tantis periculis obvies. Alioquin, cum non sit artior solito manus Domini, per viam aliam laborabitur et tu semper inexcusabilis remanebis.

Datum Viterbii, V Nonas Maii, anno IIII.

In eodem modo nobili viro Petro Romani proconsuli Romanorum.

In eodem modo nobili viro Iacobo Neapolionis proconsuli Romanorum.

493.

Clemens IV. an den Elekten (Manfredus Roberti) von Verona, Rektor des Herzogtums Spoleto und der Mark Ancona: berichtet über die Ausgleichsbemühungen Ferris und die Situation der Streitkräfte König (Karls I. von Sizilien); lässt ihm freie Hand, die Kreuzpredigt in der Mark Ancona auszusetzen.

1268 Mai 4, Viterbo

Dilecto filio M(anfredo) Veronensi electo, ducatus Spoleti et Marchie Anconitane rectori.

Quantumcumque profunde peccaverint insolentes Firmani, quia tamen ad nos volunt accedere sub conductu, nos eorum nuntiis seu sindicis, si parati veniant nostris stare mandatis et ad nostrum cavere arbitrium absolute, conductum dedimus et recipiemus eisdem. Quod si nobis illuserint sicut hactenus, erit culpa illorum gravior suo tempore ferienda. Nunc quidem a rege militiam habere non possumus, cum magnam in Lombardia teneat, maiorem in Tuscia, magnam in Urbis finibus et magnam in Siciliam sit missurus. Expedito tamen facto Lucerie credimus, quod habere possemus. Illud scias, quod tedet nos plurimum expendere semper in Marchia, in qua nullum aut modicum invenimus fidei fundamentum. In predicanda vero cruce supersedeas, si videris expedire.

Datum Viterbii, IIII Nonas Maii, anno IIII.

494.

Clemens IV. an Erzbischof (Filippo Fontana) von Ravenna, apostolischer Legat: gibt seinem Ärger über die Zurückhaltung der norditalienischen Machthaber beim Zug Konradins (von Schwaben) von Verona nach Pavia Ausdruck.

1268 Mai 8, Viterbo

³⁷⁸ Ps. (G) 108,29.

Archiepiscopo Ravennatensi, apostolice sedis legato.

Ea te credimus industria preeditum, ea devotione firmatum, ut in impediendis inimicorum nostrorum processibus nil omittens de contingentibus commissum tibi legationis officium prudenter ac fideliter prosequaris. Sane, si Lombardos puduerat Corradino perditionis filio de Verona venienti Papiam nullum obstaculum prestitisse, longe magis pudere nunc potest a te monitos et vocatos transeuntem eius militiam per viscera Lombardie nedum, ut tu volueras, impedisse, sed nec etiam terruisse. Hoc tamen ad eorum reprehensionem non scribimus, quos Romane ecclesie matri sue credimus esse devotos, sed eorum verecundiam egre ferimus et hostium insolentiam de sua glorientium probitate, quam ex eo sibi vindicare dicuntur, quod viros longe se meliores plus terrore quam gladio, prout asserunt, subegerunt. Verum, quamvis in manu Domini rerum sit exitus futurorum, credimus tamen firmiter et speramus triumphum de perfidis inimicis ecclesie aliis reservatum, sed tam ipsis quam ceteris Christi fidelibus profuturum. Tua ergo fraternitas vigilem curam habeat de provincia confortanda. Audies enim Domino concedente, que tibi placere poterunt et universis, qui Deum diligunt et honorem ecclesie, complacebunt. Demum statum tuum et fidelium civitatum sepe nobis rescribere non postponas.

Datum Viterbii, VIII Idus Maii, anno IIII.

495.

Clemens IV. an Girardinus Longo, Podestà von Orvieto, teilt ihm mit, daß er nach Wegen suche, das Schisma an der Kirche von Castello, in das sein Kaplan Bartholomäus Querini (als einer von zwei Elekten) verwickelt sei, beizulegen.

1268 Mai 8, Viterbo

Dilecto filio Girardo Longo potestati Urbis Veteris.

Licet nobis facie non sis notus, quia tamen certa recepimus testimonia, quod ex domo fideli prodiens Deum et ecclesiam longo tempore dilexisti, diligere te proponimus in devotione solita persistentem. Sane, quamvis dilectum filium Bartholomeum Quirinum capellanum nostrum caritatis sincere brachiis amplectamur et eiusdem, quantum cum Deo possumus, sitiamus honorem, quia tamen universis et singulis suscepta servitus nos in iustitia efficit debitores, indiscussum negotium, quod inter B(artholomeum) eundem et eius adversarium agitur, nuda voluntate decidere salva conscientia non valemus. Vias tamen querimus et queremus, per quas ipsum negotium ad unitatem ecclesie Castellane tam celeriter quam utiliter terminemus.

Datum *ut supra*.

496.

Clemens IV. an R(aoul Grosparmi,) Kardinalbischof von Albano, apostolischer Legat: gebietet ihm, nach der zwiespältig verlaufenen Bischofswahl in Lecce kraft päpstlicher Autorität eine Person seiner Wahl einzusetzen.

1268 Mai 11, Viterbo

R(adulfo) episcopo Albanensi, apostolice sedis legato.

Vacante Liciensi ecclesia et eiusdem canonicis XII numero per viam scrutinii sibi providere volentibus de pastore, scrutatoribus tandem duobus de collegio ipso datis et perfecto scrutinio et postmodum publicato evidenter apparuit, quod V in Petrum de Romana canonicum eiusdem ecclesie eligendum consenserant, V in Guillelmum de ecclesia postulandum, Petrus vero de Romana Basilium nominavit. Et in hiis finibus subsistentes collatione non habita nec aliqua in communi electione vel postulatione secuta, processu tandem eorum huiusmodi per procuratores sollempnes tibi, ut eis placuit, presentato fuit a te nomine eorum petatum, ut electionem de dicto P(etro) de Romana factam tamquam canonicam confirmares. Tu vero, licet quoddam tibi monstraretur decretum a quodam conscriptum notario, qui scrutinio non interfuerat, sed, quod ei a canonicis dictum fuerat, imprudenter redegerat in scripturam, quod electionem de dicto Petro factam sonare seu sapere videbatur, veritate tamen per ipsius Petri et aliorum iuramenta comperta patuit manifeste nullam electionem factam fuisse de ipso, et, quia, quod factum non fuerat, non poterat confirmari, tu eundem Petrum nullum ius ex electione huiusmodi habuisse tua sententia declarasti, a qua dicti canonici appellarunt. Ipsorum igitur procuratore in nostra presentia constituto et processum huiusmodi ac tuam nobis sententiam exhibente nos eorundem stultitiam admirati male ipsos appellasse et te bene pronuntiassse cognovimus tuam sententiam de fratrum nostrorum consilio confirmantes, fraternitati tue nichilominus per apostolica scripta mandantes, quatenus eidem ecclesie de persona idonea auctoritate nostra provideas in episcopum et pastorem et eidem per te vel alium munus consecrationis impendas et a subditis suis facias obedientiam debitam ac reverentiam exhiberi. *Contradictores et cetera.*

Datum Viterbii, V Idus Maii, anno IIII.

497.

Clemens IV. an R(aoul Grosparmi,) Kardinalbischof von Albano, apostolischer Legat: fordert ihn zur Zusammenarbeit mit dem in sein Reich zurückgekehrten König (Karl I. von Sizilien) auf.

1268 Mai 11, Viterbo

Eidem.

Regis frui presentia iam te credimus, quam ferventer et non immerito sitiebas. Utere ergo illo ad divini cultus honorem et eiusdem sollicita celsitudinem ad domum suam ordinandam et regnum, ad succurrendum Siculis, ad regni fines Urbi proximos subacta Luceria revisendos. Ad hoc enim vigilant inimici, ut cum Corradino, si poterunt, conglobati in regnum irruant, si resistenciam non invenerint, quam formident.

Datum *ut supra.*

498.

Clemens IV. an König K(arl I.) von Sizilien: verlängert den Termin für die Zahlung des jährlichen (Lehns-)Zinses von 8000 Unzen Gold auf den 29. September.

1268 Mai 18, Viterbo

Carissimo in Christo filio C(arolo) regi Sicilie illustri.

Cum existens in Tuscia multa nuper subieris onera expensarum et nunc regnum tuum ingres-
sus longe plura cogaris expendere *ad peccatorum cornua confringenda*³⁷⁹, qui contra te, dum ageres
in remotis, suum temere supercilium erexerunt, nobis humiliter supplicasti, ut solutionem census
VIII milium unciarum auri, quas in instanti festo apostolorum Petri et Pauli solvere nobis et
ecclesie Romane teneris, prorogare in tempus ulterius dignaremur. Nos igitur tuis compatientes
laboribus et oneribus ac etiam volentes tibi gratiam facere specialem solutionis predictae terminum
usque ad instans festum sancti Michaelis archangeli hac vice de fratrum nostrorum consilio du-
ximus prorogandum, sic tamen, ut ex hoc in posterum solutionis annue terminus non muretur,
sed in festo eorundem apostolorum fiat solutio annis singulis sub penis conventis, sicut in con-
ventionibus inter nos et te habitis plenius continetur, et tu nichilominus penis tenearis eisdem, si
in predicto festo sancti Michaelis non solveris, quibus cessante hac gratia, si in proximo festo
ipsorum apostolorum non solveres, tenereris. In hoc tamen attentum te reddimus et sine prei-
udicio concessae gratiae volumus esse cautum, quod, si medio tempore succedentibus prosperis
prorogatum valueris terminum prevenire, nostre et fratrum necessitati consulere et beneplacito
satisfacere non omittas.

Datum Viterbii, XV Kalendas Iunii, anno IIII.

499.

*Clemens IV. an die Prälaten des Königreichs Sizilien: gebietet ihnen, König K(arl I.) von Sizilien
Urkundenabschriften auszuhändigen, die diesem zur Wahrung seiner Rechte dienen könnten.*

1268 Mai 18, Viterbo

**Venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis abbatibus, prioribus et
aliis ecclesiarum prelati eorumque capitulis et conventibus exemptis et non exemptis in
regno Sicilie constitutis.**

Sicut regie defensionis presidio et quietius vivitis et iura vestra plenius obtinetis, sic vos decet
ex mutue caritatis officio regem ipsum in suis iuribus obtinendis illis promptius adiuvere suffra-
giis, que nec vobis preiudicent nec ecclesiasticam gravent aut minuant libertatem. Quocirca, cum
nostris sit auribus intimatum, quod apud vos vel vestrum aliquos instrumenta sunt publica vel
alia documenta, quibus rex idem plurimum iuaretur in suis iuribus assequendis, vobis universis
et singulis per apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatenus eadem apud vos se-
creto scrutinio perquirentes, si qua talia inveneritis, que cum ipsius commodo et sine vestrarum
ecclesiarum periculo exhibere possitis, eorum ei copiam faciatis.

Datum *ut supra*.

³⁷⁹ Ps. (G) 74,11.

500.

Clemens IV. an König K(arl I.) von Sizilien: teilt ihm mit, daß die Markgräfin Isabella de Clara von Montferrat sich für eine Eheverbindung zwischen ihm und Gräfin Margarethe von Gloucester eingesetzt habe, und bittet ihn um eine Entscheidung.

1268 Mai 22, Viterbo

Carissimo in Christo filio C(arolo) regi Sicilie illustri.

Ex parte dilecte in Christo filie nobilis mulieris Ysabelle de Clara comitisse Montis Ferrari nobis extitit supplicatum, ut ad matrimonium contrahendum inter te et dilectam in Christo filiam nobilem mulierem Margaritam dilecti filii nobilis viri G(ilberti) comitis Glovernie sororem speciosam puellam, cum qua dos magna offertur in pecunia, partes nostras interponere curarem, quod si non potest fieri, quia iam forte cum alia contraxisti vel contrahere ordinasti, saltem ad filium tuum maiorem cum alia minore dictorum comitis et comitisse sorore, si posset fieri, alioquin ad tuum minorem filium cum eiusdem comitis filia matrimonialiter copulandos opem et operam preberemus. Hec autem tue celsitudini duximus intimanda, ut pleniori deliberatione habita, quid tibi super hiis sit agendum, rescribas nobis, quam cito poteris, tue beneplacitum voluntatis ita, quod eidem comitisse certum dare valeamus responsum.

Datum Viterbii, XI Kalendas Iunii, anno IIII.

501.

Clemens IV. an Isnardus Hugolenus, Vikar König (Karls I.) von Sizilien in Florenz: bezweifelt, daß der König in der gegenwärtigen Situation Truppen nach Tuszien schicken könne; fordert ihn auf, mit seinen Aktivitäten fortzufahren.

1268 Mai 28, Viterbo

Dilecto filio Isnardo Ugoleno militi, vicario illustris regis Sicilie in civitate Florentina.

Litteris tuis diligenter inspectis tuam prudentiam in hiis vigilem, que ad bonum statum ecclesie et carissimi in Christo filii nostri C(aroli) illustris regis Sicilie pertinent, et de tanta commendamus sollertia et ad studium indefessum in similibus et maioribus paternis monitis excitamus. Sane, cum rex idem contra Sarracenos Lucerie suam direxerit aciem et relicta parte militie in Urbis finibus aliam miserit in Siciliam, quod multiplicet eam in Tuscia, ei consulere non audemus, sed speramus cotidie certos audire rumores, quibus Sarraceni predicti vel violenter subacti vel per pacem eiecti de regno in perpetuum nuntientur, ut tunc ei sit liberum mittere, quos voluerit, ad hostes alibi prosternendos. Tu ergo interim cum dilecto filio I(ohanne) marescallo eiusdem et aliis eius fidelibus diligenter prosequere, quod cepisti. Confidimus enim in Domino, quod cito tibi poterimus intimare, quod cupis, ad hostium exterminium et fidelium gaudium et honorem.

Datum Viterbii, V Kalendas Iunii, anno IIII.

502.

Clemens IV. an Hugo dictus Staqua, Kapitän von l'Aquila: unterrichtet ihn über die Situation Konradins (von Schwaben) in Pisa; fordert ihn auf, sich für die Sache König K(arl I.) von Sizilien einzusetzen.

1268 Mai 29, Viterbo

Dilecto filio Hugoni dicto Staqua capitaneo Aquile.

Litteras tuas vidimus sollicitam diligentiam, quam in custodia terre geris, quam tibi carissimus in Christo filius noster C(arolus) illustris rex Sicilie tibi credit, nec non et promptitudinem, quam ad repressionem hostium habuisti, plurimum commendantes. Scias autem, quod Corradinus est Pisis Lucanos se velle aggredi iactans, ut noceat, vel forte simulans, ut, dum illuc contra eum intenditur, versus Urbem liberius gradiatur. Sane dilecti filii I(ohannes) marescallus et eius comites in Tuscie partibus agunt prospere sicque Corradinum predictum detinent occupatum, quod in quadam perplexitate moratur, cum dimittere Pisanos non audeat nec eisdem, ut vellet, valeat suffragari. Tu ergo viriliter facta regis prosequere. Nam in Deo confidimus, cuius negotium rex prosequitur, quod subacta Luceria sine difficultate poterit *cornua frangere superborum*³⁸⁰.

Datum Viterbii, IIII Kalendas Iunii, anno IIII.

503.

Clemens IV. an Königin (Margarete) von Frankreich: rechtfertigt sich, daß er mit dem Eid, den König K(arl I.) von Sizilien Klerus und Adel in der Provence habe leisten lassen, nichts zu tun habe.

1268 Mai 31, Viterbo

Carissime in Christo filie regine Francie illustri.

Turbavit plurimos carissimus in Christo filius noster C(arolus) rex Sicilie illustris in exacto per totam Provinciam iuramento, quod ad suam securitatem recipiens in aliorum preiudicium visus est pluribus exegisse, nec potuimus invenire, licet satis exacte quesierimus, quorum consilio istud fecerit, sed a suis dicitur habuisse iuristas, quod in terris Provincie obtinet usumfructum, quem sibi satagens confirmare prelatorum atque nobilium habere voluit iuramenta, ut nedum ab aliis, sed nec a liberis suis posset vivens molestiam sustinere. Sane nullam a nobis petiit confirmationem terrarum, nec hoc ipsum, quod scripsimus, per eum novimus, sed relatu communi ad nostrum pervenit auditum. Nec tuam oportet timere magnitudinem a nobis posse aliquid per eundem vel alium obtineri in preiudicium iuris tui, quod esset utinam taliter declaratum, ut inter te et ipsum, tuos et suos posteros questionis nulla materia penitus remaneret.

Datum Viterbii, II Kalendas Iunii, anno IIII.

³⁸⁰ Ps. (G) 74,11.

Clemens IV. an König (Jakob I.) von Aragón: weist seine Beschwerden über Bischof (Berengarius de Frédol) von Maguelone zurück, der als Oberhaupt der Universität von Montpellier den Lehrer in römischem Recht G. Seguerii und dessen Hörer exkommuniziert habe.

1268 Mai 31, Viterbo

Carissimo in Christo filio regi Aragonum illustri.

Contra venerabilem fratrem nostrum Magalonensem episcopum, quem in minori constitutum officio dilexisse non modicum videbaris, rancorem aliquem tuam magnitudinem concepissem litterarum inspecta series, quas ex parte tua nuper recepimus, manifestat inter cetera continentium, quod episcopus memoratus in evidens preiudicium iuris tui in G. Seguerii et omnes auditores ipsius excommunicationis sententiam tulerat, cui licentiam dederas in Monte Pessulano iura docendi civilia, cum ad hoc tibi videretur idoneus et iuris in eadem facultate prudentibus, quorum consilia requisisti, et idcirco petebas ab eodem episcopo latas sententias sine difficultate qualibet relaxari. Sane, quia via iudicii non patebat ad tuum desiderium adimplendum sepe dicto episcopo non presente nec citato ab homine vel a iure nec iudicibus committi negotium credebamus expediens, cum nec etiam id postulares, aliqua regie celsitudini familiariter duximus perstringenda, quibus plenius instrui valeas ad ea, que te deceant eligenda.

De licentiandis quidem doctoribus in scientiarum variis facultatibus aliud canonica iura diffiniunt aliud principum sanctiones, sed et ipse consuetudines pro diversitate diocesum aut locorum in huiusmodi dandis licentiis variantur. Verum ex synodo pape Eugenii canon³⁸¹ precipit ab universis episcopis omnem curam habendam, ut magistri et doctores constituentur, qui studia litterarum, liberalium artium dogmata assidue doceant, quia in hiis maxime divina manifestantur atque declarantur mandata. Lex autem humana decernit civilis sapientie professores magistralem ascendere cathedram non debere, donec ab ordine decurionum fuerint approbati. Pro tempore tamen loquitur, quo censura ecclesiastica non vigeat, quo etiam matrimoniales cause per laicos tractabantur. Porro casus novus a te propositus ex ipsius qualitate negotii dubitationem recipere non videtur, si purgatis oculis veritas attendatur. Constat enim Magalonensem episcopum a longissimis retro temporibus dedisse licentias in aliis facultatibus consueta forma servata, etsi dare non consuevit in ista, quia nec etiam petebatur nec petendi erat occasio, ubi nec hoc studentium vel docentium numerus exigebat. Quod in aliis est servatum, et in ista videtur servandum, sicut et hodie servaretur, si quis vellet legere arithmetica, que nullo forsitan ibi tempore lecta fuerit. Nam, quod dicitur, quod prescriptis aliquibus iuribus episcopalibus cetera, quibus prescribens usus non est, remanent non prescripta, in rebus prorsus diversi generis observamus. Sed, si una ecclesia in parrochia alterius prescripserit decimam per tempus legitimum de frumento et ordeo, eam percipiens, si postea milium seminetur vel fortasse legumen, quod nullo ibi tempore fuerat seminatum, eque de illis percipiet decimam sicut de aliis, cum sint eiusdem generis licet alterius speciei. Et quidem genus iste communicant, licet differant aliquatenus facultates. Sed et cancellarius caput studentium post episcopum, in quacumque legat vel doceat facultate, ab episcopo ordinatur. Unde idem episcopus caput est studii principale. Demum de dilecto filio B. de Castaneto capellano nostro scire te volumus, quod, cum minori fungeremur officio, de felicis memorie Urbani pape predecessoris nostri speciali mandato in aula eiusdem episcopi doctorum et scholarium multitudine convocata nos ei licentiam dedimus et librum tradidimus solita sollempnitate servata.

³⁸¹ D. 37 c. 12.

Quocirca, si aliud ad ius tuum pertinens non occurrat, nullam tibi factam iniuriam intelligimus. Quod si novum aliquid intimetur, prompti sumus regium ius defendere et, quicquid idem episcopus iniuste fecerit, revocare.

Datum Viterbii, II Kalendas Iunii, anno IIII.

505.

Clemens IV. an König L(udwig IX.) von Frankreich: lehnt seine Bitte ab, den Kreuzzugszehnten bei gleichzeitiger Einbeziehung der täglichen Darreichungen auf vier Jahre zu verlängern.

1268 Mai 29, Viterbo

Carissimo in Christo filio L(udovico) regi Francie illustri.

Petierat tua serenitas et a dilecto filio nostro S(imone) tituli sancte Cecilie presbytero cardinali, apostolice sedis legato nobis scriptum extiterat, quod ad cleri tollendum scandalum cotidianas distributiones a decima permanere vellemus immunes, si tamen dati tibi triennii decime anni quarti prestatio iungeretur, quod cum nuper eo modo, quo fuerat postulatum, a nobis liberaliter fuisset indultum, per dilectum filium magistrum G. de Nova Villa petisti annum quartum adici et decimam distributionum earundem persolvi. Super quo plurimum admirati, quia preter tue consuetudinem bonitatis hec variatio videbatur, petitionem huiusmodi nolimus exaudire. Non enim expedit Gallicane ecclesie successive tot scandala nos inferre, cum amare ferant et tulerint id ipsum, quod de decima preordinavimus triennali.

Datum Viterbii, IIII Kalendis Iunii, anno IIII.

506.

Clemens IV. an die Suffraganbischöfe und das Domkapitel von Tarragona: gebietet ihnen, ihren neuen Erzbischof nicht vor dem 1. August zu wählen, damit die gerade an der Kurie anwesenden Kanoniker an dem Wahlakt teilnehmen könnten.

1268 Juni 4, Viterbo

Venerabilibus fratribus suffraganeis et dilectis filiis capitulo Terraconensis ecclesie.

Cum ad nostras aures pervenerit bone memorie Terraconensem archiepiscopum nature debitum exsolvisse, universitati vestre per apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatenus ad providendum eidem ecclesie de pastore citra proximas Kalendas Augusti nullatenus procedatis. Nos enim exnunc decernimus irritum et inane, si quid per vos vel vestrum aliquos secus fuerit attempatum. Sane non ista scribimus, ut extunc vestram velimus eripere libertatem, sed quoniam indecens arbitramur, ut illis eiusdem ecclesie canonicis absentia sua noceat, qui pro ipsius statu nobis humiliter intimando ad nos accesserant pro salubri remedio procurando.

Datum Viterbii, II Nonas Iunii, anno IIII.

Clemens IV. an Propst, Archidiacon und Kanoniker von Tarragona: erteilt ihnen angesichts der ausstehenden Neuwahl ihres Erzbischofs eine Generalabsolution von allen Kirchenstrafen, denen sie wegen ihres Konfliktes mit dem verstorbenen Erzbischof B(enedictus de Rocaberti) und wegen der unterlassenen Zehntzahlungen an König J(akob I.) von Aragón verfallen waren.

1268 Juni 7, Viterbo

Dilectis filiis preposito, archidiacono et aliis ecclesie Terraconensis canonicis universis.

Cum, sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, occasione discordie inter bone memorie B(enedictum) archiepiscopum Terraconensem ex parte una et vos ex altera dudum exorte tam per eundem archiepiscopum quam per officialem ipsius seu alios ipsorum auctoritate vel mandato quam etiam per delegatos apostolice sedis vel subdelegatos ab eis diversis temporibus ex causis variis ab ipsius discordie fomite directe vel indirecte descendantibus seu pro quibusvis Terraconensis ecclesie negotiis, questionibus sive causis nunc generaliter nunc vero in quorundam vestrum personas specialiter nec non et participantes eisdem fuerint excommunicationis, suspensionis et interdicti sententie promulgate ac nonnulli vestrum lesam habeant conscientiam similes sententias incurrisse pro eo forsitan, quod decimam carissimo in Christo filio nostro I(acobo) regi Aragonum illustri ab apostolica sede concessam in prefixis ad hoc terminis non solverunt, nos vestris devotis supplicationibus inclinati ad vestras conscientias serenandas et, ut securius ad providendum vestre ecclesie viduate de pastore procedere valeatis, ab omnibus et singulis predictis et generaliter ab aliis quibuslibet sententiis a canone sive ab homine promulgatis vos omnes et singulos de apostolice plenitudine potestatis absolvimus easque penitus relaxamus vobiscum super irregularitatibus, si quas eisdem ligati sententiis divina officia celebrando vel immiscendo vos illis aut in vestris ordinibus ministrando hactenus contraxistis, misericorditer dispensantes. Hanc vero generalem absolutionem et dispensationem eum volumus obtinere vigorem, acsi de singulis predictis sententiis fieret in presentibus mentio specialis. Volumus autem, ut infra mensem, postquam electio vel postulatio in vestra ecclesia fuerit celebrata, solvatis predictam decimam, dampna et iniuriam passis satisfaciatis competenter, si forte interim non fuerit satisfactum. Alioquin extunc ipso facto in pristinas sententias noveritis vos reductos. Nulli ergo *et cetera* nostre absolutionis et dispensationis *et cetera*. Si quis *et cetera*.

Datum Viterbij, VII Idus Iunii, anno IIII.

Clemens IV. an den Archidiacon von Barcelona: gebietet ihm, Inhaber von Kirchenämtern, die durch den verstorbenen Erzbischof (Benedictus de Rocaberti) von Tarragona besetzt wurden, obwohl sie bereits an den Papst devolviert waren, zu relegieren.

1268 Juni 7, Viterbo

Dilecto filio archidiacono Barchinonensi.

Ad nostrum pervenit auditum, quod bone memorie B(enedictus) Terraconensis archiepiscopus, dum vivebat, nonnullas dignitates, personatus, administrationes et officia, que in ecclesia Terraconensi tanto vacaverant tempore, quod earum collatio erat ad sedem apostolicam secundum statuta Lateranensis concilii legitime devoluta, personis diversis auctoritate propria

duxit de facto pro sue voluntatis libito conferenda, que quidem persone talium collationum pre-
textu dignitates et alia supradicta illicite detinent occupata non sine suarum periculo animarum.
Volentes itaque super hoc apostolica sollicitudine providere discretioni tue per apostolica scripta
mandamus, quatenus, si de plano et absque iudicii strepitu tibi constiterit ita esse, collationibus
eisdem penitus revocatis quoslibet tales per te vel per alium seu alios a dignitatibus, personatibus,
administrationibus et officiis amoveas supradictis. Contradictores *et cetera* invocato *et cetera* non
obstante, si aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod excommunicari *et cetera usque* men-
tionem.

Datum Viterbii, VII Idus Iunii, anno IIII.

509.

*Clemens IV. an Propst und Kapitel von Tarragona: gebietet ihnen, ohne Hinzuziehung ihrer Novizen
einen neuen Erzbischof zu wählen.*

1268 Juni 7, Viterbo

Dilectis filiis preposito et capitulo ecclesie Terraconensis.

Cum ecclesia vestra vacare dicatur ad presens sitque de futuro pontifice a vobis electio cele-
branda, volumus et per apostolica vobis scripta mandamus, quatenus ad electionem vel postula-
tionem pastoris noviciis vestris, qui nondum professionem fecerunt ibidem tacite vel expresse,
hac vice ad electionem vel postulationem huiusmodi non admissis et contradictione ipsorum
qualibet non obstante libere procedatis.

Datum *ut supra*.

510.

*Clemens IV. an König L(udwig IX.) von Frankreich: tadelt ihn, weil er bei der Besetzung des Ar-
chidiaconats von Sens die päpstlichen Rechte nicht berücksichtigt habe.*

1268 Juni 7, Viterbo

Carissimo in Christo filio L(udovico) regi Francie illustri.

In archidiaconatus Senonensis negotio nobiscum curialius agere tua, fili carissime,
circumspecta prudentia potuisset – nec peccabimus, si dixerimus: debuisset –, cum pro iure sal-
vando regio, si quod erat vel esse poterat, viam nobis placuisset eligere gratiosam, quam acceptam
habere te decuisset, cum de illorum numero non credaris, qui suam fortitudinem legem iustitie
esse volunt. Sane nullus manus nostras ligaverat, nemo linguam, quin nos statim venerabili fratre
nostro P(etro) Senonensi archiepiscopo consecrato archidiaconatum conferre libere potuissemus
eundem, quem etiam poteramus conferre infra tempus de consecrandis episcopis a canone diffi-
nitum ex apostolice plenitudine potestatis, sed neutro istorum usi tue benivolentie morem
gessimus nec humilitatis nostre fructum alium reportavimus, nisi quod efficaciter docti sumus,
cum se facultas obtulerit in similibus, inoffensa semper iustitia cautius nos habere. Tu igitur, fili
carissime, diligenti meditatione pensabis, an bene feceris, an patri benivolo vicem dignam repen-
deris, quod defendi posse non credimus, nisi sacrorum canonum fundamenta totaliter a radicibus

evellantur. Nos autem cum adversario, quem nobis constituere voluisti, ius nostrum, prout expedire viderimus, prosequemur.

Datum *ut supra*.

511.

Clemens IV. an Gerardus de Rampilione, Kanoniker von Sens: verbietet ihm, den Archidiaconat von Sens in Besitz zu nehmen, bevor er persönlich an der Kurie vorstellig geworden sei.

1268 Juni 7, Viterbo

Dilecto filio magistro Gerardo de Ramplion canonico Senonensi.

Cum archidiaconatus maior Senonensis ecclesie in curia nostra vacaverit venerabili fratre nostro P(etro) Senonensi archidiacono in Senonensem archiepiscopum consecrato, in quo, prout audivimus, ius asseris te habere, per apostolica tibi scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandamus, quatenus possessionem eiusdem vel aliquid pertinens ad eundem per te vel alium clam vel palam nec recipias nec attingas nec te de ipso aliquatenus intromittas, donec te nostro conspectui personaliter presentaveris tuam nobis iustitiam ostensurus. Quod si secus egeris, ipso facto sententiam excommunicationis incurras et privatus omnibus ecclesiasticis beneficiis inhabilis nichilominus maneat ad habenda. Si vero possessionem eiusdem es nactus, sub eadem forma tibi precipimus, quod dimittas, et, nisi feceris, eidem sententia excommunicationis et penis aliis maneat involutus.

Datum *ut supra*.

512.

Clemens IV. an den Offizial von Paris und an Helias de Caturco, beide Kanoniker von Paris: gebietet ihnen, dem Gerardus de Rampilione, Kanoniker von Sens, die mitgesandte päpstliche Littera (Nr. 511) auszuhändigen.

1268 Juni 7, Viterbo

Dilectis filiis officiali et magistro Helie de Caturco canonicis Parisiensibus.

Discretion vestre in virtute obedientie per apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatenus magistrum Gerardum de Ramplion canonicum Senonensem ad vestram evocantes presentiam et venire per censuram ecclesiasticam compellentes litteras, quas dirigimus ad eundem, quas et vobis sub bulla nostra mittimus interclusas, sub bonarum et gravium testimonio personarum legatis et lectas tradatis eidem et, si copiam alicuius vestri scriniarii habueritis, de lectione et traditione huiusmodi faciatis confici publicum instrumentum, alioquin in testimonium rei geste vestras nobis patentes litteras transmittatis.

Datum *ut supra*.

513.

Clemens IV. an den Elekten M(anfredus Roberti) von Verona, Rektor des Herzogtums Spoleto und der Mark Ancona: klagt über die Unzuverlässigkeit der Bevölkerung in der Mark; fordert ihn auf, die Besitzungen von Castelleone an sich zu ziehen und dort die Möglichkeiten eines festen Baus zu erwägen; er werde tiefergehende Maßnahmen erst ergreifen, wenn er über die Entwicklung in Fermo und den Ausgang der Unternehmung Konradins Bescheid wisse.

1268 Juni 9, Viterbo

Dilecto filio M(anfredo) Veronensi electo, ducatus Spoleti et Marchie Anconitane rectori.

Litterarum tuarum series satis indicat, quod ab olim credidimus, nos videlicet aut fideles in Marchia non habere aut raros adeo, ut eos non expediat numerari. Que enim maior perfidia quam illorum, quos in castri Leonis negotio Deum et Romanam ecclesiam, nos et te et tuos certum est prodidisse? Et utinam dies veniat, quam cum summo desiderio prestolamur, ut talem eorum cervicibus preponamus, qui colla ferrea simili iugo comprimat et de tot proditoribus, quam meruerunt, faciat ultionem. Demum possessiones omnes dicti castri applica fisco nostro et <inquire>, an expensis levibus ibi posset aliquod conveniens palatium construi et homines illuc reduci, qui non essent suspecti. Videbimus autem, quid Firmani facient. Videbimus etiam exitum Corradini et senatoris, antequam quicquam arduum attemptemus.

Datum Viterbii, V Idus Iunii, anno IIII.

514.

Clemens IV. an Podestà, Capitano del Popolo, Rat und Bürger von Perugia: ruft eine Abordnung zu sich, die ihm mit ihrem Rat zur Seite zu stehen solle, wenn Konradin (von Schwaben) auf seinem Marsch nach Rom an Viterbo vorbeiziehen werde.

1268 Juni 14 oder 15, Viterbo

Dilectis filiis potestati, capitaneo, consilio et civibus Perusinis.

Diversis diversa narrantibus, sed finaliter in hanc unam sententiam concordantibus, quod Corradinus a viris perfidis inductus in Tusciam et exinde traducendus ad Urbem iuxta nos transitum est facturus, licet ad eius impediendum transitum nequeamus habere militiam numerosam, placuit tamen nobis de nostris et ecclesie fidelioribus aliquos habere nobiscum, quorum gratis ministerio ceteros fideles ecclesie roboramus. Et ideo vos vocavimus, quorum fidem pre ceteris et modernis et antiquis temporibus novimus approbatam, nec extra contratam mittere vos intendimus, sed vestro potius consilio dirigi et presentia recreari.

Datum Viterbii, XVIII/XVII Kalendas Iulii, anno IIII.

515.

Clemens IV. an den Franziskanerbruder Deotaleve: teilt ihm mit, daß er gegenwärtig nicht beabsichtige, gegen Rom Krieg zu führen, daß er aber eine Abordnung aus Perugia zu sich gerufen habe.

1268 Juni 14 oder 15, Viterbo

Dilecto filio fratri Deotaleve ordinis Fratrum Minorum.

Non intendimus guerram Romanis facere ex arrupto, licet multum deliquerint et matrem suam offenderint insolenter, sed, quia magna videntur imminere negotia, dilectos filios Perusinos vocavimus, ut eorum fulciamur consiliis et presentia recreemur.

Datum *ut supra*.

516.

Clemens IV. an König K(arl I.) von Sizilien: fordert ihn auf, das Gesuch der Tuszier auf Militärhilfe mit Bedacht zu behandeln.

1268 Juni 14 oder 15, Viterbo

Carissimo in Christo filio C(arolo) regi Sicilie illustri.

Mittunt ad te Tusci pro militari subsidio, pro quibus tibi scribere cogimur, sed tu nosti, quid tibi liceat, quid deceat, quid expediat. Et idcirco statu tuo pensato sic eis respondeas, quod nec tuum periculum negligas nec ipsorum corda formidolosa perturbes.

Datum *ut supra*.

517.

Clemens IV. an König L(udwig IX.) von Frankreich: mahnt ihn, Belästigungen des Bischofs (Hugo de Latour) und der Kirche von Viviers nicht länger zuzulassen, weil die Diözese zum Reich und nicht zu Frankreich gehöre.

1268 Juni 16, Viterbo

Carissimo in Christo filio L(udovico) regi Francie illustri.

Credit mundus et nos dudum probavimus, quod ex certa scientia nullum opprimis, nullum gravas, sed non omnia scire potes, que aguntur in finibus regni tui, sed nec factis ipsis auditis, quo pondere, qua mensura sint facta, sine recta nosse vales indagare, et idcirco multa plerumque transeunt incorrecta, vel quia ad magnitudinis tue presentiam obsistentibus emulis veritas non permittitur ingredi vel ingressa non invenit, per quem tibi, qui eam diligis, valeat aperiri. Hec constantius scribimus, que interdum oculis nostris vidimus, et eundem defectum in nostra curia sepius experimur et ex nobis intelligimus, que sunt proxime, te et principes alios ad condignam sollicitudinem potius excitantes quam in eis omissionem aut negligentiam arguentes, cum nos nullo possimus ingenio huic morbo plenum antidotum reperire, nec precise dampnamus in aliis, quod in nobis usquequaque non cernimus emendatum.

Sane Vivariensis episcopus et ecclesia querelosis nobis suspiriis et clamoribus intimarunt, quod a tuis officialibus miserabiliter opprimuntur, qui, cum soli, ut asserunt, subsint imperio, ad iudicium evocantur ab eis et ipsorum vassalli similiter et, si non venerint, multantur et pignorantur, in civilibus et criminalibus iudicantur. De hiis autem, quod novimus, serenitati tue duximus intimandum: Fines quidem imperii discretos a finibus regni tui in nulla scriptura vidimus et eosdem distinguere nesciremus, quamvis audierimus ab antiquis, quod in locis aliquibus disting-

untur per flumina, in aliquibus per provincias, in aliquibus per dioceses, sed hoc penitus ignoramus. In hac tamen specialiter questione circa regni tui principium, cum Peregrinus Latimarius esset Bellicadri senescallus et cum bone memorie Bremundo tunc Vivariensi episcopo multas ex hac causa haberet dissensiones, nos tunc in statu alio constituti una cum quondam Raymundo de Bariaco milite de communi consensu partium Vivarium ivimus et tam in episcopi quam capituli nobis apertis archivis omnia eorundem privilegia vidimus, que quidem erant imperialia, nec unum regium invenimus inter illa. Que a multis retro temporibus indicabant dictam ecclesiam cum suis iuribus ad imperium pertinere, sed et vetera nobis ostenderunt vexilla imperialia, quibus episcopi Vivarienses pro tempore usi fuerant, nec quicquam aliud receptis iuramentis aliquibus potuimus invenire. Quod cum senescallo renuntiassemus eidem retentis paucis feudis, que sibi fecerat tuo nomine recognosci, substitit patienter.

Quocirca tuam celsitudinem rogandam duximus et hortandam, quatenus dictis episcopo et ecclesie mansuetudine regia deferens, nunc presertim, dum vacat imperium, eos non permittas indebite molestari, et cum in tuis registris, ut credimus, invenire non possis, quod episcopi retroactis temporibus tuum dominium recognoverint, et eisdem imperatoribus subfuisse certo certius habeatur. Porro, si ius tuum ad ipsos extenditur, quod nullo volumus tempore nec volumus in posterum mutilari, rectius iuribus recuperari posse quam viribus minime dubitamus.

Datum Viterbii, XVI Kalendas Iulii, anno IIII.

518.

Clemens IV. an O(ttobono Fieschi,) Kardinaldiakon von Sant'Adriano, apostolischer Legat: gebietet ihm, König (Alfons X.) von Kastilien und León zur Hilfe für das Heilige Land zu bewegen.

1268 Juni 22, Viterbo

O(ttobono) sancti Adriani diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Terra Sancta diris assidue vexata molestiis et intolerabilibus oppressa iacturis solito potioribus presidiis indiget, que a Christi fidelibus sine intermissione clamoris pro remedio expectate respirationis implorat. Unde, cum, sicut accepimus, carissimus in Christo filius noster rex Castellæ ac Legionis illustris ad terram eandem super eius angustiis gerat pie compassionis affectum et ad iuvandam illam se disponere videatur, volumus et per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus, si contingat te, prout intelleximus, adire partes Yspanie ac ad eundem regem in tui prosecutione itineris pervenire, ipsum ad succurrendum eidem terre iuxta datam a Deo tibi prudentiam studio efficacis exhortationis inducas. Quod si forte non habueris transitum per eundem, aliquibus prelatibus illarum partium, de quibus videris expedire, committas, ut ipsum regem excitare sollicitè ac prudenter animare procurent, quod dicte terre negotium sive personaliter sive alias per oportuna velit subsidia promovere.

Datum Viterbii, X Kalendas Iulii, anno IIII.

519.

Clemens IV. an Guido Guerra, Pfalzgraf von Tuszien, an Isnardus Hugolenus, Vikar König (Karls I. von Sizilien) in Florenz, sowie an Rat und Kommune von Florenz: fordert sie auf, sich auch nach der militärischen Niederlage des Königs (beim Ponte a Valle) dem Feind entgegenzustellen; macht die

Erfüllung ihrer Bitte, den provenzalischen Seneschall G(uillaume d'Étendard) mit einem Truppenaufgebot zu ihnen zu schicken, von der Entscheidung des Königs abhängig.

1268 Juli 4, Viterbo

Dilectis filiis nobili viro Guidoni Guerre comiti Tuscie palatino, Ysnardo Hugoleno regio vicario, consilio et communi civitatis Florentine.

De casu flebili, qui nuper in Tuscia contigit genti carissimi in Christo filii nostri C(aroli) regis Sicilie illustris, de quo accepimus vos tristari, licet vobis et aliis ecclesie Romane fidelibus sit dolendum, non tamen est doloribus, sed contra hostes fortius et animosius insistendum. *Non* ergo ex hoc *concidant vultus vestri*³⁸² aut animi prosternantur, sed tamquam viri perfecte fidei et virtutis assumpto fortitudinis spiritu hostibus viriliter resistatis. Nos sane dilectum filium G(uillelmum) senescallum Provincie, quem ad vos cum militia remitti petitis, ad presens remittere non valemus, cum iam Viterbium venerit, ubi expectat beneplacitum dicti regis, cui per nostros bonos nuntios ipsum negotium et Tuscie periculum duximus intimanda. Et speramus in Domino, quod rex ipse impendet in brevi super hiis consilium et auxilium oportuna.

Datum Viterbii, IIII Nonas Iulii, anno IIII.

520.

Clemens IV. an Iacobus, Sohn des verstorbenen Diusalvi, Bürger von Siena: überträgt ihm das Richter- und des Notarsamtes.

1268 Juli 7, Viterbo

Dilecto filio Iacobo nato quondam Diusalvi civi Senensi.

Cum emula iuris alieni cupiditas novas cotidie pariat questiones, ne immortales existerent et vitam litigantium superarent, congrua fuit deliberatione provisum, ut certe persone ad iudicatus sumerentur officium, per quas orite lites fine debito sopirentur, sed et, ne contractuum memoria deperiret, inventum est tabellionatus officium, quo contractus legitimi ad cautelam presentium et memoriam futurorum manu publica notarentur. Hinc est, quod predicta iudicatus et tabellionatus officia cum potestate dandi tutores et curatores, decreta interponendi, alimenta decernendi, testes recipiendi et publicandi instrumenta, acta et protocolla exemplandi nec non et auctoritatem prestandi emancipare, manumittere et adoptare volentibus, ad que fuisti repertus idoneus, tibi duximus concedenda, ut illa prudenter et fideliter exequaris et ad te, cum necesse fuerit, in omnibus, que ad officia ipsa pertinent, recurratur. Nulli ergo *et cetera* nostre concessionis *et cetera*.

Datum Viterbii, Nonis Iulii, anno IIII.

521.

Clemens IV. an Podestà, Rat und Kommune von Florenz: gebietet ihnen, auch nach der militärischen Niederlage König K(arl I. von Sizilien am Ponte a Valle) die Sache der Kirche und des Königs zu vertreten; teilt ihnen mit, daß er die Angelegenheit der Florentiner, die wegen ihrer ausstehenden

³⁸² Iudith 6,5; auch Gen. 4,5.

Schulden an Giacomo di Collemezzo exkommuniziert worden seien, dem Dominikanerbruder Guillelmus de Toneux übergeben habe.

1268 Juli 8, Viterbo

Dilectis filiis potestati, consilio et communi civitatis Florentine.

Quia, sicut per vestras accepimus litteras, non obstante casu flebili, qui nuper genti carissimi in Christo filii nostri C(aroli) illustris regis Sicilie in Tuscia contigit, vos nichilominus in fide et devotione ecclesie ac regis eiusdem unanimiter permanetis, devotionem vestram in Domino commendantes universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus in fide et devotione huiusmodi eo fidelius et constantius persistatis, quo in casu graviori probata, maiori favore digna poterit merito reputari. Nos autem super absolutione vestris civibus impendenda ab excommunicationis sententia, qua tenentur pro salario, quod dilecto filio nobili viro Iacobo de Colle Medio debetur, dilecto filio fratri Guillelmo de Toneux ordinis Fratrum Predicatorum per nostras litteras sub certa forma committimus vices nostras.

Datum Viterbii, VIII Idus Iulii, anno IIII.

522.

Clemens IV. an den (Dominikaner-)Bruder Guillelmus de Toneux: gebietet ihm, die Florentiner, die wegen ihrer ausstehenden Schulden an Giacomo di Collemezzo exkommuniziert worden seien, zu absolvieren.

1268 Juli 8, Viterbo

Fratri Guillelmo de Torneux.

Cum nonnulli cives Florentini ratione salarii, quod dilecto filio nobili viro Iacobo de Colle Medio debetur, excommunicationis sint vinculo innodati, nos animarum ipsorum sitientes salutem discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus eisdem civibus vel dictum salarium solventibus vel de ipso in competenti termino persolvendo prestantibus tibi bonas fideiusorias per mercatores, videlicet curie, cautiones ab huiusmodi excommunicatione iuxta formam ecclesie beneficium absolutionis impendas.

Datum Viterbii, VIII Idus Iulii, anno IIII.

523.

Clemens IV. an König (Karl I.) von Sizilien: mahnt ihn, den Leichnam seiner Gemahlin B(eatrix) ihrem Wunsch entsprechend bei den Johannitern von Aix bestatten zu lassen.

1268 Juli 11, Viterbo

Regi Sicilie.

Cum ultime decedentium voluntates sint omnino inviolabiliter observande et inter illas ordinatio clare memorie B(eatrix) regine Sicilie uxoris tue tibi specialiter debeat esse cordi, que propter specialem devotionis affectum, quem ad domum fratrum Hospitalis sancti Iohannis

Ierosolimitani Aquensem, in qua corpus bone memorie R(aimundi) comitis Provincie patris sui iacet tumulatum, gerebat, corpus suum cum eo ibidem pariter tumulari elegit, serenitatem tuam rogamus et hortamur attente, quatenus intuitu pietatis et ob memoriam dilectionis, quam ad eam habebas, huiusmodi voluntatem ipsius executioni facias demandari, cum fratres predicti parati sint corpus eius recipere et cum reverentia et honore iuxta ordinationem ipsius facere sepeliri.

Datum Viterbii, V Idus Iulii, anno IIII.

524.

Clemens IV. an Podestà, Capitano del Popolo, Rat und Kommune von Assisi: teilt ihnen mit, daß er ihre Soldaten noch bei sich behalten wolle, bis der unmittelbar bevorstehende Durchzug Konradins (von Schwaben) erfolgt sei.

1268 Juli 13, Viterbo

Potestati, capitaneo, consilio et communi Assisinato.

Cum immineat iuxta nos transitus Corradini infra diem Lune vel diem Martis proximam, prout creditur, consummandus, patienter ferat vestra devotio, si adhuc vestros milites retinemus. Indecens etenim crederemus, si eos remitteremus incompleto negotio, qui nobis hactenus fideliter astiterunt. Consummato vero ipso negotio eos ad vos cum gratiarum actionibus remitteremus.

Datum Viterbii, III Idus Iulii, anno IIII.

525.

Clemens IV. an Bischof (Guglielmino degli Ubertini) von Arezzo: empfiehlt ihm den Adelige Odo von Cortona, der sich unter anderem für die Freilassung des Ritters Bertrandus Albe einsetzen solle.

1268 Juli 17, Viterbo

Episcopo Aretino.

Cum dilectum filium nobilem virum Odonem de Cortona nostrum et ecclesie Romane ac carissimi in Christo filii nostri C(aroli) illustris regis Sicilie devotum pro facto dilecti filii Bertrandi Albe militis, de quo scripsimus tibi nuper, quem intelleximus captum in nemoribus detineri, ac pro quibusdam aliis nostris negotiis destinemus, fraternitatem tuam ea, qua possumus, affectione rogamus, quatenus ob reverentiam sedis apostolice ac nostram super huiusmodi negotiis et aliis, que sibi per dilectum filium nobilem virum Guillelmum Estandardi senescallum Provincie sunt iniuncta, eidem impendas et per tuos impendi facias consilium et auxilium oportuna ita, quod nos exinde tue devotionis promptitudinem, quam in aliis probavimus, commendare uberius merito valeamus.

Datum Viterbii, XVI Kalendas Augusti, anno IIII.

526.

Clemens IV. an Cinthius, Kanoniker von Reims: bekundet ihm seine Geneigtheit.

1268 Juli 21, Viterbo

Dilecto filio Cinthio Remensi canonico.

Devotionis indicia, que nobis tam per litteras quam per nuntium ostendisti, in hiis, que Romane ecclesie commodum et honorem respiciunt, gratanter accepimus, licet et antea de te certam gereremus fiduciam, quod eo zelo in talibus ferveas, ut ab eadem debeas honorari. Quocirca scire te volumus, quod te sicut filium specialem sincere brachiis caritatis amplectimur et affectum, quem ad te gerimus, tuis exigentibus meritis ostendemus libentius per effectum.

Datum Viterbii, XII Kalendas Augusti, anno IIII.

527.

Clemens IV. an den Dominikanerbruder G(uillelmus) de Toneux: gebietet ihm, unverzüglich zu ihm zu kommen, um wegen der Situation in Florenz persönlich mit ihm zu konferieren.

1268 Juli 25, Viterbo

Fratri G(uillelmo) de Toneux ordinis Predicatorum.

In virtute obedientie per apostolica scripta tibi precipiendo mandamus, quatenus post receptionem presentium, si hora hoc patitur, ipsa die, alioquin immediate sequenti, iter ad nos veniendi arripas et continuatis dietis tuam nobis exhibere presentiam non postponas cavens sub ordinis tui periculo, ne quid novi facias fieri, ne consentias circa Florentine statum aut regimen civitatis, donec ore ad os nobis locutus fueris et ad plenum nobis narraveris, que pro bono statu civitatis eiusdem extimas facienda, et sic a nobis instructus regredi valeas ad ea, que utilia fuerint exequenda.

528.

Clemens IV. an Isnardus Hugolenus, Vikar König K(arls I. von Sizilien) in Florenz: gebietet ihm, vorerst alle seine Aktivitäten in Florenz auszusetzen, bis über das von ihm, Graf Guido Guerra und dem (Dominikaner-)Brüder Guillelmus de Toneux geduldete Abkommen, das den Interessen des Königs zuwiderlaufe, entschieden sei. – Mit entsprechender Formulierung an Guido Guerra, Pfalzgraf von Tuszien.

1268 Juli 25, Viterbo

Isnardo Hugoleno regio vicario in Florentia.

Relationibus variis apud nos rumor increbuit, quod tu cum nobili viro comite Guidone Guerra, fratre Guillelmo de Toneux nuntio nostro et quibusdam aliis tractatus varios tolerasti super hiis, que ad Florentine pertinent regimen civitatis, sub boni specie in carissimi in Christo filii nostri C(aroli) regis Sicilie illustris preiudicium et dispendium immutandis. Quia vero per eundem fratrem Guillelmum, quem ad nostram presentiam personaliter evocamus, super eis reddi volumus certiores, discretioni tue per apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatenus in eisdem usque ad fratris eiusdem reditum nec procedas nec procedi per alios aliqua ratione permittas, cum sufficere tibi debeat, si ipsa tolerantia, quam nobis et eodem rege penitus inconsultis tractantibus talia prestitisti, transire valeat impunita, quamvis vix credere valeamus, quod ex certa scientia quicquam feceris fieri nec consenseris contra eum.

In eadem forma dicto comiti in Tuscia palatino.

Datum *in omnibus* Viterbii, VIII Kalendas Augusti, anno IIII.

529.

Clemens IV. an Henri von Sully: mahnt ihn, Stellung zu beziehen, wie die Interessen des Grafen B(ouchard V.) von Vendôme in der Angelegenheit der Burg Trôo gewahrt werden können.

1268 Juli 27 oder 28, Viterbo

Dilecto filio nobili viro Henrico domino Soliaci.

Iuxta nostrum et tuum consilium ac mandatum dilectus filius nobilis vir B(ucardus) comes Vindocinensis saisinam castri de Tron in manu carissimi in Christo filii nostri L(udovici) regis Francie illustris posuit, qui eandem ballivo in Andegavia carissimi in Christo filii nostri C(aroli) regis Sicilie illustris eiusdem regis nomine assignavit sub spe conventionis implende iuxta tractatum super hoc habitum, quem tu nosti. Quia vero non expedit dictum comitem de nostro tuoque consilio detrimentum aliquod reportare, discretionem tuam ex affectu rogandam duximus et hortandam, quatenus viam cogites, per quam possit consuli comiti supradicto, cum impedire videatur negotium superveniens captio marescalli. Et, cum super hiis nobis scripseris, scribemus dicto regi Sicilie, prout viderimus expedire. Quod si nulla superest via, oportebit per formam aliam dicto comiti provideri.

Datum Viterbii, VI/V Kalendas Augusti, anno IIII.

530.

Clemens IV. an (Nicolaus), Archipresbyter von San Germano: gebietet ihm, die Summe von 450 Unzen Gold durch Kaufleute aus San Germano, bei denen das Geld hinterlegt sei, dem Abt von Montecassino aushändigen zu lassen.

1268 Juli 28, Viterbo

Dilecto filio archipresbytero sancti Germani.

Cum quadringente et quinquaginta uncie auri penes quosdam mercatores de sancto Germano deposite dicantur in emptionem possessionum ad opus Cassinensis monasterii convertende et nunc propter necessitatem urgentem dilecto filio abbati eiusdem monasterii expediat assignari easdem, dilectorum filiorum conventus ipsius monasterii supplicationibus inclinati discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus predictam auri summam eidem abbati pro incumbentibus necessitatibus per dictos mercatores facias assignari. Contradictores *et cetera* non obstante iuramento a dictis mercatoribus prestito, quod nulli persone dictum aurum dabunt vel resignabunt nisi illis, cum quibus contractus emptionis huiusmodi fuerit celebratus.

Datum Viterbii, V Kalendas Augusti, anno IIII.

531.

Clemens IV. an den Abt von Montecassino: gebietet ihm, dafür zu sorgen, daß die ihm durch Kaufleute aus San Germano auszuhändigende Summe von 450 Unzen Gold zum Güterkauf eingesetzt werde.
1268 Juli 28, Viterbo

Abbati monasterii Cassinensis.

Cum quadringentas et quinquaginta uncias auri, que penes quosdam mercatores de sancto Germano deposite dicuntur in emptionem possessionum ad opus tui monasterii convertende, nunc propter necessitatem urgentem dilectorum filiorum conventus eiusdem monasterii precibus inclinati a dictis mercatoribus tibi assignari mandemus, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus taliter providere procures, quod de redditibus seu proventibus dicti conventus penes dictos mercatores huiusmodi auri quantitas reducatur in emptionem possessionum iuxta formam predicti depositi convertenda.

Datum Viterbii, V Kalendas Augusti, anno IIII.

532.

Clemens IV. an Podestà, Capitano del Popolo, Anziani, Rat und Kommune von Bologna: gebietet ihnen zu veranlassen, daß die Soldaten, die nach der militärischen Niederlage König Karls I. von Sizilien) im Gebiet von Bologna ausgeraubt und gefangengenommen worden seien, Wiedergutmachung erfahren. – Mit entsprechender Formulierung an den Kapitän der Guelfen von Bologna.
1268 Juli 31, Viterbo

Dilectis filiis potestati, capitaneo, ancianis, consilio et communi Bononiensi.

Cum nuper dilecti filii Ricanus de Liura et Amatus de Sanhon milites ac Poncius de Monte Catino armiger miserabilem casum, qui in partibus Tuscie genti carissimi in Christo filii nostri C(aroli) illustris regis Sicilie contigit, bonis suis spoliati omnibus evasissent et per civitatis vestre districtum ad regem properarent eundem, nonnulli regis ipsius et ecclesie inimici eos infra ipsum districtum ceperunt ac bonis, que ab amicis suis postmodum acquisierant, spoliarunt et adhuc duos ex eis nichilominus detinent carceri mancipatos, quod quantum in nostram iniuriam et ecclesie ac regis eiusdem vergat opprobrium, discretionem vestram credimus non latere. Ideoque universitatem vestram rogamus et hortamur attente per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus, cum afflictis non sit addenda afflictio, sed eorum potius miserie miserandum, et captivos huiusmodi pristinae libertati et tam ipsorum quam tertii, qui apud vos suum dicitur procuratorem habere, bona, quibus in dicto districtu spoliati fuerunt, integraliter restitui faciatis devotionis promptitudinem, quam ad ecclesiam et regem ipsum credimus vos habere, sic in hiis per exhibitionem operis ostendentes, quod eam exinde dignis in Domino laudibus merito commendare possimus.

Datum Viterbii, II Kalendas Augusti, anno IIII.

In eodem modo capitaneo partis Guelforum Bononiensium usque ad miserandum, ad liberationem huiusmodi captivorum et faciendam fieri restitutionem bonorum, quibus tam ipsi quam tertius, qui in civitate predicta suum dicitur habere procuratorem, in dicto districtu spoliati fuerunt, prompta sollicitudine per te et alios ecclesie fideles intendas devotionis et cetera.

533.

Clemens IV. an S(imon de Brion,) Kardinalpriester von Santa Cecilia, (apostolischer Legat): erteilt ihm verschiedene Anweisungen für seine Legation.

1268 Juli 31, Viterbo

S(imoni) tituli sancte Cecilie presbytero cardinali.

Que de Meldensi, Montis Martirum et Virgiliacensi negotiis nobis scripsisti, grata habuimus et habemus. Iotrensem vero elemosinam, etsi ius non deficeret, ex quo probatio deficit, cassare cogaris iuxta traditam tibi formam. De monasterio Altivillaris nostram tibi bis aperuimus voluntatem. Absolvendi autem illos de regno Francie, qui pro turbatione carissimi *et cetera* regis et regni Anglie latas dudum a nobis sententias incurrerunt, tibi concedimus facultatem, quibus iuxta vires et, prout videris expedire, competentem satisfactionem iniungas cessuram in subsidium Terre Sancte.

Datum Viterbii, II Kalendis Augusti, anno IIII.

534.

Clemens IV. an Malatesta (da Verucchio, Adliger von Rimini): teilt ihm mit, daß er den (Elekten Manfredus Roberti von Verona,) Rektor (des Herzogtums Spoleto und) der Mark Ancona, angewiesen habe, ihm Hilfe zu gewähren.

1268 August 6, Viterbo

Malateste.

Si propter malitiam temporis, quam in brevi finiri speramus, credis a novitatibus abstinendum, abstinere credimus esse bonum. Si tamen inevitabile vides in dilatione periculum, scribimus rectori Marchie, quod tecum conferat super illo et te ac tuos adiuvet, sicut et quantum viderit expedire.

535.

Clemens IV. an den Elekten (Manfredus Roberti) von Verona, (Rektor des Herzogtums Spoleto und der Mark Ancona,) oder an seine Stellvertreter: fordert ihn auf, dem Adeligen (von Rimini), Malatesta da Verucchio, Hilfe zu gewähren.

1268 August 6, Viterbo

Veronensi electo vel eius locumtenentibus.

Super hiis, que dilectus filius vir nobilis Malatesta de Vericulo tibi per se vel per litteras de statu Romaniolae intimabit, benigne ipsum audias et collatione cum eo habita in dando ei consilio et auxilio, sicut et quantum videris expedire, sollicitudinem ad honorem ecclesie habeas diligentem.

Datum *in utraque* Viterbii, VIII Idus Augusti, anno IIII.

König Karl (I.) von Sizilien an C(lementis IV.): berichtet von seinem Sieg über Konradin (von Schwaben).

1268 August 23, in der Palentinischen Ebene

Sanctissimo in Christo patri et domino suo domino C(lementi) divina providentia sacrosancte Romane ac universalis ecclesie summo pontifici Karolus Dei gratia rex Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue, Andegavie, Provincie et Folcalquerii comes cum omni reverentia et honore devota pedum oscula beatorum.

Expectatam diutius et desideratam a cunctis fidelibus orbis terre letitiam vobis, clementissime pater, et sacrosancte Romane ecclesie matri mee tamquam suavitatis incensum humiliter offerens supplico, ut *surgens pater et comedens de venatione filii sui*³⁸³ exsolvat debitas gratias Altissimo et tam pater quam mater a suis deinceps laboribus conquiescat.

Noveritis igitur, quod manu Domini, que mei tutrix est et patrona iustitie, meos feliciter et salubriter dirigente processus, postquam Corradinus eiusque sequaces regni mei finibus propinquarunt querentes foramina, per que latenter possent ingredi seque coniungere Sarracenis, ego ipsos de passu et in passum per tres dies totidemque noctes sequens et persequens tandem percepto, quod dicti hostes per Sciculi partes ingressi sperabant per Marsicana rura descendere et pervenire Sulmonam quodque inter Sculcule et Carchii montes in quadam planitie sua infelicia castra defixerant, die Mercurii, in octava videlicet Assumptionis beate Marie Virginis, de cuius potissime sperabam auxilio, de pratis Ovinuli secus lacum Fuchini et villam Aveseni aciebus instructis divina me gratia comitante procedens demum ad quendam collem prope Albam, qui per duo parva miliaria distabat ab hostibus, ex quo campus Palentinus se explicat, iter meum proseguendo perveni et hostium exinde castra prospiciens, quia gens mea et equi potissime erant pre labore nimio fatigati, deliberavi et iussi castrametari in eodem colle exercitum christianum. Hostes vero videntes vexilla mea castrorum suorum appropinquare terminis dictique exercitus formidantes aggressum de castris suis in campum cum omnibus eorum copiis exiverunt et aspicientes gentem meam ad prelium preparatam cum magna confusione meis post eos clamantibus ad loca, de quibus exiverant, sunt reversi.

Sequenti autem die Iovis orto iam sole hostes de locis ipsis subito recedentes ceperunt prosequi ultra flumen, quod inter utrumque decurrebat exercitum, infaustis eorum auspiciis iter suum, quod ego diligenter advertens statim in predicti campi Palentini planitiem aciebus distinctis et ordinatis ad prelium in divini nominis virtute descendi procedens maturis gressibus ex adverso. Et, cum crederem eos ulterius processuros, ipsi castra sua super ripam fluminis prope villam Poncium suis tamen aciebus nullatenus dissolutis preter spem meam et meorum omnium posuerunt et intuentes, quod et meus similiter castrametabatur exercitus, dictum flumen subito cum magno impetu traiecerunt. Ego vero de divino presidio vestrarumque orationum confisus auxilio invocato Christi nomine irruvi celeriter et viriliter in eosdem. Et, postquam fuit acerrime utrimque pugnatum, maiori parte hostium in ore gladii trucidata reliqui licet pauci sustinere mei molem exercitus non valentes se fuge presidio commiserunt, quos mei festinis gressibus insequentes pro magna parte per montes et nemora peremerunt. Facta est itaque hostium tanta strages, quod illa, que in campo Beneventano de aliis ecclesie persecutoribus facta fuit, huius respectu valde modica reputatur. De Corradino autem et Henrico senatore Urbis, utrum in bello ceciderint an per

³⁸³ Gen. 27,31.

fugam evaserint, nulla in confectione presentium, que statim post victoriam scripte fuerunt, haberi potuit certitudo. Verumtamen equus, cui dictus senator insedebat, a meis, cum sine sessore fugeret, captus fuit.

Letetur igitur mater ecclesia et pro tanto triumpho celitus ei per suorum pugilum ministerium clementer indulto in iubilum superne laudis assurgat, quoniam dedisse iam videtur omnipotens Dominus finem suis vexationibus ipsamque de avidis persecutorum suorum faucibus liberasse.

Datum in campo Palentino, XXIII die Augusti, XI indictione, <regni mei> anno IIII.

537.

Clemens IV. an König (Karl I.) von Sizilien: mahnt ihn, den Bewohnern von Brindisi zu gebieten, daß sie bei der Überfahrt König L(udwigs IX.) von Frankreich und der Großen seines Reiches ins Heilige Land mitwirken.

1268 August 15, Viterbo

Regi Sicilie.

Cum carissimus in Christo filius noster L(udovicus) rex Francie illustris suos ad Venetos mittat nuntios speciales ad tractandum super hiis, que ad suum et baronum Francie passagium pertinent transmarinum, qui post tractatum huiusmodi sunt inde Brundusium profecturi ad ordinandum de hiis, que ipsi passagio fuerint oportuna, serenitatem tuam rogandam duximus et hortandam, quatenus civibus Brundusinis et aliis regionis illius des tuis districte litteris in mandatis, ut in venditione navium, victualium et aliorum, que ad dictum passagium necessaria fuerint, erga dictos nuntios sic se reddant liberales, benivolos et benignos, quod propter defectum eorum rex idem suum mutare passagium nulla ratione cogatur, sed ad id per eorum benivolentiam potius animari.

Datum Viterbii, XVIII Kalendas Septembris, anno IIII.

538.

Clemens IV. an Podestà, Rat und Kommune von Rieti: tadelt sie, weil sie die Anhänger Konradins (von Schwaben) nach dessen Niederlage unbeschadet durch ihr Gebiet ziehen gelassen hätten; gebietet ihnen, alle weiteren gefangenzunehmen.

1268 August 26, Viterbo

Dilectis filiis potestati, consilio et communi Reatino.

Egre ferimus, si veritas suffragatur relatibus, quod inimicos ecclesie capitales a filio nostro carissimo C(arolo) illustri rege Sicilie Domino favente confusos per fines vestros, ut dicitur, libere transire permittitis id vobis ad plene libertatis iudicium ascribentes, quod indevotionis vos arguit et reos probat fidei violate. Si enim Romane ecclesie dominium non abicitis nec negatis, sicut utique cum bona conscientia non potestis, unde vobis, quesumus, liberum esse potest tutum illis prebere transitum, quos in evidens exterminium matris vestre ac domine conglobatos cum Corradino et Henrico nobilibus genere, sed moribus degeneribus novistis publice processisse? Vere quidem dicere possumus, quod, si veri filii fuissetis, accendisset vos amor paternus pariter et ma-

ternus, ut ad defensionem iuris nostri, quod habemus in regno, nullo vos invitante opem et operam dedissetis, quod si vobis non placuerit facere, qua fronte fugientes hostes nostros recipere valeatis salva fide, quam nobis debetis, nulla possumus ratione videre. Quocirca universitati vestre districte precipiendo mandamus, quatenus omnes, qui in vestro reperientur districtu, et alios, qui supervenerint, detineatis captivos. Alioquin eos de vestris manibus requiremus, et, si dampnum propter hoc aliunde senseritis, nobis non poterit imputari.

Datum Viterbii, VII Kalendas Septembris, anno IIII.

539.

Clemens IV. an den Adeligen (von Rimini), Malatesta da Verucchio, und Graf Taddeo von Montefeltro: mahnt sie, nach dem Sieg König K(arl I.) von Sizilien (über Konradin von Schwaben) weiterhin ihre Ergebenheit zu erweisen.

1268 August 26, Viterbo

Dilectis filiis nobilibus viris Malateste de Vericulo et comiti Tadeo de Monte Feltr.

Ad divine gloriam maiestatis carissimi in Christo filii nostri C(aroli) illustris regis Sicilie litteras in hac die prope nonam recepimus in hec verba: „Sanctissimo et cetera.“ Vos igitur tamquam ecclesie filios devotissimos ad grates Altissimo referendas et gratulandum nobis ac Romane ecclesie matri vestre, prout decet et expedit, invitantes devotionem vestram monendam duximus et hortandam, quatenus diligentius attendentes, quo favore, qua gratia sit tantus pugil fidei prosequendus, tam nostri quam sui participes gaudii insolite devotionis constantia vos firmetis, cum ex hoc cuncta vobis futura prospera sperare merito debeatis et eos, qui rebelles esse voluerint, ubique dante Domino conterendos, nisi, quod cupimus, errore veteri prorsus abiecto matri sue didicerint obedire.

Datum Viterbii, VII Kalendas Septembris, anno IIII.

540.

Clemens IV. an den Abt von San Savino bei Fermo: weist seinen Vorschlag zurück, weil König K(arl I.) von Sizilien mittlerweile (Konradin von Schwaben) besiegt habe.

1268 August 29, Viterbo

Abbati monasterii sancti Savini de Firmo.

Litteras tuas vidimus et ea, que ad nostram memoriam excitandam scripsisti, pleno collegimus intellectu. Verum, quia carissimo in Christo filio nostro C(arolo) regi Sicilie illustri Dominus dedit nuper de suis et ecclesie inimicis triumphum, quem tunc temporis ignorabas, videre poteris, quod ad ea, que scripsisti, intendere non oportet, que tunc tibi necessaria videbantur. In hoc tamen, quod nos sollicitos reddidisti, tuam prudentiam plurimum in Domino commendamus.

Datum Viterbii, IIII Kalendas Septembris, anno IIII.

541.

Clemens IV. an (Heinrich von Segusia,) Kardinalbischof von Ostia und Velletri: teilt ihm mit, daß Konradin (von Schwaben) und einige seiner Anhänger in die Hände König Karls I.) von Sizilien gefallen seien; der König werde demnächst nach Rom kommen.

1268 September 14, Viterbo

Venerabili fratri Hostiensi et Velletrensi episcopo.

Infirmi-
tati tue paterno compatimur affectu prompti, si quid ad salutem tuam possumus operari. Illud autem scire te volumus, quod, sicut per dilecti filii nostri I(ordani) sanctorum Cosme et Damiani diaconi cardinalis et aliorum multorum fidedignorum litteras accepimus, carissimus in Christo filius noster C(arolus) illustris rex Sicilie Corradinum et ducem Austrie, Galvanum et Galiotum eius filium cum Henrico quondam senatore Urbis et Corradum de Antiochia tenet carceri mancipatos. Et iam rex ipse Penestram venerat Urbem in proximo ingressurus.

Datum Viterbii, XVIII Kalendas Octobris, anno IIII.

542.

Clemens IV. an den Abt von Pamiers: empfiehlt ihm, die Interessen seines Klosters nachdrücklich zu verfolgen.

1268 September 16, Viterbo

Abbati Apamiarum.

Licet filio nostro carissimo L(udovico) illustri Francie regi scripserimus, quod improba videbatur consilii sui petitio circa pacta, que a te querebantur, in compositione inter ipsum et ecclesiam tuam tractata, tibi tamen nullam formam prescripsimus vel tradidimus, in qua finem poneret cum eodem. Si igitur cum <eo> non processisti in tantum, ut non liceat retrahere tibi pedem, et cum aliis, sicut per litteras dilecti filii viri nobilis Gastonis vicecomitis Bearnensis nuper accepimus, potes utilius convenire, minus te reputabimus sapientem, nisi, quod ecclesie tue commodius videris, inoffenso rege duxeris acceptandum, quem offendi debere non credimus, si eo, que leviora fuerant, totiens recusante utilitati tue prospexeris ductus consilio meliori. De nobis noveris, quod acceptius semper habebimus, quicquid decentius et securius erit ecclesie memorate.

Datum Viterbii, XVI Kalendas Octobris, anno IIII.

543.

Clemens IV. an Lanfranquinus Moloza und Lunctus, Bürger von Genua: gebietet ihnen, König (Ludwig IX.) von Frankreich ihre Hilfe für seine Überfahrt ins Heilige Land zur Verfügung zu stellen.

1268 September 17, Viterbo

Lanfranquino Maloze et Luncto civibus Ianuensibus.

Scire vos volumus, quod Veneti nuntiis filii nostri carissimi illustris Francie regis dederunt responsum, quod cum eis nullam poterant conventionem facere timentes, ne soldanus Babilonie,

quicquid habebant in Alexandria, occuparet. Unde consulimus et mandamus, quod curetis ad eundem regem sollempnes nuntios destinari, ut vobiscum passagium suum faciat, et exponatis vos ei tam liberaliter, quod vestrum obsequium debeat acceptare.

Datum Viterbii, XV Kalendas Octobris, anno IIII.

544.

Clemens IV. an den Elekten (Manfredus Roberti) von Verona, (Rektor des Herzogtums Spoleto und der Mark Ancona): stellt fest, dass er nach dem Sieg König (Karl I. von Sizilien) in der Mark Ancona gebraucht werde, um dort militärisch gegen die Feinde der Kirche vorzugehen.

1268 September 18, Viterbo

Veronensi electo.

Si audita regis victoria et eo viso rediisses in Marchiam et cum militia, quam collegeras, inimicos ecclesie impugnasses, pluribus placuisset. Nos tamen non arguimus, quod fecisti, sed, cur nos consulis, quid agendum tibi sit, amodo non videmus, cum Marchia te desideret nec stipendiarios tenere debeas ultra stipendia constituta.

Datum Viterbii, XIII Kalendas Octobris, anno IIII.

545.

Clemens IV. an König (Karl I.) von Sizilien: empfiehlt Guido Guerra, Pfalzgraf von Tuszien, für ein höheres Amt in Florenz oder in der Toskana.

1268 September 22, Viterbo

Regi Sicilie.

Dilectum filium virum nobilem Guidonem Guerra comitem Tuscie palatinum, qui tibi tam fideliter quam utiliter multo servivit tempore, tue benivolentie duximus commendandum, ut in suis iustis petitionibus exauditus et de impensis obsequiis gaudeat et ad impendenda vehementius animetur. Quod si forsitan in Florentia rectorem Ytalicum, prout a te cito petetur, instituere proposueris, credunt multi, quod eo non posses ponere meliorem, quin etiam, si maiorem locum in Tuscia sibi committeres, creditur, quod in illo melius se haberet. Super hiis igitur, in quot ei tenearis, considerans, sed et, quantum esse possit in posterum, sicut hactenus extitit, fructuosus, te taliter habeas ad eundem, quod et tuam deceat magnitudinem et ipsius devotio tue beneficiis largitatis infusa in amorem tui culminis et potentie promptis et humilibus desiderii incalescat.

Datum Viterbii, X Kalendas Octobris, anno IIII.

546.

Clemens IV. an König (Ludwig IX.) von Frankreich: dankt ihm für seinen Einsatz zugunsten des Klosters Saint-Gilles in dessen Rechtsstreit mit dem Seneschall von Beaucaire.

1268 Oktober 5, Viterbo

Regi Francie.

Natalis soli memores tue nuper benivolentie scripsimus, ut tam monasterium sancti Egidii quam villam eius benigne tractares et super appellatione, quam a lata per senescallum Bellicadri contra eos sententia interposuerant, eorundem iustitiam clementer audires. Sane tua benignitas latius se extendens non solum iustitiam non negavit, non solum non distulit, quin potius debitum universum dicitur remisisse. Nos igitur tante gratie promptitudinem gratius amplectentes, licet hec et multa maiora sanctissimo confessori Egidio pro Dei et sua reverentia debeantur, quia tamen preces, quas interiecimus, tuum credimus animum ad favoris huiusmodi affluentiam excitasse, tibi proinde ad gratiarum uberrimas actiones assurgimus monasterium idem et villam serenitati regie denuo commendantes, ut te eis exhibeas sine tua et aliorum iniuria favorabilem et benignum et id ipsum tuis pro tempore ballivis iniungas.

Datum Viterbii, III Nonas Octobris, anno IIII.

547.

Clemens IV. an König (Karl I.) von Sizilien: mahnt ihn, einen Gesandten des Markgrafen (Obizzo II.) von Este wegen dessen Ansprüchen auf eine Grafschaft anzuhören.

1268 Oktober 14, Viterbo

Regi Sicilie.

Cum vir nobilis dilectus filius marchio Estensis et progenitores eiusdem ecclesie Romane fideles extiterint et devoti et ipse tue magnitudini paratus sit obsequi et hactenus obsequiosus fuerit genti tue, serenitatem tuam rogandam duximus et hortandam, quatenus venientem ad tuam presentiam ambassiatores ipsius virum providum et discretum pro quodam comitatu, in quo idem marchio habere ius dicitur, repetendo pro reverentia apostolice sedis et nostra benigne recipias et patienter audias et tam favorabiliter quam celeriter ad dominum suum remittas cum gaudio expeditum, ut et idem nobilis de devoto fiat devotior et fideles ecclesie ceteri tuique actorum amici ad tua se reddant obsequia promptiores.

548.

Clemens IV. an Erzbischof (Petrus de Corneliaco) von Sorrent: gebietet ihm, die Bewohner von Aversa, die Konradin (von Schwaben) angehangen hätten, nach ihrem Parteiwechsel von Exkommunikation und Interdikt zu absolvieren.

1268 Oktober 14, Viterbo

Archiepiscopo Surrentino.

Cum civitas Aversana, que a suo se domino imprudenter averterat, ad eundem provide, prout dicitur, sit reversa, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si est ita, et personas imposita penitentia salutari a sententiis excommunicationis, quas pro favore Corradini et regni turbatione incurrerant, iuxta formam absolvas ecclesie et sententiam interdicti relaxes.

Datum *in utraque* Viterbii, II Idus Octobris, anno IIII.

549.

Clemens IV. an König (Karl I.) von Sizilien: teilt ihm mit, daß er die Tochter König (Ottokars II.) von Böhmen nicht heiraten könne, weil sie schon vergeben sei; er selbst beabsichtige nicht, einen Gesandten nach Deutschland zu schicken.

1268 Oktober 14, Viterbo

Regi Sicilie.

Martinum habitu saltem Templarium, quem in Alamanniam mittere decrevisti, petentem a nobis eundi licentiam exaudire noluimus, sed ad suum magistrum, qui tunc erat Viterbi, pro licentia petenda transmisimus, quam habuit protinus ab eodem, licet longe maluisset obtinuisse a nobis, ut aliqua sibi esset occasio iugum ordinis declinandi. Sane dudum ab illustri rege Boemie super hiis, que requiris, certum responsum habuimus, quod non multum nobis fuit acceptum, cum responderit eo tempore, quod de filia iam se aliis obligaverat, sed habere poterat adhuc liberos, quibus habitis locus esset inter te et ipsum per tuis et suis liberis federa solidanda. Si igitur et nostrum et tuum honorem attendis, sufficere tibi potest, si tu tuum Martinum miseris et nos nostro Martino parcemus, quem utique mittere nichil esset nisi confusionem duplicem reportare. Fecit quidem tunc noster penitentiarius frater Martinus, quod potuit, et non sine persone periculo multis fractus laboribus fructum voluit, sed non valuit reportare.

Datum Viterbii, II Idus Octobris, anno IIII.

550.

Clemens IV. an den Rektor Cinthius, Rat und Kommune von Corneto: gebietet ihnen, entgegen den Anweisungen (des Jacques Gantelme,) Vikar (des römischen Senators, König Karl I. von Sizilien,) weiterhin Lebensmittel an die Kurie und an die Bewohner von Rom zu liefern.

1268 Oktober 25 oder 26, Viterbo

Dilectis filiis Cinthio rectori, consilio et communi Cornetano.

Non est nobis credibile vicarium Urbis vobis inhibuisse, ne ad nostram curiam victualia deferatis. Quod si fecit, miramur plurimum universitati vestre per apostolica scripta districte precipiendo mandantes, quatenus ipsius mandatis super hiis minime pareatis. Volumus tamen, ut, quantum salva nostra, quamdiu Viterbii fuerimus, et vestra commoditate poteritis, dilectis filiis Romanis civibus auxilium in victualibus prebeatis.

Datum Viterbii, VIII/VII Kalendas Novembris, anno IIII.

551.

Clemens IV. an König (Karl I.) von Sizilien: rät ihm, Herzog (Hugo IV.) von Burgund und dem Kanzler von Bayeux, Geoffroy de Beaumont, die an der Bekämpfung der Sarazenen (von Lucera) teilnehmen wollten, ihren Wunsch zu erfüllen.

1268 Oktober 28, Viterbo

Regi Sicilie.

Litteras dilectorum filiorum viri nobilis ducis Burgundie et magistri Gaufridi cancellarii Baiocensis recepimus, per quas petunt, ut te efficaciter inducamus, ne sine ipsis et nobili militum cum eis venientium comitiva Sarracenis ulterius appropinques. Credunt siquidem tui status ignari, quod tibi magnum discrimen immineat in hac parte. Nos igitur, licet per tuas litteras acceperimus, quod felicem victoriam tuus camerarius nuper habuit Agarenis occisis in magno numero et residuis in fugam conversis, tue tamen consulimus magnitudini, quod, si quid aggredi moliris arduum, quod eventus dubii videatur, dicti ducis satisfacias desiderio, ut et tutius impleas, que desideras, et se tui laboris participes et honoris tam ipse quam alii, qui cum eodem veniunt, gloriantur. In hiis autem, que carent discrimine, non oportet te aliquem expectare.

Datum Viterbii, V Kalendas Novembris, anno IIII.

552.

Clemens IV. an den Großmeister des Johanniterordens, (Hugo von Revel): gebietet ihm, den päpstlichen Kubikular P. de Bellovicino geneigt aufzunehmen.

1268 Oktober 29, Viterbo

Dilecto filio magistro ordinis Hospitalis Ierosolimitani.

Licet fratres tuos caros omnes habere debeas, illos tamen specialis amplecti te convenit brachiis caritatis, qui maioribus meritis adiuvantur et sedis apostolice gratiam non mediocre meruerunt. Cum igitur dilectus filius frater P. de Bellovicino in officio cubicularii nobis fideliter et honeste servierit et in locis sibi commissis a suis maioribus sic se gesserit, ut et nobis et tibi debeat esse gratus, eum tue prudentie specialiter duximus commendandum devotioni tue per apostolica scripta mandantes, quatenus pro nostra et sedis apostolice reverentia eius sic curam habeas, sic ad eius promotionem intendas, quod et ipsius studium semper in melius provehatur et nos exinde tibi ad plenioris favoris gratiam teneamur.

Datum Viterbii, IIII Kalendas Novembris, anno IIII.

553.

Clemens IV. an den Johanniterbruder Philippe des Glis: verschiebt den Termin der Rückkehr von dem auf der Insel Sizilien kämpfenden Aufgebot zu seinem Orden auf Ostern 1269.

1268 Oktober 29, Viterbo

Fratri Philippo de Eglis ordinis Hospitalis Ierosolimitani.

Licet dilecti filii magister et fratres Hospitalis Ierosolimitani ultra et citra mare positi de te graviter, quod utique nobis displicet, conquerantur, quia tamen filius noster carissimus C(arolus) Sicilie rex illustris tuam dicit sibi presentiam in Sicilia necessariam, datum tibi terminum usque ad Pascha duximus prorogandum, nisi forsitan interim esset insula reformata vel idem rex tale et tantum illuc misisset subsidium, ut secure posses ad ordinis tui negotia remeare.

Datum Viterbii, IIII Kalendas Novembris, anno IIII.

554.

Clemens IV. an König (Karl I.) von Sizilien: mahnt ihn, Graf Taddeo (von Montefeltro) und (den Adligen von Rimini), Malatesta da Verucchio, die sich im Kampf für die Kirche verdient gemacht hätten, freundlich zu empfangen.

1268 November 3, Viterbo

Regi Sicilie.

Nota fides et probata devotio dilectorum filiorum virorum nobilium comitis Tadei et Malateste de Vericulo, quam semper uniformiter ad Romanam habuerunt ecclesiam, in tua demum producit tempora sic a te longis subducta temporibus, ut sicut matrem sic et te filium specialem puris affectibus persecuti genti tue ferventer astiterint et servierint affluenter nec personis parcentes nec rebus, sed se ipsos totaliter tuis obsequiis exponentes. Sane civitatem Ariminensem et quasdam alias in devotione huiusmodi cum amicis suis, ut possunt, retinent et conservant non sine laboribus et periculis, que eisdem ab infidelibus ingeruntur et presertim a Guidone de Monte Feltrano, qui Urbis vicarius extitit inurbanus et cum Urbinatibus stratam publicam insolenter impediens multis viris fidelibus et penitus innocentibus in rebus nocuit et personis. Quocirca serenitatem tuam rogandam duximus et hortandam, quatenus eos ad tuam presentiam accedentes benigne recipias, amicabilem audias et eis insuper etiam in prolixis sermonibus, si eis usi fuerint, morem geras et, secundum quod proposuerint, ad impendendum eis consilium et auxilium per viam, que videbitur melior, favorabilem te eisdem exhibeas et benignum. Romandiola siquidem ad conventiones, quas habuisti nobiscum, te astringere aliquatenus non videtur, et iuvare commode eos poteris Bononiensibus non offensis, sed et de celeri expeditione eorum specialiter te rogamus, ne languere facias viros amabiles te sequendo, qui, licet sint nobiles, in mobilibus, que libenter distribuunt, non abundant iuvandi potius dignis muneribus quam sumptibus supervacuis onerandi.

Datum Viterbii, III Nonas Novembris, anno IIII.

555.

Clemens IV. an (Giordano Pironti), Kardinaldiakon von Santi Cosma e Damiano: fordert ihn auf, im Streit zwischen Bischof (Lando) von Anagni und Raynaldus Rubeus zu vermitteln und dabei die geplante Veräußerung der Güter des Raynaldus in Anticoli an den Papst zu berücksichtigen.

1268 November 6, Viterbo

I(ordano) sanctorum Cosme et Damiani cardinali diacono.

Si qua est inter venerabilem fratrem nostrum Anagninum episcopum et dilectum filium Raynaldum Rubeum controversia, ad pacem inter eos firmandam partes tuas utiliter interponas, sed et scire te volumus cum Raynaldo predicto, qui se offert ad ea, que habet in castro de Ticulis, commutanda nobiscum vel nobis vendenda, si maluerimus, quid in utraque via poteris invenire, ut ad nos rediens finale verbum referas, ne citationis prolixitas nobis sit oneri, quam equanimiter non ferremus.

Datum Viterbii, VIII Idus Novembris, anno IIII.

Clemens IV. an seinen Neffen Petrus von Saint-Gilles: er und seine Familie sollten auch nach der Papstwahl bescheiden bleiben.

(1265) März 7, Perugia

Clemens episcopus servus servorum Dei dilecto filio Petro Grosso de sancto Egidio salutem et apostolicam benedictionem.

Multis de nostra promotione gaudentibus nos soli sumus, qui certius immensitatem oneris experimur, et idcirco, quod aliis gaudium, nobis metum subministrat et fletum. Sane, ut scias, qualiter hiis auditis debeas te habere, scire te volumus, quod humilior solito debes esse. Neque enim, quod nos vehementer humiliat, debet nostros extollere, maxime cum honor huius seculi momentaneus *sicut ros transeat matutinus*³⁸⁴. Nec ad nos te vel fratrem tuum vel ex aliis nostris aliquem venire volumus sine nostro speciali mandato, quia spe sua frustratos, si secus venire presumerent, oporteret redire confusos. Sed nec in tue sororis nuptiis gradum queras propter nos altiozem. Nec enim nos haberes propitios nec in aliquo adiutores. Si tamen eam filio simplicis militis desponsaveris, in CCC libris Turonensibus tantum tibi proponimus subvenire. Et si altiora quesieris, nec a nobis denarium speres unum. Et hoc ipsum secretissimum esse volumus et tibi et matri solummodo notum esse. Illud etiam scias, quod nullum nullamque de sanguine nostro sub nostre sublimationis obtentu inflari volumus. Sed tam Mabiliam quam Ceciliam illos viros habere volumus, quos haberent, si essemus in simplici clericatu. Sibiliam visita et dic ei, quod locum non mutet, sed remaneat apud Susam. Et omnem maturitatem et habitus honestatem observet et preces nobis pro aliquo non presumat assumere. Nam et ei, pro quo fierent, essent inutiles et ipsi, que rogaret, dampnose. Et, si forte per aliquos ex hac causa munera offerentur, ea respuat, si vult nostram gratiam retinere. Saluta matrem et fratres. Non scribimus tibi nec familiaribus nostris sub bulla, sed sub piscatoris sigillo, quo Romani pontifices in suis secretis utuntur.

Datum Perusii, in festo Perpetue et Felicitatis.

³⁸⁴ Osea 13,3.

Anhang

Ausstellungsdaten – Empfänger – Incipits – Konkordanz

Die Angaben in der rechten Spalte beziehen sich auf die Regesten von Édouard Jordan, Les registres de Clément IV (Bibliothèque des Écoles françaises d'Athènes et de Rome, 2e sér. 11, 1893–1945) S. 345–443.

NR.	DATUM	EMPFÄNGER	INCIPIIT	JOR.
1	1265.02.24	Aragón,Kg.Jakob I.	Quod negotium	871
2	1265.02.15 p]	Sizilien,Kg.Karl I.(Provence,Gf.)	Quanto te dominus	872
3	1265.03.02 /03	Pisa,Kommune	Litteras vestras recepimus	873
4	1265.04 p]	Rom,Adelige	Devotionem et fidem	874
5	1265.04.27 p]	Rom,Vikar d.Senators Jacques Gantelme	Scripsimus tibi nuper	876
6	1265.02.15 p]	Lucca,Kommune	Pium propositum	877
7		Navarra,Kgn.Isabella	Tue serenitatis	878
8	1265.04.20	Frankreich,Kg.Ludwig IX.	Ne generales sententie	879
9	1265.04.27	Navarra,Infant Heinrich	Etsi coniunctio copule	880
10		Navarra,Kg.Theobald II.	Si tu nostro	881
11	1265.05.21	Zypern,Kg.Hugo II.	Etsi coniunctio copule	882
12	1265.05.08	Frankreich,Kg.Ludwig IX.	Illa solide dilectionis	883
13	1265.05.19]	Kard.in Rom	Hac die Martis	884
14	1265.05.08	Frankreich,Kg.Ludwig IX.	Caritas insolubilis	885
15	1265.05.10 /11	Carcassonne,Seneschall	Etsi generalis ecclesiarum	886
16	1265.05.20	Fortebraccio di Romania	Si parentum exempla	887
17	1265.05.20 /21	Kard.Simone Paltinieri	De adventu comitis	888
18	1265.05.27	Kard.Simone Paltinieri	Die Iovis ante Pentecosten	889
19		Sevilla,Ebf.Raimundus	Cum sit nobis cordi	890
20	1265.06.17	Kard.Riccardo Annibaldi	Nec nostrum nec tuum	891
21	1265.06.18	Sizilien,Kg.Karl I.(Provence,Gf.)	Etsi personam tuam	892
22	1265.06.20	Sicardus Alemanni	Tue devotionis litteras	893
23	1265.06.20	Kard.Simone Paltinieri	Inter leta et tristia	894
24	1265.06.21	Kard.Riccardo Annibaldi	A quatuor angulis	895
25	1265.06.23	Sevilla,Ebf.Raimundus	Desiderantes carissimo	896
26	1265.06.27	Kard.in Rom	Affectantes vos personaliter	897
27	1265.06.28	Olivarius de Terminis	De igne torri	898
28	1265.07.01	Civita Castellana,Kommune	Cum nos diu	899
29	1265.06.30	Kard.Matteo Rosso Orsini	Cum Tudertinis	900
30	1265.07.03	Kard.Guido	Inter dilectos filios	901
31	1265.07.07	Verona,Elekt Manfredus Roberti	Inter cetera que te reddunt	902
32	1265.07.11	Sizilien,Kg.Karl I.	Tue magnitudinis	903
33	1265.07.11	Kard.Matteo Rosso Orsini	De nostrorum fratrum	904
34		Schlesien,Hzg.Wladislaw	Cum nostris fratribus	905
35	1265.07.13	Reims,Kirchenprovinz	Dilectum filium magistrum	906

NR.	DATUM	EMPFÄNGER	INCIPIIT	JOR.
36	1265.07.14	Kard.Simone Paltinieri	Succedentibus prosperis	907
37	1265.07.14	Arezzo,Bf.Guglielmino degli Ubertini	Cum hostes ecclesie	908
38	1265.07.16	Kard.Matteo Rosso Orsini	Cum hostis erectis	909
39		Kard.Simone Paltinieri	Intelleximus et non modicum	910
40		Urbino,Kommune	Quia ea de quibus	911
41	1265.07.18	Kard.Matteo Rosso Orsini	Metuimus quod tu	912
42	1265.07.18	Kard.in Rom	Carissimi in Christo	913
43	1265.07.18	Frankreich,Kg.Ludwig IX.	Ad serenitatis tue	914
44	1265.07.19	Kard.Ottobono Fieschi	Benedictus deus	915
45	1265.07.22	Kard.Giangaetano Orsini	Quia tuas nobis litteras	916
46	1265.07.22	Narbonne,Ebf.Maurinus	A nostra non excidit	917
47	1265.07.25	Jerusalem,Patr.Wilhelm	Quod permittente	918
48	1265.07.26	Klein-Armenien,Kg.Hethum I.	Quanto te dominus	919
49	1265.07.30	Montferrat,Mgf.Wilhelm VII.	Etsi pia mater	920
50	1265.07.31	Radico-fani,Kommune	Antique fidei	921
51	1265.07.31	Kard.Matteo Rosso Orsini	Eiulantibus coram nobis	922
52	1265.08.01	Sizilien,Kg.Karl I.	Frequens nos et assidua	923
53	1265.08.01	Cosenza,Ebf.Bartolomeo Pignatelli	Excommunicatis pro auxilio	924
54	1265.08.03	Kard.in Rom	Post recessum venerabilis	925
55	1265.08.05	Kard.Simon de Brion	Vise tue littere	926
56	1265.08.06	Arezzo,Bf.Guglielmino degli Ubertini	Gaudium et exultatio	927
57	1265.08.13	Aragón,Kg.Jakob I.	Missa nobis tue serenitatis	928
58	1265.03.23	England,Kgn.Eleonore	Cum sit nobis cordi	929
59	1265.04.25	Päpstl.Notar Petrus	Habuisse te iter	930
60	1265.06.17	Kard.Riccardo Annibaldi	Nec nostrum nec tuum	
61		Sevilla,Ebf.Raimundus	Cum sit nobis cordi	
62	1265.08.15	Kard.Matteo Rosso Orsini	Ex tuarum serie	931
63	1265.08.15	Kard.Matteo Rosso Orsini	Satis hactenus nostrum	932
64	1265.08.15	Frankreich,Kg.Ludwig IX.	Ad aures nostras	933
65	1265.08.18	Kard.Giangaetano Orsini	Et processus	934
66	1265.08.20	Sizilien,Kg.Karl I.	Tuis nuntiis sepe	935
67	1265.08.20	Kard.Giangaetano Orsini	Angit nos cogitatus	936
68	1265.08.23	Frankreich,Kg.Ludwig IX.	Et temporis qualitas	937
69	1265.08.23	Kard.Simon de Brion	Tenoris eiusdem diversas	938
70	1265.06.12	Cosenza,Ebf.+Avignon,Bf.	Cum nonnulli Belial	939
71	1265.06.23 /24	Kard.Simone Paltinieri	Discretionis tue	940
72	1265.07.27	Zisterzienser,Generalkapitel	Conquerente dilecto filio	941
73	1265.08.09	SPastore,Prior Petrus	Cum in conversione	942
74	1265.08.10	Philippus de Marerio	Per dilectum filium	943
75	1265.08.20	Sizilien,Kg.Karl I.	Cum in te claritate	944
76	1265.08.25	Kard.Ottobono Fieschi	In confectione presentium	945

NR.	DATUM	EMPFÄNGER	INCIPIIT	JOR.
77	1265.08.31	Maguelonne, Bf. Berengar de Frédé	Cum sicut intelleximus	946
78	1265.07.12	Sizilien, Kg. Karl I.	Gravis et experte	947
79	1265.08.10	Sizilien, Kg. Karl I.	Venientem ad tuam	948
80		Bayeux, Bf. Eudes de Lorry	Ad scribendum fraternitati	949
81		Arras, Bf. Pierre de Loyon	Missas tue fraternitati	950
82		Kard. Simone Paltinieri	Litteras tuas vidimus	951
83	1265.09.04	Aragón, Kg. Jakob I.	Devotionis tue promptitudinem	952
84	1265.09.05	Kard. Matteo Rosso Orsini	Si ad omnem malitiam	953
85	1265.09.06	Kastilien, Kg. Alfons X.	Lata nobis tue letitie	954
86	1265.09.19	Kard. Ottobono Fieschi	Leta nobis et tristia	955
87	1265.09.22	Barral des Baux	Ad confusionem	956
88	1265.09.23	Sizilien, Kg. Karl I.	Lombardie statu	957
89	1265.09.23	Cosenza, Ebf. Bartolomeo Pignatelli	Lombardie statu	958
90	1265.09.30	Gubbio, Kommune	Nuper nobis Assisii	959
91	1265.09.30	Aragón, Infant Peter	Persuadet ingenita	960
92	1265.09.30	Aragón, Infant Jakob	Persuadet ingenita	961
93	1265.10.07	Kard. Ottobono Fieschi	Grandis caritatis	962
94	1265.10.18	Frankreich, Kgn. Margarete	Missionem dilecti filii	963
95	1265.10.26	Malatesta von Rimini	Tuas nuper tribulationes	964
96	1265.10.26	Kard. Simone Paltinieri	Quod rex ille	965
97	1265.10.26	Rimini, Podestà Taddeus von Montefeltro	Deo gratias agimus	966
98	1265.10.26	Rimini, Kommune	Quantum deo pax	967
99	1265.09.15]	Kard. Simon de Brion	Considerato carissimi	968
100	1265.11 a]	Auxerre, Bf. Guido de Mello	Si ecclesie dei	969
101	1265.11.01	Kard. Simon de Brion	Adversantes tibi sententie	970
102	1265.10.21	Kard. Riccardo Annibaldi	A carissimo in Christo	971
103	1265.10.30	Norcia, Kloster	Dilectos filios Fratres	972
104	1265.10.30	Chaise-Dieu, Abt	Si Romane statum	973
105	1265.10.30	Sizilien, Kg. Karl I.	Quantum nostrum tangat	974
106	1265.11.01	Sizilien, Kg. Karl I.	De viro nobili	975
107	1265.11.01	Ermenganus de Melgorio	Uxoris tue mortem	976
108	1265.11.12	Frankreich, Kg. Ludwig IX.	Nuper tibi fili	977
109	1265.11.12	Kard. Ottobono Fieschi	Ultramontanam nondum habemus	978
110	1265.08.14	Philipp von Montfort	Si hactenus tibi	979
111	1265.11.17	Frankreich, Kg. Ludwig IX.	Clamavimus nec cessamus	980
112	1265.11.17	Kard. Simon de Brion	Clamavimus nec cessamus	981
113	1265.11.17	Frankreich, Klerus	Clamavimus nec cessamus	982
114	1265.11.21	Kard. Simon de Brion	Cum a te de multorum	983
115	1265.11.21	Kard. Simon de Brion	De religiosorum decima	984
116	1265.11.29	Sizilien, Kg. Karl I.	Accedentes ad tuam presentiam	985
117	1265.11.29	Kard. Ottobono Fieschi	Suscepta legatione	986

NR.	DATUM	EMPFÄNGER	INCIPIIT	JOR.
118	1265.12.07	Sizilien,Kg.Karl I.	Absolutio civium Pisanorum	987
119	1265.12.07	Montefiascone,Franziskaner	Devotionem dilecti filii	988
120	1265.12.09	Kard.Ottobono Fieschi	Importabilis fratrum penuria	989
121	1265.12.20	Sizilien,Kg.Karl I.	Fervens fili carissime	990
122	1265.12.22	Kard.Simone Paltinieri	Onerant aures nostras	991
123	1265.12.23	Sizilien,Kg.Karl I.	Si Lucanorum obsequiis	992
124	1265.12.24	Sizilien,Kg.Karl I.	Quod per tuas	993
125	1265.12.26	Agde+Béziers+Lodève+Maguélone,Bf.	Vestras nuper accepimus	994
126	1265.12.26	Béziers,Bf.Pontius de Sjust	Fraternitatis tue	995
127	1265.12.26	Aniane,Kloster	Devotionis tue munera	996
128	1265.12.28	Sizilien,Kg.Karl I.	Litteras tue magnitudinis	997
129	1265.12.28	Sizilien,Kg.Karl I.	Inspectis litteris	998
130	1265.12.29	Corneto,Kommune	Non sine magne temeritatis	999
131	1265.12.31	Kard.Guido	Visis tue discretionis	1000
132	1265.12.31	Sizilien,Kg.Karl I.	Cum super mutuo	1001
133	1266.01.01	Tyros,Ebf.Gilles de Saumur	Cum Senenses	1002
134	1266.01.03	Geoffroy de Beaumont	Lombardie status	1003
135	1266.01.07	Kard.in Rom	Cum quidam ex habitatoribus	1004
136	1266.01.07	Sizilien,Kg.Karl I.	Sepe nobis immo sepiissime	1005
137	1266.01.10	Sizilien,Kg.Karl I.	Dilectum filium abbatem	1006
138	1266.01.10	Cosenza,Ebf.Bartolomeo Pignatelli	Miramur plurimum	1007
139	1266.01.11	Sizilien,Kg.Karl I.	Profecturum ad bellum	1008
140	1266.01.11	Sizilien,Kg.Karl I.	Vexamur a Senensibus	1009
141	1266.01.12	Sizilien,Kg.Karl I.	Longis attritos laboribus	1010
142	1266.01.18	Geoffroy de Beaumont	Per Raymundum Bertrandi	1011
143	1266.01.21	Ungarn,Kg.Bela IV.	Rerum omnium providus	1012
144	1266.01.01 p]	Sizilien,Kg.Karl I.	Non negamus quam arguis	1013
145	1265.12]	Sizilien,Kg.Karl I.	Nec montes nec fluvios	1014
146	1265.11 c]	Manfred von Sizilien	Lecta nuper epistula	1015
147	o.D.	Kard.Giangaetano Orsini	Verba sunt iurisconsulti	1016
148	1266.02.16	Sizilien,Kg.Karl I.	Quia iuxta sapientis	1017
149	1266.02.17	Aragón,Kg.Jakob I.	Quanto personam tuam	1018
150	1266.02.17	Aragón,Kg.Jakob I.	Cum crassantibus	1019
151	1266.02.20	Kard.Simone Paltinieri	Nosti fili quantum	1020
152	1266.02.21	Kard.Simone Paltinieri	Vidisti pariter et audisti	1021
153	1266.02.24	Kard.Simone Paltinieri	Audimus cotidie	1022
154	1266.02.26	Clemens IV.---Sizilien,Kg.Karl I.	Multum meis reputans	1023
155	1266.03.06	Kard.Simone Paltinieri	Quod scripsisti	1024
156	1266.03.08	Narbonne,Ebf.Maurinus	Missam de celo	1025
157	1266.03.09	Frankreich,Kg.Ludwig IX.	Hanc in nobis	1026
158	1266.03.10	Barral des Baux	Carissimo in Christo	1027

NR.	DATUM	EMPFÄNGER	INCIPIIT	JOR.
159	1266.03.12	Eu,Gf.Alfons v.Brienne	A carissimo nostro	1028
160	1266.03.12	Poitou,Gf.Alfons	Per dilectos filios	1029
161	1266.03.12	Jerusalem,Johanniter	Regionum magna distantia	1030
162	1266.03.14	SGilles,Johanniter,Prior	Cum dilecti filii	1031
163	1266.03.17	Jerusalem,Patr.Wilhelm	Providentia sedis apostolice	1032
164	1266.03.18	Kard.Simone Paltinieri	Licet nuntii Firmanorum	1033
165	1266.03.25	Alfant von Tarascon	Perempto Manfredo	1034
166	1266.03.25	Kard.Ottobono Fieschi	Excitatus a sompno	1035
167	1266.03.31	Kastilien,Kg.Alfons X.	Mirari possumus	1036
168	1266.03.22	Kard.Simon de Brion	Excitati ab intimis	1037
169	1266.04.06	Kard.Raoul Grosparmi	Antequam a nobis	1038
170	1266.04.06	Poitou,Gf.Alfons	Quanto sinceriori	1039
171	1266.04.11	Sizilien,Kg.Karl I.	Ex grandi ac gloriosa	1040
172	1266.04.10	Kard.Raoul Grosparmi	Interpellati sepius	1041
173	1266.04.12	Kard.Simone Paltinieri	Tam memoriale quam scripta	1042
174	1266.04.13	Sizilien,Kg.Karl I.	Dudum floruerat	1043
175		Kard.Simone Paltinieri	Quia linguis loquuntur	1044
176	1266.04.14	Kard.Simon de Brion	Qui verbum olim abbreviatum	1045
177	1266.04.14	Poitou,Gf.Alfons	Novit altissimus	1046
178	1266.04.14	Tyros,Ebf.Gilles de Saumur	Dum labores attendimus	1047
179	1266.04.19	Ermenganus de Melgorio	Queris a nobis	1048
180	1266.04.19	Petrus Raymbaldus de Carumbo	Iam secundo super tua	1049
181	1266.04.24	Kard.Raoul Grosparmi	Statum nostrum	1050
182	1266.04.25	Kard.Raoul Grosparmi	Nosti frater gravem	1051
183	1266.04.28	Kard.Simone Paltinieri	Licet interdum materiam	1052
184	1266.04.30	Kard.Ottaviano Ubaldini	Licet comitem Guidonem	1053
185	1266.05.02	Kard.Giangaetano Orsini	A Perusio venientes	1054
186	1266.05.12	Rom,Vikar d.Senators Jacques Gantelme	Dilectus filius Guido	1055
187	1266.05.12	Florenz,Kommune	Si secularibus	1056
188	1266.05.15	Kard.in Rom	Venientes ad nostram	1057
189		SGilles,Abt	Si vocationem	1058
190		Kard.Simone Paltinieri	Quam sit impudens	1059
191	1266.05.21	Barral des Baux	Nosti fili quod	1060
192	1266.05.24	Arles,Ebf.Florentius	Cum dilectam in Christo	1061
193	1266.05.24	Avignon,Bf.Bertrand de St-Martin	Ecclesiarum iura	1062
194	1266.05.28	Barral des Baux	Pro absolutione tua	1063
195	1266.05.28	Kard.Raoul Grosparmi	Nota est nimis oppressio	1064
196	1266.05.31	Évreux,Bf.Radulfus de Chevrières	Non te nec alios	1065
197	1266.05.31	Kard.Giangaetano Orsini	De statu tuo audivimus	1066
198	1266.06.05	SJean-d'Angély,Abt	Studium diligens	1067
199	1266.06.05	Kard.Raoul Grosparmi	Si pro aliquibus	1068

NR.	DATUM	EMPFÄNGER	INCIPIIT	JOR.
200	1266.06.05	Kard.Raoul Grosparmi	Ad exercitus christiani	1069
201	1266.06.11	Kard.Simone Paltinieri	Scripsimus tibi nuper	1070
202	1266.06.12	Aix,Ebf.Guillelmus de Vicedominis	Paupertatis altissime	1071
203	1266.05.24]	Päpstl.Kaplan Bernardus Languiselli	A longis retro temporibus	1072
204	1266.06.14	Frankreich,Kg.Ludwig IX.	Quod de statu nostro	1073
205	1266.06.16	Provence,Dominikanerprovinz,Prior	Graves fratrum tuorum	1074
206	1266.06.16	Konstantinopel,Ks.Balduin II.	Commune gaudium deum	1075
207	1266.06.15	Kard.Ottobono Fieschi	Dum tuum ac commissi	1076
208	1266.06.15	Kard.Simon de Brion	Ecce Roma sue reddita	1077
209	1266.06.18	Kard.Ottobono Fieschi	Olim nobis in minori	1078
210	1266.06.21	Kard.Raoul Grosparmi	Casertarum et Acerrarum	1079
211	1266.06.22	Beauvais,Bf.Guillelmus de Grez	Tue litteras fraternitatis	1080
212	1266.06.22	Roger Bacon	Tue devotionis litteras	1081
213	1266.06.22	Vicenza,Bf.	Consideratis omnibus	1082
214	1266.06.24	Montpellier,Dominikaner+Franziskaner	Egre ferimus	1083
215	1266.07.04	Kard.Simone Paltinieri	Dilecti filii viri	1084
216	1266.07.05	Florenz,Kommune	Certificati per litteras	1085
217	1266.07.05	Aragón,Kg.Jakob I.	Datam tibi de celo	1086
218	1266.07.08	Kard.Giangaetano Orsini	Dudum tibi de subscripta	1087
219	1266.07.10	Kard.Simone Paltinieri	Plus quam multis placuerit	1088
220	1266.07.11	SJean-d'Angély,Abt	Si melius estimas	1089
221	1266.07.13	Frankreich,Kgn.Margarete	Inter conditiones ceteras	1090
222	1266.07.15	Kard.Raoul Grosparmi	Sicut omnes quadam dulcedine	1091
223	1266.02.26 p]	Sizilien,Kg.Karl I.	Favus paterne dulcedinis	1092
224	1266.05.08	Lucca,Kommune	Quam fideliter	1093
225	1266.05.08	Kard.Ottobono Fieschi	Litteras tuas accepimus	1094
226		Sizilien,Kg.Karl I.	Venerabilis frater noster	1095
227	1266.02.26 p]	Sizilien,Kg.Karl I.	Accedentem ad tuam presen- tiam	1096
228	1266.02.26 p]	Sizilien,Kg.Karl I.	Dilectus filius noster	1097
229	1266.07.16	Kard.Giangaetano Orsini	Venientes ad presentiam	1098
230	1266.07.18	Frankreich,Kg.Ludwig IX.	Cartusiensis ordinis	1099
231	1266.07.19	Päpstl.Kaplan Helias Peleti	Ad nostram nuper accedentes	1100
232	1266.07.22	Kard.Simone Paltinieri	In nostra presentia	1101
233	1266.07.26	Kard.Giangaetano Orsini	Equanimiter moram tulimus	1102
234	1266.07.26	Rodez,Bf.Vivianus	Cum dilecti filii	1103
235	1266.07.27	Sizilien,Kg.Karl I.	Si Galvanus factus	1104
236	1266.07.27	Rieti,Kommune	Per carissimum in Christo	1105
237	1266.07.30	Sizilien,Kg.Karl I.	Dilectum filium Galfredum	1106
238	1266.08.02	Kard.Raoul Grosparmi	Quamvis tuis compatiamur	1107
239	1266.08.05	Kard.Giangaetano+Matteo Rosso Orsini	A vestra non credimus	1108
240	1266.08.11	Aragón,Kg.Jakob I.	Si serenitati	1109

NR.	DATUM	EMPFÄNGER	INCIPIIT	JOR.
241	1266.08.12	Jerusalem, Patr. Wilhelm	Succensa velut ignis	1110
242	1266.08.13	Orvieto, Bf. Giacomo Maltraga	Quanto cives Urbevetaani	1111
243	1266.08.13	Raymundus gen. Abraa	Sua nobis dilectus	1112
244	1266.07.17 / 18	Sizilien, Kg. Karl I.	Quanto carissimo	1113
245	1266.07.25	Wilhelm von Porto	Questionem de finibus	1114
246	1266.07.27	Kard. Raoul Grosparmi	Abbatis Florenses	1115
247	1266.07.27	Florenz, Kommune	Ex parte concivium	1116
248	1266.07.31	Kard. Simon de Brion	Sepe et sepius	1117
249	1266.07.31	Poitou, Gf. Alfons	Erubescere nos fatemur	1118
250	1266.08.06 / 13	Kard. Raoul Grosparmi	Duo nobis scripsisti	1119
251	1266.08.07	Kard. Raoul Grosparmi	Ad nostram nuper presentiam	1120
252	1265.01.05	Sizilien, Kg. Karl I. (Provence, Gf.)	Romanorum populus	1121
253	1264.06.08 a]	Dominikaner, Generalkapitel	Celo mutato non animo	1122
254	1266.08.21	Le Mans, Bf. Geoffridus Freslon	Sicut noster exultat	1123
255	1266.09.04	Kard. Raoul Grosparmi	Qui exoculati	1124
256	1266.09.16	Maguelonne, Bf. Berengar de Frédé	Irritatus a susurronibus	1125
257	1266.09.16	Frankreich, Kg. Ludwig IX.	Quia quidam ex ignorantia	1126
258	1266.09.20	Toulouse, Inquisitoren	Querulas venerabilis	1127
259	1266.09.21	Frankreich, Kg. Ludwig IX.	Cum in portu	1128
260	1266.09.22	Sizilien, Kg. Karl I.	Cum omnia que secundum	1129
261	1266.09.30	Jerusalem, Patr. Wilhelm	Nec aures surde	1130
262	1266.10.01	Sizilien, Kg. Karl I.	Nec colorem	1131
263	1266.10.06	Reims, Elekt Jean de Courtenai	In odore tui	1132
264	1266.10.11	Kard. Ottobono Fieschi	Cum multum nobis	1133
265	1266.10.11	Gui d'Auvergne	Vacante nuper ecclesia	1134
266	1266.10.13	Kard. Simon de Brion	Litteras carissimi	1135
267	1266.10.14	Kard. Ottobono Fieschi	Inter cetera que Iohannes	1136
268	1266.10.14	Kard. Raoul Grosparmi	Gravinensem episcopum	1137
269	1266.10.14	Kard. Raoul Grosparmi	Circa restitutionis	1138
270	1266.10.14	Frankreich, Kg. Ludwig IX.	Pridie idus octobris	1139
271	1266.10.14	Kard. Simon de Brion	Licet carissimus	1140
272	1266.10.16	Kard. Simone Paltinieri	Que de statu	1141
273	1266.10.17	Kard. Simon de Brion	Cum predicande crucis	1142
274	1266.10.18	Wilhelm v. Samour	Si circa veritatis	1143
275	1266.10.18	Florenz, Kommune	Multis nos aliis	1144
276	1266.10.19	Kard. Riccardo Annibaldi	Ad tuam credimus	1145
277	1266.10.26	Kard. Ottobono Fieschi	Crucifixi negotium	1146
278	1266.11.02	Raymundus Alafredi	Quod te scripsisti	1147
279	1266.11.03	Anguillara, Gf. Pandolfo	Receptis litteris	1148
280	1266.11.08	Frankreich, Kg. Ludwig IX.	Licet dilectum filium	1149
281	1266.11.13	Poitou, Gf. Alfons	Tue devotionis laudabilis	1150

NR.	DATUM	EMPFÄNGER	INCIPIIT	JOR.
282	1266.11.20	Florenz,Kommune	Si vestris temporibus	1151
283	1266.11.22	Florenz,Klerus	Cum dilectum filium	1152
284	1266.11.22	Florenz,Bürger	Reformatione civitatis	1153
285	1266.11.22	Florenz,Kommune	Verbi memores	1154
286	1266.11.23	Iacobus de Collemedio	Divina providentia	1155
287	1266.11.27	Toledo,Elekt Sancho	Cogis nos fili	1156
288	1266.12.06	Astorga,Elekt Hermann el Alemán	Cum vacante Asturicensi	1157
289	1266.12.14	Sizilien,Kg.Karl I.	Ex tuis litteris	1158
290	1266.12.18	Frankreich,Kg.Ludwig IX.	Latere tuam nolumus	1159
291	1266.12.18	Toulouse,Inquisitoren	Sua nobis venerabilis	1160
292	1266.12.22	Kard.Simone Paltinieri	Prodit in publicum	1161
293	1267.01.12	Konstantinopel,Patr.Pantaleon Iustinianus	Ex abyssio divini	1162
294	1266.12.27	Florenz,Kommune	Pacis bonum quod bona	1163
295	1267.01.05	Sizilien,Kg.Karl I.	Ut ad matrimonium	1164
296	1267.01.05	Heinrich von Kastilien	Ad tue claritatem	1165
297	1267.01. ?]	Kard.Raoul Grosparmi	De abbatibus Florensis	1166
298	1267.01.16	Aragón,Kg.Jakob I.	Tue serenitatis	1167
299	1267.01.18	Florenz,Guelfen	Quarta dies est hodie	1168
300	1267.01.29	Sizilien,Kg.Karl I.	Licet transeuntium	1169
301	1267.01.30	Sizilien,Kg.Karl I.	Nuper edictum	1170
302	1267.02.03	Päpstl.Kaplan M.	Mandatum Pisanis	1171
303	1267.02.03	Oddone Gualducci	Devotionem quam ad Romanam	1172
304	1267.02.05	Kard.Raoul Grosparmi	De collecta quam in regno	1173
305	1267.02.06	Sizilien,Kg.Karl I.	Duas tue magnitudinis	1174
306	1267.02.06 /07	Kard.Raoul Grosparmi	Venientes ad curiam	1175
307	1267.02.07 /09	Kard.Raoul Grosparmi	Ecclesiis regni vacantibus	1176
308	1267.02.09	Aragón,Kg.Jakob I.	Qui recte diligit	1177
309	1267.02.09	Reims,Ebf.Jean de Courtenai	Fraternitatis tue	1178
310	1267.02.10	L.,Witwe	Litteras tuas vidimus	1179
311	1268.02.15	Päpstl.Kaplan Nicolaus	Ecce nostrum pulsavit	1180
312	1268.02.15	Kard.Raoul Grosparmi	Auditis rumoribus	1181
313	1267.02.24	Bertrandus Albe	Per venerabilem fratrem	1182
314	1267.03.10	Sizilien,Kg.Karl I.	Graves admodum nostris	1183
315	1267.03.13	Kard.Simon de Brion	Vacante nuper ecclesia	1184
316	1267.03.31	Florenz,Guelfen	Levate capita vestra	1185
317	1267.03.31	Päpstl.Kaplan R.	Tue prudentie diligentiam	1186
318	1267.03.31	Rom+Florenz,Dominikaner	Cum cives Florentini	1187
319	1267.04.10	Florenz,Kommune	De radice colubri	1188
320	1267.04.26	Pisa,Kommune	Turbatos vos fuisse	1189
321	1267.04.29	Rom,Klerus	Attendentes sanctorum	1190

NR.	DATUM	EMPFÄNGER	INCIPIIT	JOR.
322	1267.05.06	Kard.Simon de Brion	De multorum admiratione	1191
323	1267.05.05	Lyon,Elekt Philipp von Savoyen	Nosti quantum et quam	1192
324	1267.05.08	Kard.Guido	Multa nobis de Dacia	1193
325	1267.05.09	Kard.Raoul Grosparmi	Nuntium tuum tenuimus	1194
326	1267.05.09	Kard.Raoul Grosparmi	De fraternitatis tue	1195
327	1267.05.09	Spoletto+Mark Ancona,Untertanen	Non vos decipiant	1196
328	1267.05.11	Lincoln,Bf.Richard of Gravesende	Suadente dilecto filio	1197
329	1267.05.11	Kard.Ottobono Fieschi	Venerabilis fratris nostri	1198
330	1267.05.12	Aragón,Kg.Jakob I.	Esse in curia nostra	1199
331	1267.05.17	Jerusalem,Patr.Wilhelm	Cum carissimus in Christo	1200
332	1267.05.17	Byzanz,Ks.Michael VIII.	Si pressuris compateris	1201
333	1267.05.17	Klein-Armenien,Kg.Hethum I.	Iniuncte nos excitat	1202
334	1267.05.23	Kard.Simon de Brion	Licet tua presentia	1203
335	1267.05.25	Kard.Simone Paltinieri	Nullas litteras	1204
336	1267.06.01	Sevilla,Ebf.Raimundus	Sicut tua fraternitas	1205
337	1267.06.03	Kastilien,Kg.Alfons X.	Quanto divine gratie	1206
338	1267.06.07	Rom,Capitano Angelo Capocci	Litteras tuas nuper	1207
339	1267.06.09	Kastilien,Kg.Alfons X.	Licet gratissima	1208
340	1267.06.09	Dominikaner,Ordensmeister	Quantum et quotiens	1209
341	1267.06.10	Poitou,Gf.Alfons	Nota nobis a multo	1210
342	1267.06.12	Poitou,Gf.Alfons	Crucis subsidia	1211
343	1267.06.13	Raimundus Seguini de Melgorio	Cum ex mandato	1212
344	1267.06.13	Avignon,Bf.Bertrand de St-Martin	Licet pacis consilia	1213
345	1267.06.13	Randonus von Castrum Novum	Multa nobis in tuis	1214
346	1267.06.14	Kastilien,Kg.Alfons X.	Post clare memorie	1215
347	1267.06.14	Psalmody,Abt	Cum dilectum filium	1216
348	1267.06.15	DeutschesReich,Kg.Richard v.Cornwall	Quia lingua tertia	1217
349	1267.06.23	Mantua,Kommune	Quia memores illius	1218
350	1267.06.29	Tuszien,Pfgf.S.	Si que tibi data	1219
351	1267.07.06	Avignon,Bf.Bertrand de St-Martin	Quatuor personas	1220
352	1267.07.06	Avignon,Bf.Bertrand de St-Martin	Licet inter personas	1221
353	1267.07.07	Avignon,Bf.Bertrand de St-Martin	Cum in iure peritus	1222
354	1267.07.07	Valence,Gf.Ademarus	Ecce iam nisi fallimur	1223
355	1267.07.12	Reims,Ebf.Jean de Courtenai	Conqueritur inter suos	1224
356	1267.07.12	Kard.Simon de Brion	Si languente	1225
357	1267.07.14	Kard.Raoul Grosparmi	Ne ulterius importabili	1226
358	1267.07.14 a]	Thomas von Aquin	Cum sit bonum	1227
359	1267]	Sizilien,Kg.Karl I.	Urget nos Christi	1228
360	1267.07.18	Montmajour,Abt	Cum in villa	1229
361	1267.07.20	Beauvais,Dominikaner+Franziskaner	Cum ecclesie Belvacensi	1230
362	1267.07.23	Aragón,Kg.Jakob I.	Tarde nimis tua	1231

NR.	DATUM	EMPFÄNGER	INCIPIIT	JOR.
363	1267.07.26 /27	Heinrich von Kastilien	Quam sit orbi	1232
364	1267.07.26	Canterbury,Ebf.Bonifaz v.Savoyen	Licet tibi negare	1233
365	1267.07.26 /27	Clermont,Bf.Gui de la Tour	Sepe mirati fuimus	1234
366	1267.07.26 /27	Kard.Ottobono Fieschi	Cum ab olim dilectum	1235
367	1267.07.28	Rom,päpstl.Vikar	A fidelibus et devotis	1236
368	1267.07.23 /30	Siena,Bf.Thomas Fulconis	Si natalis aeris	1237
369	1267.07.23 /30	Tuszigisches Patrimonium,Amtsträger	Nil iustitie dissonum	1238
370	1267.08.04	Päpstl.Kaplan Helias Peleti	Si filius noster	1239
371	1267.08.04	Päpstl.Kaplan Helias Peleti	Cum te ad partes	1240
372	1267.08.04	Sizilien,Kg.Karl I.	Cum firmetur clementia	1241
373	1267.08.13	Sizilien,Kg.Karl I.	Sepe cogimur scribere	1242
374	1267.08.13	Päpstl.Kaplan Helias Peleti	Quas ex nostro	1243
375		Mongolen,Ilkhan Abaqa	Nuper virum nobilem	1244
376	1267.08.17	Ravenna,Ebf.Filippo Fontana	De adventu iuvenis	1245
377	1267.08.21	Siena,Bf.Thomas Fulconis	Cum potens sit dominus	1246
378	1267.08.20	Corneto,Kommune	Licet dilecti filii	1247
379	1267.08.28	Sizilien,Kg.Karl I.	Compatiuntur tibi fratres	1248
380	1267.09.14	Kard.Simon de Brion	Ut os suum omnis	1249
381	1267.09.15	Poitou,Gf.Alfons	Cum id ipsum	1250
382	1267.09.15 /16	Päpstl.Kaplan Helias Peleti	De prudentia tua	1251
383	1267.09.15 /16	Sizilien,Kg.Karl I.	Nova de Conradini	1252
384	1267.09.17	Sizilien,Kg.Karl I.	Non libentius	1253
385	1267.09.19	Kard.Simon de Brion	Super dubiis	1254
386	1267.09.21	Pietro Papareschi	A tua non credimus	1255
387	1267.09.21	SGilles,Abt	Cum de villa	1256
388	1267.09.24 /26	Sizilien,Kg.Karl I.	Conquestus est nobis	1257
389	1267.09.30	Böhmen,Kg.Ottokar I.	Excellentie tue	1258
390	1267.10.15	Philippus de Eglis	Licet vestri ordinis	1259
391	1267.09.23 p]	Guillaume de Muideblé	Tuam commendamus	1260
392		Friaul,Bischöfe	Horrendum facinus	1261
393	1267.10.16	Sizilien,Kg.Karl I.	Litteras venerabilis fratris	1262
394	1267.10.23	Frankreich,Templer,Meister	Intelleximus quod tu	1263
395	1267.10.23	Kastilien,Kg.Alfons X.	De tuis successibus	1264
396	1267.10.25 /27	Kard.Guido	Dudum tibi sub certa	1265
397	1267.10.25 /27	Kard.Raoul Grosparmi	De tuo reditu	1266
398	1267.10.25 /27	Kard.Raoul Grosparmi	Inquietamur incessanter	1267
399	1267.10.28	Narbonne,Ebf.Maurinus	Quanto sincerius	1268
400	1267.11.06	Sizilien,Kg.Karl I.	Cum dilectus filius	1269
401	1267.11.06	Sizilien,Kg.Karl I.	Etsi coniunctio copule	1270
402	1267.11.07	SGilles,Abt	Ad decus et decorem	1271
403	1267.11.10	Vercelli,Bf.Martino Avogrado	Cum ex causis diversis	1272

NR.	DATUM	EMPFÄNGER	INCIPIIT	JOR.
404	1267.11.13	Heinrich von Kastilien	Tuas pridie litteras	1273
405	1267.11.13	Kard.Simon de Brion	Cum carissimus in Christo	1274
406	1267.11.16	Ad perpetuam rei memoriam	Novi et diri	1275
407	1267.11.16 /19	Sizilien,Kg.Karl I.	Dilectus filius P. Farinelli	1276
408	1267.11.20	Sizilien,Kg.Karl I.	Quid in Urbe accidit	1277
409	1267.11.23	Kard.Ottobono Fieschi	Cum et nobis tua presentia	1278
410	1267.11.23	Barral des Baux	Non sine cordis	1279
411	1267.11.26	Romana Fraternitas,Rektoren	Mittimus vobis per latorem	1280
412	1267.11.26	Sizilien,Kg.Karl I.	Dilectum filium archipresbyterum	1281
413	1267.11.26	Sizilien,Kg.Karl I.	Quod in Urbe contingit	1282
414	1267.12.12	Cluny,Kloster	Orta dudum inter vos	1283
415	1268.04.20 a]	Kard.Raoul Grosparmi	Licet nostris tibi	1284
416	1268.01.14 /15	Kard.Raoul Grosparmi	Licet de quibusdam	1285
417	1268.01.14 /15	Kard.Raoul Grosparmi	Quia multa tibi habemus	1286
418	1268.01.14 /15	Kard.Simon de Brion	Equum tuum nuper audivimus	1287
419	1268.01.14	Frankreich,Kg,Ludwig IX.	Que per dilectum filium	1288
420	1268.01.16	Città di Castello,Kommune	Cum et nos et Romanam	1289
421	1268.01.16	Rossi,Iacobinus	In terris fidelium	1290
422	1268.01.17 /20	Como,Bf.Raimundus della Torre	Cum inter alios	1291
423	1268.01.17 /20	Ravenna,Ebf.Filippo Fontana	Variis varia referentibus	1292
424	1268.01.17 /20	Brescia,Kommune	De discretione	1293
425	1268.01.18/ 22	Kard.Raoul Grosparmi	Scripsit nobis dilectus	1294
426	1268.01.18/ 22	Clermont,Bf.Gui de la Tour	Licet tue fraternitatis	1295
427	1268.01.24 /25	Béarn,Vizegf.Gaston	Intelleximus quod vir	1296
428	1268.01.24 /25	Sizilien,Kg,Karl I.	Pro sedanda discordia	1297
429	1268.01.25	Cremona,Kommune	Devotionem vestram	1298
430	1268.01.25	Cremona,Kommune	Missum nobis ex parte	1299
431	1268.01.25	Cremona,Kommune,Podestà d.Kaufleute	In devotione dudum	1300
432	1268.01.26	Kard.Raoul Grosparmi	Placet nobis quod priorem	1301
433	1268.01.26	Aragón,Kg,Jakob I.	Terre Sancte miserias	1302
434	1268.01.29	Heinrich von Kastilien	Cum novissimas	1303
435	1268.01.30	SGilles,Abt	Cum dilectum filium	1304
436	1268.01.30	G.gen.Rota	Quam dudum dilectionem	1305
437	1268.02.07	England,Kg,Heinrich III.	Dilecti filii Boneti	1306
438	1268.02.07	Sizilien,Kg,Karl I.	Iuri divino consonat	1307
439	1268.02.07	Sizilien,Kg,Karl I.	Super tribus deliberasse	1308
440	1268.02.09	Heinrich von Kastilien	Displicet nobis plurimum	1309
441	1268.02.09	Malaspina,Mgf.Manfredi+Morcello	Vestras petitiones	1310
442	1268.02.12	Kard.Raoul Grosparmi	Sarraceni Lucerie	1311
443	1267.12.14 /15	Sizilien,Kg,Karl I.	Exiit iam in publicum	1312
444	1267.12.17	Sizilien,Kg,Karl I.	Si mittendum	1313

NR.	DATUM	EMPFÄNGER	INCIPIIT	JOR.
445	1267.12.17	Sizilien,Kg.Karl I.	Et venerabilem fratrem	1314
446	1267.12.19	Heinrich von Kastilien	Displicet nobis et debet	1315
447	1267.12.19	Ad perpetuam rei memoriam	A via rectitudinis	1316
448	1267.12.18 /21	Sizilien,Kg.Karl I.	Contra duces Bavarie	1317
449	1267.12.28	Heinrich von Kastilien	Horrendum nimis	1318
450	1267.12.30	Heinrich von Kastilien	Cur tam acriter	1319
451	1268.01.13	Kard.Simon de Brion	Terre Sancte miseria	1320
452	1268.01.13	Kard.Simon de Brion	Inquirere te volumus	1321
453	1268.01.13	R.Marci von Montpellier	Adhuc fluctuas	1322
454	1267.10.28 p]	Clemens IV.---Narbonne,Ebf.Maurinus	Rem horrendam	1323
455	1267 /68]	Poitou,Gf.Alfons	Ea quam de te	1324
456	1268.02.28	Böhmen,Kg.Ottokar I.	Ecce fili carissime	1325
457	1268.02.28	Lismore,Bf.Thomas	Terre Sancte negotium	1326
458	1268.03.02	Kard.Raoul Grosparmi	Corradinum noveris	1327
459	1268.03.02	Winchester,Bf.Nicolaus Ely	Cum pensaremus	1328
460	1268.03.10	Sizilien,Kg.Karl I.	Post recessum fratris	1329
461	1268.03.10	Guillaume de Muideblé	Dilecto filio abbati	1330
462	1268.03.11	Frankreich,Kg.Ludwig IX.	Celsitudo regia	1331
463	1268.03.11	Sens,Ebf.Petrus de Charny	Ex parte carissimi	1332
464	1268.03.16	Guillaume de Muideblé	Litteras tuas quas nobis	1333
465	1268.03.21	Kard.Raoul Grosparmi	Cum dilectus filius	1334
466	1268.03.21	Kard.Raoul Grosparmi	Dilecti filii Bartholomei	1335
467	1268.03.27 /28	Kard.Raoul Grosparmi	Quod tibi nuper	1336
468	1268.03.27 /28	Sizilien,Kg.Karl I.	Cur tibi scribamus	1337
469	1268.03.31	Frankreich,Kg.Ludwig IX.	Etsi regnum	1338
470	1268.03.31	Kard.Raoul Grosparmi	Annuntiamus tibi	1339
471	1268.03.31	Guillaume de Muideblé	Annuntiamus tibi	1340
472	1268.04.01	Heinrich von Kastilien	Multa verba nobiscum	1341
473	1268.04.03	Kard.Simon de Brion	Quanta nobis incumbat	1342
474	1268.04.03	Guillaume de StJulien	De prosperis tuis	1343
475	1268.04.03	Böhmen,Kg.Ottokar I.	Litteras magnitudinis	1344
476	1268.04.03	Sizilien,Kg.Karl I.	Ut pacificum Urbs	1345
477	1268.04.12	Maguelonne,Bf.Berengar de Frédé	Cum sicut intelleximus	1346
478	1268.04.12	Kard.Raoul Grosparmi	Quarta feria ante festum	1347
479	1268.04.12	SJean-d'Angély,Abt	Bonorum laborum	1348
480	1268.04.12	Rieti,Bf.Gotifredus	Fraternitati tue	1349
481	1268.04.15	Frankreich,Kg.Ludwig IX.	Venientes ad nostram	1350
482	1268.04.15	Sens,Ebf.Petrus de Charny	A carissimo in Christo	1351
483	1268.04.17	Sizilien,Kg.Karl I.	A multo tempore	1352
484	1268.04.17	Tuszien,Untertanen d.Reiches	A multo tempore	1353
485	1268.04.19	Frankreich,Prinzessin Isabella	Scias filia apostolorum	1354

NR.	DATUM	EMPFÄNGER	INCIPIIT	JOR.
486	1268.04.27	Poitou,Gf.Alfons	Dilectum filium fratrem	1355
487	1268.04.28	Lille,Kapitel	Vestre compatiens ecclesie	1356
488	1268.05.01	Kard.Raoul Grosparmi	Exivit heri Viterbio	1357
489	1268.05.01	Alazaicia,Witwe	Ad compassionem	1358
490	1268.05.01	Päpstl.Kaplan N.	Afflictis compati	1359
491	1268.05.01	Petrus Raymbaldus de Carumbo	Scripsimus vobis nuper	1360
492	1268.05.03	Giovanni Annibaldi	Ab antiquis retro	1361
493	1268.05.04	Verona,Elekt Manfredus Roberti	Quantumcunque profunde	1362
494	1268.05.08	Ravenna,Ebf.Filippo Fontana	Ea te credimus	1363
495	1268.05.08	Longo,Girardinus,Podestà v.Orvieto	Licet nobis facie	1364
496	1268.05.11	Kard.Raoul Grosparmi	Vacante Liciensi	1365
497	1268.05.11	Kard.Raoul Grosparmi	Regis frui presentia	1366
498	1268.05.18	Sizilien,Kg.Karl I.	Cum existens in Tuscia	1367
499	1268.05.18	Sizilien,Klerus	Sicut regie defensionis	1368
500	1268.05.22	Sizilien,Kg.Karl I.	Ex parte dilecte	1369
501	1268.05.28	Isnardus Hugolinus	Litteris tuis diligenter	1370
502	1268.05.29	Hugo gen.Staqua	Litteras tuas vidimus	1371
503	1268.05.31	Frankreich,Kgn.Margarete	Turbavit plurimos	1372
504	1268.05.31	Aragón,Kg.Jakob I.	Contra venerabilem fratrem	1373
505	1268.05.29	Frankreich,Kg.Ludwig IX.	Petierat tua serenitas	1374
506	1268.06.04	Tarragona,Suffragane+Kapitel	Cum ad nostras aures	1375
507	1268.06.07	Tarragona,Kapitel	Cum sicut ex parte	1376
508	1268.06.07	Barcelona,Archidiakon	Ad nostrum pervenit	1377
509	1268.06.07	Tarragona,Kapitel	Cum ecclesia vestra	1378
510	1268.06.07	Frankreich,Kg.Ludwig IX.	In archidiaconatus Senonensis	1379
511	1268.06.07	Gerardus de Rampilione	Cum archidiaconatus	1380
512	1268.06.07	Paris,Offizial+Helias de Caturco	Discretioni vestre	1381
513	1268.06.09	Verona,Elekt Manfredus Roberti	Litterarum tuarum series	1382
514	1268.06.14 /15	Perugia,Kommune	Diversis diversa narrantibus	1383
515	1268.06.14 /15	Deotaleve	Non intendimus guerram	1384
516	1268.06.14 /15	Sizilien,Kg.Karl I.	Mittunt ad te Tusci	1385
517	1268.06.16	Frankreich,Kg.Ludwig IX.	Credit mundus	1386
518	1268.06.22	Kard.Ottobono Fieschi	Terra Sancta diris	1387
519	1268.07.04	Florenz,Kommune	De casu flebili	1388
520	1268.07.07	Iacobus,Sohn d.Diusalvi	Cum emula iuris	1389
521	1268.07.08	Florenz,Kommune	Quia sicut per vestras	1390
522	1268.07.08	Guillelmus de Toneux	Cum nonnulli cives	1391
523	1268.07.11	Sizilien,Kg.Karl I.	Cum ultime decedentium	1392
524	1268.07.13	Assisi,Kommune	Cum immineat	1393
525	1268.07.17	Arezzo,Bf.Guglielmino degli Ubertini	Cum dilectum filium	1394
526	1268.07.21	Reims, Kanoniker Cinthius	Devotionis indicia	1395

NR.	DATUM	EMPFÄNGER	INCIPIIT	JOR.
527	1268.07.25	Guillelmus de Toneux	In virtute obedientie	1396
528	1268.07.25	Isnardus Hugolinus	Relationibus variis	1397
529	1268.07.27 /28	Henri von Sully	Iuxta nostrum et tuum	1398
530	1268.07.28	SGermano,Archipresbyter	Cum quadringente	1399
531	1268.07.28	Montecassino,Abt	Cum quadringentas	1400
532	1268.07.31	Bologna,Kommune	Cum nuper dilecti	1401
533	1268.07.31	Kard.Simon de Brion	Que de Meldensi	1402
534	1268.08.06	Malatesta von Rimini	Si propter malitiam	1403
535	1268.08.06	Verona,Elekt Manfredus Roberti	Super hiis que dilectus	1404
536	1268.08.23	Clemens IV.---Sizilien,Kg,Karl I.	Expectatam diutius	1405
537	1268.08.15	Sizilien,Kg,Karl I.	Cum carissimus in Christo	1406
538	1268.08.26	Rieti,Kommune	Egre ferimus	1407
539	1268.08.26	Malatesta von Rimini+Montefeltro,Gf.	Ad divine gloriam	1408
540	1268.08.29	Fermo,SSavino,Abt	Litteras tuas vidimus	1409
541	1268.09.14	Kard.Heinrich v.Segusia	Infirmitati tue	1410
542	1268.09.16	Pamiers,Abt	Licet filio nostro	1411
543	1268.09.17	Lanfranchinus Maloza+Lunctus	Scire vos volumus	1412
544	1268.09.18	Verona,Elekt Manfredus Roberti	Si audita regis	1413
545	1268.09.22	Sizilien,Kg,Karl I.	Dilectum filium Guidonem	1414
546	1268.10.05	Frankreich,Kg,Ludwig IX.	Natalis soli memores	1415
547	1268.10.14	Sizilien,Kg,Karl I.	Cum vir nobilis	1416
548	1268.10.14	Sorrent,Ebf.Petrus de Corneliaco	Cum civitas Aversana	1417
549	1268.10.14	Sizilien,Kg,Karl I.	Martinum habitu saltem	1418
550	1268.10.25 /26	Corneto,Kommune	Non est nobis credibile	1419
551	1268.10.28	Sizilien,Kg,Karl I.	Litteras dilectorum filiorum	1420
552	1268.10.29	Jerusalem,Johanniter,Großmeister	Licet fratres tuos	1421
553	1268.10.29	Philippus de Eglis	Licet dilectus filius	1422
554	1268.11.03	Sizilien,Kg,Karl I.	Nota fides et probata	1423
555	1268.11.06	Kard.Giordano Pironti	Si qua est inter	1424
556	1265.03.07	Petrus von SGilles	Multis de nostra	1425